This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

IG,
GEL.

Soc. 1926.35.5

HARVARD COLLEGE
LIBRARY

VE RI TAS

BOUGHT FROM THE

AMEY RICHMOND SHELDON
FUND

# MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA,

AD INCREMENTVM SCIENTIARVM,

AB HIS,

QVI SVNT IN COLLIGENDIS ERVDITORVM NOVIS ACTIS OCCVPATI,

PER PARTES PVBLICATA.

EDENDI CONSILIVM SVSCEPIT,
SVA NONNVLLA PASSIM ADDIDIT,
PRAEFATIONEM, QVA INSTITVTI RATIO EXPLICATVR,
PRAEMISIT,

FRIDER. OTTO MENCKENIVS,
PHIL. ET I. V. DOCTOR.

---

*VOLVMINIS PRIMI PARS PRIMA.*

---

LIPSIAE,
MDCCXLII.

LSoc 1726.35.5
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY
AUG 31 1948
Sheldon fund.
(9 vol)

PERILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO

DOMINO

# CHRISTIANO GOTTLIEB AB HOLTZENDORF,

DYNASTAE BAERNSTEINII ET SVPERIORIS INFERIORISQVE LICHTENAVII

POTENTISSIMO SARMATARVM REGI ET PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A SANCTIORIBVS CONSILIIS, SENATVS ECCLESIASTICI ET CONSISTORII PRAESIDI, REDITVVM PVBLICORVM QVAESTORI, ACADEMIARVM PER TERRAS SAXONICAS CVRATORI SVPREMO

MAECENATI INDVLGENTISSIMO

# MISCELLANEA LIPSIENSIA

RECENS INSTAVRATA

IN PERPETVAM CLIENTELAM

TRADIT

RELIGIOSISSIMEQVE CONSECRAT

FRIDERICVS OTTO MENCKENIVS.

V*t auſpicata eſſent* Miſcellaneorum Lipſienſium *primordia, nullum fuit potius, quam TVVM,* ILLVSTRISSIME DOMINE, *Muſis no-*

*ſtris praeſidium quaeren-
dum. Quam liberali literis,
et ſtudiis nobilioribus, HOL-
TZENDORFIANA
laurus praebeat hoſpitium,
et ſciunt omnes, et ipſa loqui-
tur ſcientiarum artiumque
omnium per terras nobis
patrias florentiſſima felici-
tas. Cuius ſi ieciſſe fun-
damenta prima, glorioſum
ante TE fuiſſe aliis, agno-
ſcis; ſane, quod haec TVIS*

*curis*

*curis propagata ſit mirifi-
ce, et in dies magis au-
geatur, eo nomine longe
maior ad TE pertinere glo-
ria putanda eſt. Spectant
enim omnes huc uigiliae et
cogitationes TVAE, ut in ci-
uium noſtrorum animis eru-
ditionis uerae amor exci-
tetur, ut, qui colunt eam,
bis ad optimos conatus
omnia ſubſidia et adiumen-
ta ſint parata, denique ut*

 *uiris*

*uiris doctis, et cum laude aliqua in quocunque ſtudiorum genere uerſantibus, iuſtus honor tribuatur. In quibus omnibus cum magnam uerti patriae ſalutem, praeter ceteros TV optime intelligas; haec non ſapiente tantum conſilio, ſed illuſtri etiam exemplo, perficis. Nam, quod in tantae dignitatis, munerisque tanti, Uiro ſummam admirationem habet, Mu-*

*ſarum*

*ſarum ipſe conſuetudine non tantum uteris frequenter, ſed uehementer delectaris etiam, et ex ſortis noſtrae hominibus humillimos quosque ad blandum, et quaſi familiare, colloquium admittis , habetque eam uim adſpectus TVVS, ut, qui anguſtis rebus ſolatia quaerunt, his, uel uidiſſe TE, et nutum obſeruaſſe TVVM, ſatis ſit. Dabis igitur , quod ſpero,*

a 5 noſtrae

*noſtrae etiam, quantumuis inornatae, Muſae eam ueniam, ut intromiſſa in TVVM; tanquam placidiſſimi Apollinis, ſacrarium, incomparabiles uirtutes TVAS propius inſpiciat, et recreata uoluntatis TVAE benignissima ſignificatione, optatiſſimum laboris ſui fructum ferat. Nec fortaſſis male a TE collocatum beneficium hoc maximum putabis,*

*bis, cum eo uſos nos ad id intelliges, ut coeptum nuper inſtitutum ardore et alacritate noua proſequeremur, et tenuis adhuc inualidusque labor noſter maius deinde robur, et uirilem quandam firmitatem, acciperet. Ita enim ipſe dudum, idque ueriſſime, cum meis ſociis exiſtimaui, non poſſe approbatione* TVA, *quam nemo non uir bonus expe-*

*tat,*

*tat, illuſtrius nobis induſtriae qualiscunque ſtipendium decerni, et inter eos receptis, quos TV miti patrocinio dignaris, ad famam et felicitatem prorſus nihil deſiderari.*

LECTORI

# LECTORI AEQVO

S. P. D.

F. O. MENCKENIVS.

Non, ſi illud nunc agendum mihi unum eſſet, ut, quos noſtro huic Operi beneuolos lectores cuperem, his ſtudioſe, quicquid noui huius inſtituti eſt conſiliique, commendarem, et, qua ex parte hinc aut bonis literis utilitas, aut aliquid famae exſpectari urbi poſſit patriae, explicarem, ad ſuſtinendam ornandamue hanc, quam uetus quaedam et communis mihi conſuetudo impoſuit, praefandi prouinciam, multis mihi opus eſſe uerbis intelligerem. Dudum

hoc

hoc eorum partim, qui cum ingenio praeſtanti magnam earum rerum, quae conducunt literis, peritiam coniungunt, certo et conſtanti iudicio, partim uſu ipſo et exemplis, comprobatum eſt, uix tantum ad ceteras commoditates uitae, quantum ad nobiliorum incrementa artium, momenti ponderisque habere conſociata hominum multorum ſtudia, et quandam quaſi ingeniorum congregationem, qua illud boni efficitur, ut abdita aliorum, nec ſatis actuoſa, uirtus ex ſuis quaſi latebris eliciatur, et ſuas ipſa uires experta, publice eſſe utilis, ſuisque opibus augere rem communem omnium, aſſueſcat; aliorum non tam excitetur uis ingenii, quam moueatur pellaturque uehementius, et, nouis ſenſim ſiue agitata ſtimulis, ſiue exemplis confirmata, uberiores in dies, non aliter ac fertilis et bene cultus ager, ex ſe fructus efferat. Eſt enim ita cum hominibus, non dicam pleriſque, at multis ſane, iisque ad praeclara omnia ſiue natura, ſiue inſtitutione, formatis, comparatum, ut, ſibi ſolis, ſuo unice iudicio, ſuis conſiliis et cohortationibus, relicti, lento admodum difficilique gradu ad eam gloriam,

quae

quae bona et utilia conantibus acquiritur, contendant, et, inter uarias multasque, ſitne publici commodi, quam otii priuati, potior habenda ratio, deliberationes, inter dubia ſiue ignauiae cuiusdam, fugientis id, quod eſt moleſtum in labore, ſiue uerecundiae, temere timentis famae ſuae, conſilia, obdormire ſenſim in animo ſuo utendi bonis a natura datis alacritatem omnem, nobilemque illum impetum, quo ad iuuandas artes et ſcientias impellimur, conuerti in languorem, ipſas mentis hebetantem facultates; patiantur; quos, ſi tu mature iubeas cum aliis, qui ſolent optime de literis mereri, commercium habere, horum ſocios induſtriae ſe dare, cum his labores ſuos et uigilias coniungere, uideas ad bona omnia non tantum celeres, ſed uehementer incitatos etiam, et in eo neruos omnes ſiue aetatis, ſiue induſtriae, contendere, ut ne ceteris inferiores optime actorum laude iudicentur, tantumque deſudare in operibus honeſtis, quantum boni omnes liberaliterque educati deſudandum ſibi putent. Habemus igitur, cur, plurimum ueniſſe incrementi bonis artibus, exiſtimemus, ab illis omnibus,

bus, quaecunque ſunt a longo inde tempore per cultiſſimas quasque regiones, maxime uero Galliam, Italiam, Britanniam, noſtramque Germaniam, iuuandarum literarum cauſa, harumque commodo inſigni, inſtitutae, et progreſſus habuere feliciſſimos, ſocietatibus; eſtque nomen immortale urbium illarum, in quibus tales ſunt Muſarum, doctum opus amiciſſime tractantium, ſedes conſtitutae. Quarum coniunctionum etſi aliam alia illuſtriorem, nec eandem omnium ſiue formam eſſe, ſiue literis proſpiciendi rationem, ſcimus: idque ſatis conſtat, eſſe his, quae publico praeſidio, et ipſa Principum auctoritate, ſunt munitae, decus praeter ceteras, priuato quodam uinculo conſtrictas, et externa omni deſtitutas ſpecie, praecipuum; tamen, cum ſit eadem, aut eſſe ſaltem poſſit, omnium utilitas, pari omnes, ut ego quidem arbitror, pretio et dignitate commendantur. Neque adeo futurum tam iniquae mentis unum puto, qui non huic, mihi patriae, florentiſſimaeque omni tempore et inſtitutis bonis, et ingeniis praeclaris, ciuitati gratulandam eam gloriam exiſtimet,

met, quae dudum ei parta eſt tot ſalutaribus, doctorum hominum congreſſionibus, et honeſtis quaſi ſodalitiis, quorum alia nunc etiam, uirorum in arte ſua maximorum auſpiciis, tuentur ſuſtinentque decus priſtinum, aliorum grata nobis ſupereſt memoria, et intermoritura nunquam monumenta ad ſeros poſteros transmiſſa ſunt. Ad quorum ſiue laudem, ſiue amplitudinem, hoc eſſe ſatis poteſt, neminem nec olim fuiſſe, nec nunc eſſe, in noſtra Academia uel mediocriter eruditum, qui non aut *Gelliano*, aut *Conferentium*, aut *Anthologico*, aut *Philo-Biblico*, aut *Colligentium Eruditorum Acta*, aut ſi qua alia urbem hanc nobilitant, Collegiis, hisque ſaepe uniuerſis, mature adſcriptum ſe uoluerit, et in his, periclitando ſuas dicendi partim, partim etiam ſcribendi, resque doctas diligenter explicandi, facultates, certiſſima futurae et doctrinae, et exiſtimationis, fundamenta iecerit. Cuius exercitationis ut hi ipſi, qui ſe congregauerant in hoc theatrum, fructum longe maximum tulerunt, quod ad doctrinam acuendam plurimum amica aliorum nunc iudicia, nunc diſceptationes, ualeant; ita maior

hinc ad ceteros, quicunque ſunt diſcendi cupidi, uti ego quidem iudico, utilitas redundaſſet, ſi, quicunque inde a tot annis praeclaros illos, tamque urbi noſtrae honorificos, conuentus celebrarunt, id faciendum ſibi cumprimis duxiſſent, ut priuati huius ſtudii publicos tanquam Commentarios colligerent, et, quae ſunt ex quaque eruditionis parte docte et acute diſputata, utpote multorum uſibus inſeruitura, exire illis tenebris, et uenire in cognitionem omnium, iuberent. Huius enim generis, huius loci, huius inſtituti, laboribus etſi moles ſoleat et ſpecies deeſſe; fit tamen ſaepius, ut parua haec et inornata ſucci ſanguinisque plus, quam carnoſa et fucata quaeque, habeant. Fuiſſet autem nobis harum partem maximam ſocietatum, quibus ipſa adhuc ſibi plaudit Lipſia, non dicam fructibus, ſed omni prorſus notitia, carendum, niſi, proſpecturus olim noſtris commodis *Anthologorum* unus, doctus ipſe et doctorum ualde ſtudioſus Uir, CAROLVS FRIDERICVS PETZOLDVS, conuertiſſet ſe, uix ſatis unquam laudando conſilio, ad colligendas uel unius coenae Anthologicae dapes, quippe quas et coctas bene,

bene, et omni ſuauitatum genere conditas, et accommodatas ad palatum plùrimorum, nouerat. Coepit enim is, et utinam non coepiſſet tantum! anno Seculi praeſentis ſexto decimo pleniſſimum rerum optimarum Opus publicare, quo modeſtiori *Miſcellaneorum Lipſienſium* indice inſcriptum, hoc maiori elegantioris eruditionis apparatu inſtructum, hocque plura, quibus commendari poſſit omnibus, decora oſtendens. Huic, inquam, Operi ortum et initia dederunt flores illi, ex *Anthologorum* hortis decerpti, gratum et iucundum naribus etiam delicatiſſimis odorem, et uarietate ipſa ſuauiſſimum adſpectum oculis, praebentes. Scimus enim, ab initio praeclari Editoris curam hanc praecipuam fuiſſe, ut *Anthologicae* Societatis, incomparabilis BOERNERI auſpiciis et tunc florentis, et nunc maxime ſpectatae, diſputationes, ſi non omnes, at ſelectas maxime, et plurium cognitione dignas, iuſtis uoluminibus concluderet, perficeretque adeo, ne ad paucos tantum ſtudii illius fructus redundaret, nec minor apud exteros, quam in ipſa urbe noſtra, Societatis huius fama eſſet. Neque vero diu intra

hos cancellos ſubſtitit hoc inſtitutum; de cuius propagandis finibus tum cogitatum eſt, cum, perſpecta eius uaria utilitate, conuolarent undique honeſtae laudis ſtudioſi homines, qui, apertum hic, in quo uirtus ſua et doctrina poſſet excurrere, campum uidentes, admitti in huius ſtudii communionem cuperent, et ad immortalitatem nominis paratum ſibi rectum iter iudicarent, ſi cum egregiis *Anthologorum* laboribus coniungere licet ſuos, hisque locus aliquis in *Miſcellaneorum* docto Opere concederetur. Ita, quod paucorum ante fuerat, haud ita multo poſt complurium eſt factum, et cum numero ſociorum ita creuit ipſa fama Operis, ut, qui *Miſcellanea* haec nominaret, uideretur officinam eruditionis et induſtriae, et quaſi diuerſorium nobilium ingeniorum, nominare. Cui famae, ſatis per ſe ſplendidae, ſi hoc etiam acceſſiſſet, ut perpetua, aut ſaltem longinqua, eſſet, fortaſſis, quod addi ei potuiſſet, nihil, aut ualde parum, fuiſſet. Nec ſane fauſta omina eorum defuerunt, qui, fieri uix unquam poſſe, ut in ea urbe, quae ita abundaret uiris doctis, ut ex horum magis

copia,

copia, quam paucitate, laboraret, quaeque iuſtum omni tempore honorem literis tribuerit, Opus tale, in cuius diuturnitate uerteretur ipſa ciuium noſtrorum gloria, ſucceſſu proſpero careret, et, ſi usquam alibi, certe Lipſiae futurum eſſe ſempiternum, iudicarent. Sed ita ſcilicet in fatis fuit, ut annorum octo aetatem *Miſcellanea* haec non excederent; et, ſiue caſum hunc ad neceſſitatem quandam reuoces, ſiue deliberato conſilio hominum quorundam, omnia ad illiberales quaeſtus referentium, tribuas, anno huius Seculi tertio et uigeſimo uiſum eſt PETZOLDO praeſtantiſſimo, colligendi Operis inſigni munere ſe abdicare, et concedere, ut editum hoc anno duodecimum, omnium eſſet ultimum Uolumen. Id ſi magno factum literarum detrimento, et grauiter tuliſſe eos omnes, dixero, qui uerae eruditioni bene cupiunt, huiusque incrementa in optatis habent, nihil dixero, niſi quod res ipſa doceat, rerumque omnium uel ignariſſimis ſit cognitum. Fieri igitur haud potuit, quin, allato uix ad exteros tam literis inauſpicato nuntio, horum multi, delectati olim exquiſitis illis

 ferculis,

ferculis, nouam noui editoris operam modis omnibus expeterent, et, exprobrari Lipſiae, reginae Apollinearum urbium, ignauiam, indignam ualde rem putarent. Atque mihi ipſi mirum, fateor, iam dudum fuit, inter ciues meos, quorum ego plurimos eius eſſe animi ingeniique ſcio, ut ad tuendam literarum dignitatem nec uoluntas eis, nec facultas, deſit, quique adeo ad tale ſuſtinendum munus maxime idonei putari debent, neminem a luſtris inde quatuor fuiſſe, qui de inſtaurando *Miſcellaneorum*, aut, ſi imitari alios non ſatis glorioſum uidebatur, de ſimilis inſtituti condendo novo, Opere conſilium ſuſciperet, fierique adeo per noſtram aliquam incuriam hoc potuiſſe, ut adultam hanc ualidamque robore aetatis Academiam ſuperare hoc praeclaro laudum genere aliae infantes et in cunis adhuc uagientes dicerentur. Quin etiam, ne quid diſſimulem, in mentem mihi ipſi iam complures ante annos uenit, uacuam hanc, nec mihi minus, quam quibusque aliis, patentem, prouinciam occupare, et, ut rectis ingeniis eſſet locus aliquis, in quo explicare poſſent uirtutem ſuam,

mea

mea opera perficere; ſed, quoties in iſtas cogitationes incidi, toties me uerecundia retinuit, non tam quod ad conatus tales quidquam mihi audaciae deeſſet, quam quod ita iudicarem, non debere tale opus, quod ſelecta quaeque hominum doctiſſimorum ſcripta contineret, et nomen honorificum ab urbe Lipſia haberet, niſi a uiro literatiſſimo, et magnae inter ſuos exterosque famae, publicari. Diu igitur me ipſum, atque illum impetum, inſeruiendi plurimorum commodis, continui, ne, ſi forte dignior me ipſo, perficiendi aliquando rem eandem, conſilium cepiſſet, huic ego decus illud, et, ſi quam habet iſta res, laureolam, praeriperem. Enimvero, quam uanus iſte timor fuerit, ipſe dies docuit; et, cum, renouari *Miſcellaneorum* Opus, optarent usquequaque omnes, fuiſſe tamen ad hoc usque tempus ne unum quidem memini, qui, tale quid, quantumuis utile futurum literis, ſe meditari, aut publice orbi literato, aut priuatim mihi, ſignificaret. Uicit igitur tandem, et uincere utique debebat, pudorem meum conſtans illud et antiquum, reſtituendi rem collapſam, deſiderium; multoque duxi ſatius,

de cuius ut tu pulchritudine exiſtimare recte poſſis, neceſſe eſt, ſtructuram eius uniuerſam, non partes tantum ſingulas, inſpicias. Habet enim inſtitutum tale, quale noſtrum eſt, commendationem paene omnem a iucunda illa rerum cuiusque generis uarietate; fierique hic non poteſt tantum, ſed quodammodo neceſſe eſt, ut, quae aliis probantur uehementer, eadem faſtidioſe aliis legantur; nec tam illud agitur, ut ſint omnia ad palatum omnium accommodata, quam ne unus ſit lectorum, qui non aliquod ingenii hic ſui pabulum inueniat. Eſt enim conſtitutum nobis, quicunque huic manum Operi admouimus, non tam imitari, quam exprimere prorſus, et tanquam reſtituere, *Miſcellanea* complures ante annos edita, hisque, non ut eſſe homini, ſed ut filius parenti ſolet, noua haec ſimilia efficere; quod ſi aſſecuti nos fuerimus, non eſt periculum, ne male obiiſſe munus noſtrum, aut Opere hoc oneraſſe magis, quam ornaſſe, literatam hanc rempublicam, dicamur. Ita nempe iudicauimus, multo certiorem, probandi uiris doctis noſtra ſtudia, eam eſſe rationem, ſi uiam, aliis feliciter et omni ſine pedum offen-

offenſione tritam, quam ſi nouam, et ob id ipſum difficiles habentem gradus, ſequeremur. Itaque ad eum finem omnis noſter labor ſpectat, ut noui per nos incrementi aliquid nobiliores omnes artes et ſcientiae accipiant, nec tam tirones in Muſarum caſtris, quam ueterani in his milites, ex hoc tanquam armamentario artis ſuae ſubſidia et inſtrumenta petant. Sed, quo latius magnus ille literarum orbis patet, hoc ſunt ampliores inſtituto noſtro fines definiti; nec ullam hic doctrinae, ſiue quae ſublimioris nomine ſuperbit, ſiue cui plus ineſſe elegantiae putatur, modo non hanc unam, nihil praeterea, ſpectet, exulare partem patiemur. Ut igitur praecipuam Philoſophiae, Mathematices, rei medicæ, et naturalis, rationem habebimus; ita nec deſerta nobis aut contemta Hiſtoriae, tam ſacrae, quam ciuilis, et literarum fata deſcribentis, Antiquitatum omnis generis, Philologiae ſacrae, Criticae, non aridae illius et cadauerofae, ſed cui ſuccum atque uitam artes debent ceterae, ſtudia iacebunt. Magnifica uides, et fortaſſe rides, promiſſa noſtra; ſed quae, Deus efficiet, ut apparere poſſint, ne plus dediſſe oſtentatio-

ni,

ni, quam uero literarum iuuandarum ſtudio, putemur. Ceterum, cum eruditionis genera tot nominamus, non illud a nobis agi, ut omnis horum forma, et totum quaſi corpus, nouis in hoc Opere coloribus exprimatur, ſed ſatis nobis futurum, ſi horum adumbrare tantum partes atque membra quaedam, aut inchoata dudum aliorum opera perficere, aut perfectis nouum addere ornatum, liceat, lectorum nemo, ut ego quidem ſpero, non intelligit. Nam, cum, talem gloriam ex Opere hoc noſtro exſpectare, qualem non tam exſpectare hac aetate, quam rapidiſſime arripere, magni illi humani generis doctores ſolent, admodum dementis uideatur, erit tamen, de quo plaudi nobis non immerito, aut, ſi, hoc ſperare, uanum iudicatur, aliqua a uiris bonis gratia haberi, poſſit, ſi ad decus commodumque literarum attuliſſe tantum, quantum poteſt hoc ſcriptorum genere afferri, noſtra opera dicatur. Atque hoc futurum tunc ſperamus, ſi abeſſe ab hoc Opere iuſſerimus, quaecunque aut nullam prorſus, aut exiguam, in cognitione rerum utilitatem habent, quales eſſe multorum ex noſtri ſeculi Philo-

Philoſophis ieiunas et minutas diſputationes, non ego unus, et, ſi unus etiam, tamen uere, arbitror; nec locum hic uulgaribus, milliesque dictis ante nos, dederimus, quibus aut nihil iuuantur literae, aut, ſi, quod fere fieri ſolet, pro nouis uenditantur, boni lectores peſſime falluntur. Si quis igitur admitti in ſocietatem noſtram, aut nobis uti ſuorum *laborum* publicis praeconibus, cupiat, (inuitatos enim ad hanc menſam omnes noſtri cupidos congreſſus uolumus,) is, niſi rebus bonis, et utilibus, et ſibi tanquam propriis, onuſtus ueniat, tale quid a nobis fruſtra ſperat, faciles nos alioqui et ad humanitatis hoc officium paratos habiturus, ſi ita rem ſuam geſſerit, ut nec ſcripſiſſe ipſum, nec nos publicaſſe, aliquando poenitere debeat. De me ipſo ita ſpondeo, futurum interdum, ut mearum aliquid nugarum cum ceteris doctiorum hominum laboribus coniungam, ne eo in loco, quo alios ad induſtriam excitare ſoleo, ipſe ſim ignauiae cuiusdam accuſandus, ſed ita me ſimul lectorum rationem habiturum, ut niſi meliorum dapum ſaturis crudas incoctasque offas meas non apponam. Iam de

de forma habituque *Miſcellaneorum* externo, ſupereſt, ut pauca addam. Inter plures alias, quae menti occurrerunt, huius Operis edendi rationes, commodiſſima haec nobis uiſa eſt, ſi *Partibus* ſingula *Uolumina quaternis* diſtingueremus, et molem his daremus talem, qualem nec grauem nimis, nec nimis leuem, debeas putare. Sed, quo tempore *Pars* quæque proditura ſit, nondum licet nobis certo definire. Saluam hic nobis libertatem quandam cupimus, non magis in rebus ceteris, quam in iſto genere ſcriptorum, gratam. Moleſtiſſimam eſſe, quae nos *Annis Menſibus*ue adſtringit, ſcribendi neceſſitatem, experti dudum ſumus, in *Eruditorum* colligendis *Actis* ſuſtinentes iugum hoc, quod, ſi fieri poſſet, lubenter excuteremus, tantum abeſt, ut de ſubeundo nouo cogitemus. Acuet autem maxime induſtriam noſtram fauor atque approbatio lectorum; quae quo liberalior fuerit, hoc maiorem in nobis ſcribendi alacritatem accendet. Sed, utcunque haec ceciderint, fieri tamen poſſe, ut annus quisque integrum *Uolumen* ferat, habemus, cur ſperare nobis liceat. Pluribus te, Lector, non moramur,

ramur, ita confidentes aequitati tuae, ſicut te uiciſſim cupimus in futuros annos bona de nobis ſtudioque noſtro omnia ſperare. Atque nunc ad immortales Deos, a quibus recte capiuntur rerum omnium primordia, noſtra pietas conuertitur. His ut ſacras eſſe dicatasque noſtri Operis primitias iubemus, et futura noſtra omnia conſilia pia mente commendamus; ita, quantum fuerit in noſtris uiribus, nos eſſe operam daturos, ne ad finem alium, quam ad amplificandam horum ſummam gloriam, curae noſtrae ſpectent et uigiliae, religioſiſſime uouemus.

INDEX

# INDEX DISSERTATIONVM,

QVAE

## UOLVMINIS PRIMI PARTE PRIMA

CONTINENTVR.

I. IOANNIS CHRISTOPHORI HARENBERGII, S. Th. Doctoris, et Scholarum per terras Brunſuico-Luneburgenſes Directoris generalis, Expoſitio ſuccincta Parabolae de operariis in uinea, ad *Matth. XX, 1-16.* Pag. 1-31.

II. I. C. S. Ironia a Ieſu et diſcipulis eius abiudicata. Pag. 31-40.

III. CHRISTOPHORI SAXII, A. M. Επίκρισις Φιλολογικὴ, ſiue Stricturae in nuperum Franci cuiusdam libellum de Incerto Hiſtoriae Romanorum antiquiſſimae. *Sectio I.* Pag. 40-79.

IV. C. A. H. Emendatio trium inſignium *Plinii* locorum. Pag. 79-86.

V. FRID. OTTONIS MENCKENII Criticae literariae Specimen primum, exhibens Plagiariorum duas Decades. Pag. 86-171.

VI. GVILIELMI CAUEI duae ad OTTONEM MENCKENIVM Epiſtolae, cum Praefatione F. O. MENCKENII. Pag. 171-176.

* * *

I.

IOANNIS CHRISTOPHORI HARENBERGII

EXPOSITIO SUCCINCTA PARABOLÆ DE

# OPERARIIS IN VINEA,

AD MATTH. XX, 1-16.

## SYNOPSIS.

§. I. *Scopus ſcribendi.* §. II. *Expenditur epiphonema:* Multi ſunt vocati, pauci vero electi. §. III. *Expenditur epiphonema:* Poſtremi erunt primi, & primi poſtremi. §. IV. *Indicatur notio, quam regno Dei jungere oportet.* §. V. *Oſtenditur, regnum gloriæ & vitam æternam hic haud intelligi.* §. VI. *Diſtinguitur inter vocationem ordinariam & extraordinariam.* §. VII. *Regnum gratiæ externum cur cum vinea comparetur, indicatur.* §. VIII. *Deſignatur paterfamilias.* §. IX. *Indicatur merces.* §. X. *Operarii ſignificantur.* §. XI. *Tempus laboris ediſſeritur.* §. XII. *Expenditur ſucceſſio punctorum temporis, quo contigit vocatio.* §. XIII. *Indicantur ii, qui diverſo tempore vocati.* §. XIV. *Significatur indoles murmurantium.* §. XV. *Additur depulſio murmurationis.* §. XVI. *Confirmatur expoſitionis fundamentum.*

I.

Illi, qui in evolvendis atque exponendis literarum diuiniorum locis minus perſpicuis deſudant, nihil laboris, nihil operæ, prætermiſerunt,

ut primarium ſcopum, qui parabolæ de operariis in vinea eſt fundamenti loco, eruerent, atque in medicinam converterent mentium, Chriſto addictorum. Quemadmodum vero his laboribus & hac opera nihil eſt commendabilius; ita tamen id magnopere eſt dolendum, interpretes hic viam non inſiſtere eandem, neque idem ſentire. Diverſas parabolæ hujus expoſitiones, Patribus eccleſiæ quondam probatas, collegit *Dionyſius Petavius* in *Dogmat. theolog. Tomo I Lib. VII Cap. 11 pag. 305 ſeq.* Recentiorum ſententias recenſuit nonnullas beatæ memoriæ *Ioannes Chriſtophorus Wolfius* in *Curis philologicis ac criticis ad* Matth. XX, 1, *pag. 288 ſeq.* Ven. Abbas, *Ioannes Laurentius Moshemius*, ſingulari Diſſertatione expoſuit *Parabolam de Operariis in vinea*, Helmſtadii A. 1725 in lucem emiſſa, ratus, in ea agi de præmiis eorum externis, qui primis N. Teſt. temporibus doctrinam cœleſtem populis tradiderint amplectendam. Exſtat etiam Anonymi expoſitio in ſilva theologica, quæ appellatur *Heſſiſches Hebopfer, P. IV Diſſ. VII pag. 445 ſeq.* Hic per primos & ultimos deſignari exiſtimat imitatores Chriſti, eosdemque operarios, non ad docendum, ſed ad patiendum, vocatos. Sed meminiſſe oportet nos, eos, qui conducuntur ad operam vineæ exornandæ dandam, laboribus, non ſoli patientiæ, addici, nec ſola patientia vineam Chriſti repurgari atque excoli. De Pl. Rev. *Lœffleri* libro, quo parabolam hanc explicare aggreſſus fuit, jam non eſt, quod moneamus, ſiquidem is in manibus omnium verſatur. *Neminem refellere*, primam mihi dixi legem. Occupati enim ſumus in parabola, cujus ſcopus ac ſen-

ſus primarius non omnibus æque perſpicuus eſſe videtur. Verſamur in cauſa, in qua licet libere diſſentire, dummodo caveamus ac provideamus, ne reliquæ doctrinæ Chriſtianæ ſimus impedimento per expoſitionem parabolæ talem, quæ clarioribus ſacri Codicis ac Theologiæ capitibus repugnat. Conſtituimus oſtendere, ſenſum parabolæ eſſe ſatis luculentum, atque in mentes oculosque incurrentem. Quem in eo conſiſtere credimus, ut dictitemus, *Jeſum exæquaſſe conditionem civium ſuorum*, tum e Judæis, tum ex gentibus, a religione genuina averſis, ad regnum gratiæ externum evocatorum. Nihil ipſe præcipui tradidit eis, qui exſtiterant Judæi antea, licet ipſe ex hiſce eſſet natus, ac licet ipſi duriſſimum legis cerimonialis jugum, onus diei ac æſtum, pertuliſſent. Obmurmurarunt ii quidem æqualitati & exæquationi huic perſæpe, hominesque, e gentibus civitati Jeſu adſcriptos, eidem oneri adſtringere voluerunt *Act. XV, 5 ſeq. XI, 2, 3*, quemadmodum ſic de proſelytis fœderis ſtatuere ſolebant, quos ipſi deinde inferiores ſeſe exiſtimabant. At Deus noluit, ratione bonorum fœderis novi quidquam inter utrosque intereſſe, *Act. XI, 15, X, 34, 35, XV, 8, 9, Rom. III, 22, 23, 24, Gal. III, 26, 27, 28, Col. III, 11.* Cives vero, reipublicæ Chriſti aggregandi, dividuntur in *primos* & *ultimos*. Primi ſunt Judæi; ultimi autem ſunt homines, extra gentem Judaicam conſtituti. Illos Deus ob mentem, Chriſto immorigeram, dictoque minus audientem, repudiavit, ac ipſos, qui fuerant primi, poſtremos reddidit. *Primi* illi murmurarunt, ac in providentiam Dei fuerunt injurii. Quam ob cauſam Deus eos diſcedere, resque ſuas

ſibi habere, juſſit. In locum ipſorum ſucceſſerunt homines, e gentibus ad Chriſtum adducti, *Rom. XI, 11.* Et hinc quidem intelligitur, multo plures ad regnum gratiæ eſſe evocatos, quam electos. Ut igitur oſtenderet Chriſtus, evocaſſe Deum peculiari & extraordinaria invitatione Judæos primum, deinde autem gentes etiam reliquas: multos autem invitationi uni ac alteri obſiſtere, Judæosque inprimis ductui ac pædagogiæ ſuæ reluctaturos; parabolam illam in medium adduxit. Occaſionem ei proponendæ ſuppeditaverat juvenis quidam ἄϱχων, ſeu ſynagogæ præfectus [a]), qui triſtis ab ipſo diſceſſerat *Matth. XIX, 22*, morem potius cupiditati, opibus inhianti, quam doctrinæ optimi Soſpitatoris, geſſiſſe viſus. Tantus vir ſingularem & eximiam ſapientiam, felicitatis præſtantiſſimæ ducem, e Chriſti ſermonibus haurire, ac in uſus convertere ſuos, ſtudebat, eamque tanto exquiſitiorem, quanto excellentior ipſe ille juvenis ſibi fece hominum reliquorum eſſe videbatur. Præfectus ille id ſcire avebat, quod maxime ad perfectionem homini docto conciliandam aptum poterat exiſtimari. Jeſus autem ipſi nihil ſingulare, nihil eximium, enuntiavit. Remiſit ipſum ad perfectam decalogi curam & obſervationem. Cum juvenis gloriaretur, ſibi a pueritia inde nihil fuiſſe antiquius & pulchrius, quam rigidam decalogi cuſtodiam, nec per leges morales ad Meſſiam deduci vellet; Jeſus ipſi oſtendit, quanta menti ejus ineſſe debeat puritas, qui per rigidam decalogi obſervationem ad beatitatem ſempiternam velit adſpirare.

Oſtendit

a) *Luc. XVIII, 18.*

Oſtendit ſane præfecto illi, Dei cauſa, & ob amorem huic debitum, nec divitiis, nec rebus creatis aliis, eſſe adhæreſcendum. Oſtendit, eo ipſo, obſervationem decalogi genuinam ac plenam haud eſſe rem leviſſimi momenti, ſed requiri ad eam concentum quarumcunque virium, & ſemper, & ubique, & in ſingulis actionibus, actionumque partibus. Quis vero ea eſt perſpicacia mentis, ea cogitationum munditie, ea voluntatis integritate, ac actionum ſuarum puritate, ut debita cura ac obſervatione legem Dei moralem proſequatur? Convicturus erat imbecillitatis juvenem Jeſus, cum, divina quippe jubendi poteſtate inſtructus, juberet ipſum renuntiare opibus ſuis, eas venundare, & pretium, exinde comparatum, pauperibus diſtribuere. Norat procul dubio Jeſus, opes illas damno & noxæ eſſe præfecto ſynagogæ, nec eorum exiguam eſſe turbam, quæ opis & miſericordiæ aliorum indigeret. Juſſum hoc juvenem conjiciebat in ſtuporem, ac deinde in triſtitiam ſatis exquiſiti doloris. Tantæ vanitatis erat illa perfectionis affectatio, qua juvenis turgebat! Nondum par erat ſervando decalogi præcepto primo, qui inde a plurium annorum decurſu ſibi viſus fuerat præceptionibus ſingulis ſuffeciſſe. In *inciſo 21 Capitis XIX* ullam vitæ monaſticæ originem, ullum victus cœnobitici fundamentum, exſtare, merito negavit *Benedictus Bacchinius*, Abbas Caſinenſis b). Subjecit tandem Servator, illos, qui fuerint primi in regno gratiæ, ſibique ceteris hominibus excellentiores



b) Locus ejus indicatus eſt in *Supplementorum ad Nova Eruditorum Acta Tomo III Sect. XI pag. 498.*

tiores videantur, fore ultimos, ultimos vero primos, v. 30. Et huic pronuntiato annectit per particulam δὲ parabolam de operariis in vinea, eamque rurſus epiphonemate eodem obſignat *Cap. XX v. 16*, poſtquam docuerat, vocatos eſſe complures extraordinaria gratia unum poſt alterum, nec tamen inæqualitatem adminiculorum gratiæ diverſis hominum cœtibus datum iri. Jam *Cyprianus* c) *denarium* de gratia quadam ſpirituali externa, omnibus æque impertita, expoſuit, quod pronuntiatum adeo reſpondet ſcopo parabolæ, ut nihil ſupra.

II. Parabolis ſolet præſtantiſſimus Soſpitator ſubjungere epiphonema, e quo de ſumma & argumento dictorum poſſit judicari. Parabolæ autem præſenti ſubnexuit illud *v. 16: Multi ſunt vocati, ſed pauci ſunt electi*. Adhibuit id ipſum, poſtquam oſtenderat, multos hominum vocanti ad convivium gratiæ Deo morem haud gerere, paucosque œconomiam gratiæ divinæ amplecti, *Cap. XXII v. 14*. Utut enim Deus tantam gratiam unicuique offert, qua poſſit e peccatis eluctari, & ad pœnitentiam male actorum, atque cognitionem veritatis ſalutarem, pervenire, tamen vocationem ſubinde adjungit extraordinariam & ſingularem, ut humanum genus eo certioribus de ſerio Dei amore, ad ſalutem noſtram conciliandam proclivi & promto, convincatur argumentis. De evocatione hac extraordinaria valet illud: *Multi ſunt vocati*. De ordinaria autem frequentatur illud: *Omnes ſunt vocati*. Vid. *Eſ. LV, 1, Matth. XI, 28, 1 Tim. II, 1, 4, 2 Pet. III, 9*. Si qui exiſtimant,

c) *Ep. 69 pag. 187.*

exiſtimant, electos eſſe tot, quot ſunt vocati, ii non poſſunt, quin Chriſto in faciem contradicant, eumque jubeant docere: *Pauci ſunt vocati, pauci ſunt electi.* Cum vero Jeſus de vocatis & electis epiphonema ſubdidit parabolæ de operariis in vinea, planum omnino eſt & controverſia vacuum, de vocatione hominum ad gratiæ regnum in ea fuiſſe expoſitum.

III. Quod ipſum eo minus in dubitationem vocabimus, ſi attendemus animum ad id, quod ei proxime adjectum fuit, epiphonema. Hoc ſic habet *v. 16:* *Ἔσονται οἱ ἔσχατοι πρῶτοι, καὶ οἱ πρῶτοι ἔσχατοι, erunt ultimi primi illi, & primi illi ultimi.* Quinam vero ſunt illi poſtremi? Succurrit quærentibus parabolæ contextus, in quo *οἱ πρῶτοι* ſunt illi, qui primi erant vocati, qui diei onus & æſtum toleraverant, qui prærogativam chariſmatum & documentorum gratiæ externorum ſibi arrogaverant, qui adverſus Deum, ſapientiſſimum œconomiæ N. Teſt. patremfamilias, murmura & pervicacem animum præ ſe tulerant. De hiſce dicitur *v. 10:* *Ἐλθόντες δὲ οἱ πρῶτοι ἐνόμισαν, ὅτι πλείονα λήψονται, cum vero veniſſent primi illi, putarunt ii, ſeſe ampliora eſſe accepturos.* Opponuntur hi illis, qui circa undecimam diei horam erant vocati. Hi enim vocantur *οἱ περὶ τὴν ἑνδεκάτην ὥραν v. 9,* & *ἔσχατοι v. 11,* qui unicam horam opus fecerant. Nec de hac expoſitione dubitari poteſt, ſiquidem luculente dicitur *v. 10* ad magiſtrum domus vicarium: *Ἀπόδος αὐτοῖς* (*ἐργάταις*) *τὸν μισθὸν, ἀρξάμενος ἀπὸ τῶν ἐσχάτων ἕως τῶν πρώτων, redde illis* (operariis) *mercedem illam* (pactam), *ex-*

*orſus a poſtremis*, ad poſtremum vocatis, *usque ad primos*. In epiphonemate, eapropter adjecto, reſpicitur ad eos, qui poſtremi erant vocati, nec non ad eos, qui vocati erant primi. Juvat conferre locum parallelum, ubi Chriſtus idem epiphonema vocatis primo Judæis, ac vocatis ad poſtremum gentibus, ſubjecit, *Luc. XIII, 28, 29, 30.* Translatio *Sebaſtiani Schmidii* ſic habet: *Ibi erit ploratus & ſtridor dentium, quando videbitis Abrahamum & Iſaacum, & Jacobum & omnes Prophetas in regno Dei, vos vero ejectos foras. Contra venient ab ortibus & occaſibus & a ſeptentrione & meridie accumbentes in regno Dei. Et ecce, ſunt extremi, qui erunt primi; & ſunt primi, qui erunt ultimi.* Primos hosce eſſe Judæos, ultimos vero e gentibus evocatos, perſpicitur ex *Matth. VIII, 11, 12,* ubi Jeſus hæc pronuntiaſſe perhibetur: *Dico vobis, quod multi ab Oriente usque & Occidente venient, & accumbent cum Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo, in regno cælorum; filii vero regni ejicientur in tenebras exteriores. Ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Ex quorum locorum collatione perſpicue elucet, primos dici *filios regni* & ejusmodi homines, qui eis, qui e gentibus Chriſto nomen erant daturi, erant poſtponendi. Quin illi fuerint Judæi, nemo unus dubitabit. Cum vero Chriſtus præfectum Synagogæ eo non potuiſſet adducere, ut nuntium mitteret divitiis, & Meſſiam in morem diſcipuli ſequeretur, atque diſcipulis promiſiſſet centuplicem bonorum ſpectabilium, Chriſti cauſa neglectorum, compenſationem; ſubjecit pronuntiatis idem epiphonema *Matth. XIX, 30: Multi vero erunt primi, ultimi; & ultimi, primi.* Quo

ipſo

ipſo ſignificat, præfectum ſynagogæ ejus ſimiles hic quidem in externo eccleſiæ ordine, & gratiæ œconomia, principatum tenere, eam vero prærogativam ſublatum iri nova rerum converſione ſeu παλιγγενεσίας, hoc eſt, nova fœderis novi œconomia. Ne vero auditores ignorarent cauſam, cur Deus Judæorum prærogativas & complexum rei publicæ eorum ſacræ eſſet immutaturus ac proſtraturus, parabolam de operariis in vinea ſubjunxit. Ex hac enim perſpicitur ratio, quæ Deum commovit, ut primos reddiderit ultimos, ultimosque reddiderit primos.

IV. Parabola hæc eſt repræſentatio regni gratiæ externi ſub ſpecie vinitoris & eorum, qui invitatu ejus operam vineæ colendæ locatam impendunt. *Regnum Dei* hoc loco non eſt regnum gloriæ. Quis enim ſibi perſuadere poterit, in regno gloriæ inveniri homines, qui patrifamilias obmurmurant, ejusque juſtiſſimæ voluntati obnituntur, atque invidioſa repugnantia refragantur? Eandem ob rationem locum hic non invenit id Dei regnum, quod, Spiritu Sancto moderante, in mentibus hominum per fidem fideique fructus perſiſtit. Hoc enim abditum Chriſti regnum adeo cum obmurmurationibus, quas Judæi effuderunt in ſapientiſſimum Dei decretum, pugnat, ut cum eis nulla ratione componi poſſit. Deſignatur itaque œconomia externa fœderis, quam diſpenſator optimus, Deus, a primordiis miniſterii ſancti, ejusque ſpectabilis, quod Chriſtus in terris obivit, ſtabiliendam curavit. Denominatio videtur deſumta ex *Dan. VII, 13, 14, 27.* Dicitur autem βασιλεία οὐρανῶ, *regnum cœli*, ne quis illud pro imperio politico & a Regibus

expeſſi ſolito reputet. Conf. *Jo. XVIII, 36.* Vocatur alibi *regnum Dei*, ſiquidem pro Orientalium more *cœlum* ſæpius ponitur pro *Deo*, *Dan. IV, 23*, *Matth. XXI, 28*, *Luc. XV, 21*, *Jo. III, 27.* Regnum hoc cœpit ab eo tempore, quo Chriſtus per *Joannem* Baptiſtam, per ſeſe, & Apoſtolos, miniſterium ſacratiſſimum obire cœpit. Vid. *Matth. III, 2, IV, 23, X, 7.* In hac œconomia Chriſtus ipſe eſt Pontifex ſummus, isque ſempiternus. Templum & lapides vivi ſunt, qui in Chriſti ſocietatem venerunt. Sacrificiorum omnium inſtar eſt unicum Chriſti ſacrificium, idque cruentum, in cruce Patri repræſentatum & oblatum, unde vocatur, προσφορὰ καὶ θυσία *Eph. V, 2.* Præter hoc unicum ſacrificium, quod fuit holocauſtum, piaculum, & victima ad avertendum reatum ac culpam, haud ſupereſt aliud ullum. Vid. *Ebr. X, 14, 26.* Ipſe enim non amplius moritur, *Rom. VI, 9.* Legi cerimoniali haud amplius eſt locus, ſiquidem umbræ ceſſare debuerunt, ſimul ac corpus ipſum & ſol juſtitiæ coram apparuit. Chriſtus enim cruenta ſua morte inſtituta cerimonialia, typos quippe ipſe antitypus, exanimavit & obligatione exuit, *Col. II, 14, 20.* Thronus gratiæ eſt ipſe Chriſtus. Adytum intimum, in quo Chriſtus conſpicuam præſentiam exhibet ſuis, eſt ipſum gloriæ regnum, *Ebr. VI, 19. 20.* Germinans virga *Aaronis* eſt ipſe Chriſtus. *Manna* eſt illa recreatio, qua ipſe ſuos reficit & firmat. *Candelabrum*, ſeptem lychnis inſtructum, eſt illuminatio Spiritus Sancti, animos fidelium docentis ac moventis. Reliqua œconomiæ novæ ornamenta, cum rebus œconomiæ prioris collata, ex Apocalypſi & aliis diviniorum literarum

locis

locis ita clare elucent, ut ſupervacuum videri poſſit, eis commemorandis diutius inhærere.

V. Jam monui, *regnum Dei* ſeu *cælorum* in hac parabola haud exponi poſſe de regno illo, quod ſolemus a *gloria* cognominare. Cum vero paſſim hæc opinio, quam incauti Patres eccleſiæ aliquot aſſenſu ſuo quondam dignati fuerunt, adhuc vigeat ac dominetur, haud alienum fuerit a propoſito, argumenta complura, velut aciem, inſtruere, ut eo firmius & luculentius ſententiam illam, ſcopo Chriſti prorſus oppoſitam, evertamus & profligemus. Quæritur itaque loco primo, an Chriſtus in regno gloriæ eos, qui fuerant primi, dejecturus ſit ita, ut reddantur poſtremi. Nemo certe noſtrum ſibi perſuadet, in regno cœlorum glorioſo felicitatem nonnullorum civium imminui atque labefactari. Quærimus deinceps merito, an in regno gloriæ locus ſit eis, qui ſibi id arrogant, quod ſapientia Dei eis denegat. Quærimus porro, an ii adſcribi poſſint cœlitibus, qui præmio divinitus accepto ſunt minus contenti. Quærimus tandem, an *invidia*, עַיִן רַע, locum in regno gloriæ habeat; an obmurmurationes dignæ ſint cœlitibus. Hæc enim vitia exprobrantur eis, qui primi erant conducti a patrefamilias in parabolæ complexu. Judæi, qui hanc parabolam ex fonte communi tenent acceptam, de regno gloriæ eam haud adhibent. R. *Jona* in *Arcano pœnitentiæ* eam exhibuit, ex *Tanchuma* d), ut monet, depromtam. Eadem parabola legitur in *Hieroſ.*

*Brachoth*

d) *Fol.* 34, 2, 3, ac *fol.* 83, 2.

*Brachoth fol.* 5, 3, in *Siphri fol.* 196, 3, ac *fol.* 79, 1. e)
Nunquam vero ipſa ad indolem regni gloriæ exponendam proponitur vel in medium affertur.

VI. Vocantur a Deo homines, quotquot naſcuntur, omnes ad præmiaglorioſa conſequenda. Chriſtus enim eſt lux, quæ illuminare ſtudet mortales, excepto nemine, univerſos, *Jo. I, 9.* Quem in finem nemini non tot & tanta adminicula gratiæ patent, quot & quanta ſufficiunt gratiæ re ipſa impetrandæ. Ipſe enim Deus non expetit mortem peccatoris, ſed ſerio cupit, ut ille reſipiſcat & vivat. Ipſe non vult quemquam perire, id potius deſiderans ſerio, ut quisque pœnitentiam male actorum agat. Quomodo autem hoc velle dici poſſet, niſi gratiam cuivis ſufficientem offerret, eumque per hanc invitaret ad ſeſe & vocaret? Qui finem haud repudiat, eum decet nec adminicula, ad finem illum ducentia, repudiare. Nihilo ſecius id quoque veritati eſt conſentaneum, divinitus conſtitutas eſſe periodos temporum certas, in quibus gratia quædam exuberans & ampliſſima cum hominibus communicatur. *Joannes* Baptiſta, Meſſias ipſe, ac ipſius Apoſtoli, vocarunt homines ad gratiam Dei ſuſcipiendam majori cura & ſplendore. *Nebucadnezaris* & *Ahasveri* edicta uberiorem Dei vocationem deſignant. Quam quidem ob rationem non poſſumus, quin diſcernamus gratiam Dei ordinariam ab extraordinaria, & ſingularem a communi, omnibusque ſufficienti.

VII. Oeconomiam eccleſiæ Deus haud raro comparavit

e) Vid. Cl. *Schœtgenii Horæ Hebraicæ pag. 166 ſeq.*

comparavit cum vinea tum in Veteri, tum in Novo, Inſtrumento. Jeſus ipſe ſe cum vite in comparationem adduxit *Jo. XV, 1.* Ratio rei eſt in promtu. Parabolæ deſumi ſolent a rebus, uſu quotidiano vulgatis tritisque. Quid vero incolis Palæſtinæ notius & magis in propatulo erat mentione vinearum? Vineis præſtantiſſimis abundabat Judæa. *Burchardus* Argentinenſis in monte olearum & prope Bethlehemum vidit vites. In *Expoſitione totius mundi* f) hæc leguntur: *Aſcalon & Gaza vinum optimum mittunt Syriæ & Ægypto.* Prope Emmaunta copiam vitium deprehendit *Scheidtius* g). *Athenæus* vina Palæſtinæ h) prædicat, laudibusque extollit ſummis. Vates ac Prophetæ divini eccleſiam hinc inde cum vinea compararunt, *Pſ. LXXX, 9, Eſ. V, 1 ſeq. Jer. II, 21, Marc. XII, 1, Luc. XX, 9.* Conveniunt enim curæ & labores, munimenta ac ſepes, ſarmentorum ac nævorum ſeparatio ſollicita, vigilia cuſtodum, fructusque jucundus, torcular & preſſio, afflictionum ſymbola, ac tandem uſus ſucci & ipſa recreatio.

VIII. Ut autem vinea cum eccleſia confertur; ita Deus in comparationem adducitur cum patrefamilias, rebus ſuis invigilante. In Palæſtina homines divitiores vel ſervis coemtis mancipiisque abundabant, quorum laboribus utebantur, vel operam aliorum conducebant ad vineas recte curandas. Operæ conductitiæ ſolebant præferri mancipiis ad hortos

f) *Vol. III,* ex ed. *Jo. Hudſoni, pag. 5.*
g) *Pag. 67.*
h) *Dipnoſ. Lib. I Cap. 15 pag. 29.*

hortos vinearumque ordines recte colendos. Licet vero nihil in nobis exiſtat, quod dici poſſit *aliquid*, quin a Deo profectum ſit, Deoque debeatur: atque propterea magis cum ſervis, quam cum operis conductitiis, comparari queamus; Deus tamen tanta in nos eſt benignitate, ut nos potius velit paterne ac blande ad ſeſe invitare, & ad officium faciendum allicere, quam jure ſuo uti ſupremo, ea fini, ut, licet citra ullum præmii reſpectum obedientiam Deo exhibere debeamus exquiſitiſſimam, mercedem clementiſſime propoſitam intueamur, ac ejus reſpectu officia, nobis præſcripta, libere & lubenti animo expleamus. Ingenuum enim & liberum ſui cultum Deus ab hominibus exigit *Pſ. CX, 3, 2 Cor. IV, 17.* Libertatis hujus munus nobis ipſe Chriſtus promeruit *Jo. VIII, 34, 35, 36.* Ipſa autem in eo conſiſtit, ut cognoſcamus id, quod ſaluti animarum genuinæ & ſempiternæ expedit, & illud lubenti atque proclivi animo perpendamus, & effectui demus, diſſolutis peccati ac cupiditatum vitioſarum vinculis, quibus conſtricti & obfuſcati impedimur, ne veritatem & officia noſtra ſincere perſpicere, & ad præſcriptum voluntatis divinæ agere, poſſimus. Ut tantum beneficium dextre veneremur, Jeſus nobis patrem ſuum & ſeſe propoſuit non ut dominum, ſervis imperantem, ſed velut patremfamilias, operaturos cultui divino benigne vocantem, ac liberrimo labori vocaturos invitantem.

IX. Pactum, quo Deus hominibus recte facientibus benefacere ſtudet, & homines Deo operari debent, comparatur cum contractu conductionis, quo Deus laborantibus mercedem promittit, & operarii,

rarii, labore perfuncti, mercedem promiſſam exſpectant. Merces illa æſtimatur ſymbolo *denarii.* Denarius enim ſtipendium erat diurnum, conductis in diem congruens. Hinc *Percennius* miles conquerebatur [i]), *militiam ipſam gravem, infructuoſam: denis in diem aſſibus animam & corpus æſtimari.* Denarius argenteus erat quarta pars ſtateris noſtrique floreni boni, quem vocamus *einen guten Gulden,* 24 groſſis vulgaribus & 16 groſſis Miſnicis æſtimati. Denarius ſic fuit appellatus, quod æſtimabatur aſſibus libralibus decem, ſeu decem libris æris. Et hic denarius fuit ex argento. Non confundendus eſt cum hoc denario denarius aureus, qui argenteum vicies & quater exceſſit. Ut autem numus denarius argenteus in ære valuit decem aſſes ob rationem nominis; ita pondus denarium in argento ſignato valuit decem libras argenti, & ex conſequenti mille denarios numos. Græci ſæpius ſolent *drachmis Atticis* uti in pondere numorum æſtimando, Medici inprimis. Drachma autem ejusmodi æqualis fuit denario argenteo, teſte *Plinio* [k]), qui ſolet *denarii* vocem ibi adhibere, ubi *Dioscorides* vocem *drachmæ.* [l]) uſurpavit. Eadem conſuetudine utuntur multi alii Græcorum ac Romanorum ſcriptores, qui Latinam pecuniam ad Græcam, Græcamque ad Latinam, redigere auſi fuerunt. *Hero Alexandrinus* in *Fragmento de re numaria* id ipſum teſtimonio ſuo confirmat, ſatis ſuccincte hunc in modum pro-

lato:

i) *Tacitus Annal. I, 17.*

k) *Hiſt. nat. XXI, 34.*

l) *Jo. Frid. Gronovius* in libro *de Pecunia vetere Lib. II Cap, 4 pag. 193 ſeq.*

lato; Τῇ Ἀττικῇ δραχμῇ χρυσέου πρὸς σταθμὸν καὶ νόμισμα, ἐπειδήπερ ἰσοδυναμός ἐστι τῇ Ἰταλικῇ, ἡ καλεῖται δηνάριον, *Attica drachma attendum ad libram & nummariam æſtimationem, ſiquidem æqualis eſt Italicæ, quæ vocatur denarium.* Alibi drachma hæc appellatur λεπτὸν, æquale ſexaginta aſſariis, ſeu duobus κοδράντους. Drachma porro fuit unciæ pars octava. Uncia enim habuit duos ſtateres, quatuor ſiclos ſeu quadrantes (κοδράντας), octoque drachmas, ſeu λεπτά. Hæc attulimus eum in finem, ut ſolide & citra difficultatem de pretio denarii ſeu drachmæ Atticæ conſtaret. Denarium enim octavam eſſe unciæ partem, ſeu pretium æquale quatuor groſſis Miſnicis (& quod excedit), hinc procul dubio pateſcit. *Lutherus* ſubſtituit voci δηνάριον vocem *Groſchen*, reſpiciens ad valorem groſſorum ætatis ſuæ, qui eos, quibus nunc utimur, pretio multum excedunt. Exemplo ſunt groſſi, quos civitas Brunſuicum cudendos circa annum 1530 curavit. Hi enim noſtros excedunt pondere vicibus ſex & ultra. Anno adhuc 1628 thalerus Brunſuicenſis, major, æqualis fuit 24 groſſis Brunſuicenſibus. Suffecerint hæc de pretio. Diſſerendum nunc eſt de mercede ipſa. Non licet mihi eis ſuffragari, qui ſibi videntur in parabolis, paſſim a Chriſto allatis, enunciata deprehendere haud una, quæ a ſcopo dicentis ſint aliena, nec alium ſpondeant uſum, ac ut ſint loco ornamentorum. Conſtat enim inter omnes, qui cenſentur Chriſtiani, Chriſtum eſſe ſapientiam ipſam, cui quippe id maxime eſt proprium, ut nihil dicat agatve ſine ſcopo & fine; ut propoſitiones orationis ſingulas ad ſcopum

optimum conformet, & ut a phaleris oratoriis abſtineat. Si ad parabolas alias, ab ipſo Servatore prolatas, attentum attulerimus animum, ne minima quidem apparebit propoſitio, cui non inſit debitus & congruens cum ſcopo ſenſus. Et, cum regulæ certæ haud poſſint definiri, quot et quanta ornamenta parabolis ſint adjecta, ſignificantes; nemo non intelligit, quam lubricum & fallax & periculoſum ſit illud Theologiæ parabolicæ momentum, quo nonnulli, mente haud improba moti, expoſitiones parabolarum inſtruunt & prægravant, rati, partes illas, quas ipſi cum evolutione ac interpretatione ſua in concordiam nequeunt redigere, in ornamentorum loco eſſe ponendas, ea fini prolatas duntaxat, ut auditori ſcena parabolæ ſit grata & amœna. Finge ad hæc, Jeſum parabolas ſuas ornatibus ac lecythis ejusmodi pinxiſſe atque exornaſſe; inde tamen id nondum efficies & credibile reddes, Evangeliſtas illis ornamentis memoriæ prodendis operam ſuam inſumſiſſe, qui ſumma capita & rerum ſummas ſolent exſequi, nec in parabolarum & orationum verbis conſueverunt eſſe longi. Quæ cum ita ſint, haud fruſtra Jeſus in parabola *de operariis in vinea* denarium pro mercede diurna definivit, pro mercede, inquam, laboris, ſatis inæqualiter inſumti. *Denarium* memoravit, eo quod operariorum mercedem diurnam erat ſignificaturus. Ne quis vero exiſtimet, chariſmata & externa gratiæ divinæ documenta pendere ab hominum labore & ſtudio, Jeſus propoſuit ſuis patremfamilias, qui quidem promiſſa haud violat, verum tamen id habet peculiare, 1) ut tribuat aliquid arbitrio ſuo

in denario diſpenſando, 2) ut eis, qui minimam dederant operam vineæ percolendæ, æque impertiat denarium ex ſuperfluo, nec aliter, ac ſi per diem integrum ipſi laborando ſeſe exercuiſſent. Ex qua agendi ratione intelligitur, non eſſe, cur homo meritis ſuis confidat, vel, eorum jucunditate occupatus, aliquid præcipui expetere a Deo, aut ſibi arrogare, debeat. Deus enim haud indiget labore noſtro. Et, ſi quid boni agimus, id viribus a Deo acceptis referimus acceptum. Si quid agimus boni, id nunquam eſt infra debitum noſtrum. Nonne alii, qui nobis videntur trunci & ad laborandum inepti, dummodo ipſis vires, nobis donatæ, impertitæ fuiſſent, labores fortaſſe majores ac utiliores noſtris eſſent ſuſcepturi atque impigre exſecuturi? Multis favet & adjumento eſt occaſio, ut ipſi poſſint præſtantiores cujuscunque generis labores in apricum proferre. Quis vero eſt ille, qui hominum illas opportunitates prævidit ac prædefinivit? Quis occaſiones, agendi bene, bonas homini ſubminiſtrat? Nonne in Dei ſapientiſſimum decretum hic omnia tandem reſolvuntur? Et hæc eſt ratio, cur homines nihil chariſmatum a Deo expetere debeant ultra ac præter alios, qui reipublicæ Chriſtianæ operam præſtiterunt minorem ac breviorem. Deus certe hominibus in hac vita haud distribuit mercedem, *ſecundum opera* æſtimandam. *Petri* erat illa quæſtio: *Domine, reliquimus omnia, & te aſſectati ſumus*, τί ἄρα ἔσται ἡμῖν; *quid igitur inde nobis eſt ſperandum? Quonam commodo damnum noſtrum reſarcietur?* Jeſus vero per parabolam docuit *Petrum* ac Apoſtolos, nihil præcipui, nihil

nihil excellens, in hac vita atque in chariſmatibus quidem a Deo eſſe expetendum, ſiquidem ii ſint Deo inviſi, qui bonis in ipſos collatis minus ſint contenti.

X. Reſtat nobis alia meditatio, a qua fundamentum expoſitionis noſtræ pendet. Explorandum ſcilicet eſt, quinam ſint illi homines, qui per *operarios*, in vineam ire juſſos, deſignentur. Ut huic quæſtioni faciamus ſatis, memoria repetendum eſt, Jeſum nihil inſeruiſſe parabolis, niſi ſcopo conveniens & attemperatum ſaluberrimo. Operarii vero, in vineam arceſſiti ad laborandum, pertinent ad *regnum cœlorum*, hoc eſt, ad œconomiam eccleſiæ poſteriorem (*§. IV*), ad regnum Meſſiæ, ad vineam dilectiſſimi illius, quem *Eſaias* præmonſtraverat *Eſ. V, 1 ſeq.* Tempus vocationis illuſtratur ſpatio diurno, quod Judæi quondam horis duodecim menſurare ſolebant. Hora ſexta in meridiem incidebat; duodecima ferebat noctem primam. Operarii primi vocati fuerunt circa ipſum diem albentem ac diluculantem. Operarios ſecundos dicitur paterfamilias inveniſſe in foro ſtantes, & quidem otioſos, eosque, mercede propoſita ſatis juſta, in vineam laboratum ire juſſiſſe. Parabola accurate quadrat ad mores ætatis priſcæ, ſecundum quos in foris verſabantur homines otioſi, nec laboribus intenti. Commodum ſuccurrit locus *Plauti*, qui in *Curculione Act. IV Sc. I v. 14 ſeq.* hæc habet:

*In foro infimo boni homines atque dites ambulant*
*In medio propter Canalem, ibi oſtentatores meri,*
*Confidentes, garrulique, & malevoli ſupra Lacum,*
*Qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam,*
*Et qui ipſi ſat habent, quod in ſe poſſit vere dicier.*

Paterfamilias hic ita inducitur loquens, quemadmodum illud Deo ſummo eſt dignum. Perhibetur enim illis, qui opere vacabant, & in foro verſabantur, rebus novis captandis intenti, dixiſſe: *Abite & vos in vineam, &, quicquid juſtum æquumque fuerit, vobis dabo.* Hinc invitaſſe fertur hora ſexta & nona operarios alios ratione prorſus eadem. Ultimos vero vocavit hora undecima, id eſt, cœlo jam adveſperaſcente, illos, qui per diem totum otioſi in foro ſteterant, tempusque conſumſerant nugatoriis cauſis. Otii ſui male collocati rationem proferre ultimi perhibentur, rati, ſeſe a nemine fuiſſe conductos, ac propterea inertiam ſuam excuſari poſſe. Omnibus hiſce nomen eſt operariorum, ἐργατῶν. Illi, qui onera portabant, ac faſces graves ex uno loco in alterum transferebant, vocari ſolebant ἐργάται. *Heſychius*, qui ſignificatum hunc confirmat, ſic habet: Ἄγγαρος, ἐργάτης, ἀχθοφόρος. Inprimis illi, qui opera viliora ac duriora in agro colendo, navigiis curandis, potu ciboque parando, hortis purgandis, vinea excolenda, faciunt, & fami diurnæ propulſandæ impendunt manuum laborem, a ſcriptoribus Græcis vocantur ἐργάται. Vocem ἐργάζεσθαι ita uſurpari, exemplis oſtendit Pl. Rev. *Joannes Conradus Schwartzius* m). Addere juvat aliud quoddam ex *Thucydidis Hiſt. III, 50, pag. 199:* Οἷς ἀργύριον Λέσβιοι ταξάμενοι τοῦ κλήρου ἑκάστου τοῦ ἐνιαυτοῦ δύο μνᾶς φέρειν, αὐτοὶ εἰργάζοντο τὴν γῆν. *Quibus Lesbii certam pecuniæ ſummam,*

m) In *Commentariis criticis & philologicis linguæ Græcæ N. Teſt. pag. 564 ſeq.*

*mam, nempe duas minas in ſingulas portiones ex pacto & convento quotannis perſolventes, agrum ipſi colebant.* Deſignatur voce operariorum ac laboris, ad quem ipſi ex pacto erant vocati obeundum, quantum ſtudii ac ardoris ad regnum Chriſti, ejusque civitatem, ſit afferendum. Otio hic non eſt locus; mollitiei & vitæ delicatæ, laborem ſubterfugientis, nulla hic ratio habetur; opus eſt faciendum; fidus labor hic punctum fert omne. Miniſtri eccleſiæ, qui eximio ſenſu vocantur ἐργάται, *operarii, Matth. IX, 37, 38, Luc. X, 2, 2 Cor. XI, 13, Phil. III, 2, 2 Tim. II, 15,* omnino norunt, quis ipſorum ſit ſcopus, & quanto, quamque moleſto & ponderoſo, operi, catenatoque labori, profligando fuerint admoti. Reliquis Chriſtianis opus quoque in vinea patrisfamilias ter maximi eſt faciendum. Norunt ipſi, ſeſe vocatos eſſe, ut per fidem opera amoris & quælibet alia ſalubriora perficiant, *Eph. II, 10, Phil. I, 6, Col. I, 10, 1 Theſſ. I, 3, 2 Theſſ. I, 11, II, 17, 1 Tim. VI, 18, 2 Tim. III, 17, Tit. II, 14, III, 1, Ebr. X, 24, XIII, 21, Jac. I, 25, Ap. II, 5.* Ne vero credamus, operibus noſtris unice conſtare beneficia ac chariſmata Dei, prohibet ratio illa, quam paterfamilias in mercede operariis diſtributa obſervavit.

XI. Tempus, quo labor ab operariis eſt præſtandus, vocatur *dies.* Ineſt voci relatio ad V. Teſt. œconomiam, quæ ob umbras cerimoniarum, & ignorantiam rerum non exiguarum, ſolet cum nocte comparari, *Eſ. IX, 2, Rom. IX, 11, 12, 1 Theſſ. V, 5.* Egregie de hac œconomiæ utriusque differentia commentatus fuit Vir celeberrimus, *Conradus Ikenius,*

 in

in Diſſertatione, quam *de Excubiis patrum exſpectantium mane novi teſtamenti*, Bremæ A. 1724 in lucem emiſit. Nonnihil eodem fine explicavit Cl. *Wernerus* in *Meditationibus ſacris pag. 5 ſeq.* Vates divini hanc differentiam continuo ob oculos poſitam habuerunt. *Eſaias* Judaicam eccleſiam eam ob cauſam ita compellavit *Eſ. LX, 2: Ecce, caligo obtegit illam terram* (promiſſionis), *& tenebræ obrutas tenent nationes. Sed ſuper te oritur Jehovah,* (ſol ille juſtitiæ *Mal. IV, 2,*) *& ſplendor ejus dilucescit ſuper te.* De regni Meſſiæ initiis ac gloria ibi eſſe ſermonem, ne recutiti quidem Interpretes audent negare. Si mihi propoſitum ac conſtitutum eſſet, illam œconomiæ recentioris cum die illucente ac ſereniori luce comparationem copioſa perſequi oratione, argumentum mihi inde ſubnaſceretur, tractatione quidem digniſſimum, verum tamen ſic conformatum, ut verendum eſſet, ne quis intercederet monitor, diceretque: quis de ea re unquam dubitavit? Initium hujus œconomiæ vocatur בֹּקֶר לֹא עָבוֹת, *mane non nubilum, 2 Sam. XXIII, 4,* ad quem locum conferenda eſt exquiſiti judicii ac laboris Diſſertatio *Simonis Benedicti Tympii de Davidis ultimis verbis, §. 37, 38* [n]). In Parabola noſtra illud *mane* deſignatur per vocem πρωὶ, quæ *tempus, auroram proxime præcedens*, ſignificat. Cum enim ipſe Chriſtus ob inſtaurationem regni in miniſterio ſuo ſpectabili repræſentaverit *ſolem late exorientem*, ideoque vocetur ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, *Luc. I, 78;* perſpicuum ſane eſt, illud πρωὶ, ſeu

n) *Tomo I Theſauri Haſæo-Ikeniani pag. 709 ſeq.*

ſeu ἅμα πρωῒ, *ſummum diluculum* ac *primum mane* denotare, initium ſcilicet melioris inſtrumenti ac œconomiæ. Id vero definire nondum licet, an *dies* ille parabolicus univerſum N. Teſtamenti interuallum deſignet. Reſpiciendum eſt ad epiphonematis illius, *primi erunt ultimi & ultimi primi*, uſum, Chriſto probatum. *Dies* enim, operi dictus, præteriit, ſimul ac ultimi evaſerunt primi, & primi evaſerunt ultimi, quod vaticinium ipſo Hieroſolymorum excidio fuit completum. Cum Jeſus parabola pellucidiori hoc ipſum indicavit *Matth. XXII*, 1. *ſeq.* ſubjecit id epiphomena, quo hic etiam fuit uſus: *Multi ſunt vocati, ſed pauci ſunt electi.* De periodis gratiæ, ſingulariter vocantis, usque ad excidium templi Hieroſolymitani hic diſſerere Chriſtum, hiſce argumentis confici poſſe, vix exiſtimo dubitandum (*§. II*).

XIII. A nato Jeſu usque ad templi Hieroſolymitani everſionem ſeptuaginta anni effluxerunt. Periodi hujus initium ſeu lux prima non poteſt non in *Simeonis*, *Hannæ*, & *Eliſabethæ*, paſtorum Bethlehemiticorum, ac *Joannis* Baptiſtæ, ætatem incidere. Succeſſit hora tertia, vocatione nova & repetita illuſtris. Ante periodi illius medium vocationem illam contigiſſe oportet. Succeſſit hora ſexta, ſeu meridies, pars media periodi illius, excipiens proxime tempus Jeſu, in vitam revocati. Subjicitur mentio horæ nonæ atque undecimæ, qua vocationem ſingularem accidiſſe, obmurmurationibus primo vocatorum paullo poſt exceptam, Jeſus docet. Quinque memorantur periodi illius partes, quas præcipuam ob rationem, & propter diverſum

quinque vocationum excellentiorum genus, Jeſum ita diſtribuiſſe, facili negotio credent illi, qui norunt, in ſummam ſapientiam haud cadere verba, temere vel ornatus tantum reſpectu prolata.

XIII. Simul ac vero in periodum illam intuemur, quinque vocationes ad vineam Dei ſeſe nobis ſponte offerunt. Nulla hic arte, nullis exquiſitis ratiocinationum deductionibus, nullis reconditæ doctrinæ præſidiis, ad illas exquirendas ac determinandas eſt opus. Primo quidem *Zacharias*, *Eliſabetha*, ſtella mirifica, laudes angelorum, eorumque claritas in aere, paſtorum adventus, Magorum e terris disjunctis acceſſus, *Simeonis* ac *Hannæ* teſtimonia, reſponſum ſynedrii datum *Herodi Magno*, Judæis exſtiterunt totidem ad vineam Chriſti invitamenta & exhortationes, quibus confirmandis poſtea *Joannes* Baptiſta pondus addidit, claris verbis Judæos vocans. Et hæc quidem ad Judæos, ſummo mane vocatos, quadrant. Paullo poſt Jeſus ipſe Judæis ſeſe exhibuit Prophetam, & ad eos ſolos direxit o) cœtum duodecim Apoſtolorum, nec non diſcipulos ſeptuaginta p). Vocati ſunt ſic nova plane exhortatione denuo quidem Judæi, &, quo minus hic ad Romam tertiam reſpiciamus, nihil nobis eſt impedimento. Qui itaque arceſſiti fuerant primi, erant Judæi, invidum, & avarum, & bonis conſpicuis inhians, & arrogans, illud hominum genus. In medio periodi illius intervallo nova & memorabilis exſtitit vocatio, qua homines ad vineam

o) *Matth. X, 5, 6, 7, 8.*
p) *Luc. X, 1 ſeq.*

neam Chriſti ſunt invitati. Opportune ſuccurrit memoria Samaritarum, qui miniſterio *Philippi*, *Petri*, ac *Joannis*, conſpicua Spiritus Sancti demonſtratione ad vineam Chriſti vocati, atque magnam partem adducti fuere q) anno Chriſti nati 35, ſeu 36. Huc usque extraordinaria vocatio ad Judæos ac Samaritas directa fuit. Progreſſa fuit illa tandem ad eos, qui quidem unicum colebant Deum, de reliquo tamen nec circumciſionis fœdus, nec compagem œconomiæ *Moſaicæ*, ſuſceperant. Deſignari a me proſelytos portæ, genus hominum, medium inter gentes, Diis commentitiis deditas, & Judæos, nemo ambigit. *Cornelius* centurio ex hoc erat genere, ad cujus vocationem *Petrus* oſtento inſigni præparabatur. *Cornelium* exſtitiſſe proſelytum portæ, argumentis nonnullis in medium allatis, facile intelligitur. *Cornelius* enim annumeratur eis, qui haud erant circumciſi *Act. XI, 3*, qui gentibus accenſebantur *X, 45, XI, 1*, de reliquo autem erat εὐσεβὴς καὶ φοβούμενος τὸν Θεὸν σὺν παντὶ τῷ οἴκῳ αὐτοῦ, *pius ac reverens Dei cum omni familia ſua*, *X, 2*. Proſelyti portæ vocabantur a Judæis יראי האלהים, *reverentes Dei*. At gentes, cultui Deorum mancipatæ, nunquam hoc elogio afficiuntur. *Paulus* eos vocat r) potius ἀπαγομένους πρὸς τὰ εἴδωλα τὰ ἄφωνα, *abductos ad mutos Deos commentitios*. *Joſephi* magnifica illa eſt vox s) apud interpretem Alexandrinum: Τὸν Θεὸν ἐγὼ

 φοβοῦμαι,

q) *Act. VIII, 5, 14, 25.*
r) *1 Cor. XII, 2.*
s) *Gen. XLII, 18.*

φοβῦμαι, *Deum revereor.* Hæc in gentes, a vero Dei cultu averſas, haud congruit formula loquendi. Si quis inter has eſt pius, is dicitur ὁ τοὺς Θεοὺς τιμῶν, *Deos honorans* t). Quam quidem ob cauſam Vir quondam præſtantiſſimus, *Joannes Fechtius* u), Cel. *Chriſtophorus Matthæus Pfaffius* x), ac amicus olim noſter maxime colendus, *Joannes Chriſtophorus Wolfius*, y) recte contenderunt, *Cornelium* tanquam proſelytum domicilii ſacra Judæorum cognita habuiſſe & magni feciſſe. Non iviſſet *Petrus* communicatum cum eo ſponte ſua doctrinam Evangelii, niſi peculiari eum viſo Deus inſtruxiſſet. Aliena profecto & vix ferenda videbatur hæc actio eis, qui e Judæis ad Jeſum ſancte obſervandum colendumque ſeſe converterant. Apologia ſingulari ſeſe erga eos præmunire *Petrus* ducebat neceſſum, ne ſodalibus & melioris ſpei ſociis offendiculi quid inſtillaret. Vocatio itaque proſelytorum portæ fuit articulus & pars periodi ejus, quam determinavimus, inſignis ac commemorabilis. Ultimorum, quos benigniſſimus Servator prænuntiavit fore primos, claſſem jam attingere & ſubjungere oportet. Hos vero eſſe ipſos, qui e gentibus variis Diis mancipatis Apoſtoli ad doctrinam Chriſtianam evocarunt, omni vacuum eſt dubitatione. Pars hæc fuit periodi indicatæ poſtrema. Ad vocationem hanc ſuſcipiendam *Paulus* & *Barnabas* ſingulari ratione

fuerunt

t) *Xenophon* in *Memor. Socr. IV pag.* 640.
u) In *Diſſ. de Pietate Cornelii centurionis, Roſtoch.* 1701.
x) In *Diſſ. peculiari de Cornelio centurione.*
y) In *Curis philologicis et criticis, ad Act. X,* 2, *pag.* 1150.

fuerunt inaugurati *Act. XIII*, 2, 3, 4. Ipſi vero, a Judæis repudiati in inſula Cypro, progreſſi fuerunt ad lucrifaciendos Chriſto cultores ſimulacrorum & gentes a cultu unius ejusque veri Dei alienas *v.* 46, pulveremque e pedibus verſus Judæos excuſſerunt *v.* 51, teſtaturi, Judæos Deo minus probari. Antequam *Paulus* tantum opus ſuſciperet, in ecſtaſin raptus fuit, quam memoravit *2 Cor. XII 1 ſeq.* z), firmitate divina contra maximas perpeſſiones & obtrectationes præmuniendus, ac arcanum illud, quod nondum fuerat patefactum, de gentibus, citra œconomiæ *Moſaicæ* obſervationem ad Chriſtum adducendis, condocefaciendus. Supputatio 14 annorum certe huc quadrat. Expoſitionem hanc corroboramus facile argumentis non contemnendis. Epiphonema illud de multis vocatis, paucis vero electis, alibi hunc in finem affertur, ut perſpiciatur, Judæos quidem eſſe ſollicite vocatos ad cœlorum regnum, noluiſſe autem plerosque eorum hortantibus morem gerere. *Ultimi* ſunt illi, qui ad poſtremum erant vocati, & qui in locum primorum erunt ſucceſſuri, in peculium Dei ſuſcipiendi. Nemo negat, hoſce fuiſſe fideles Chriſti diſcipulos, e multitudine gentium evocatos & adſcitos. Nulla alia expoſitio ad hunc Chriſti ſcopum noſtra, quam attulimus, eſt accommodatior. Hanc qui deſeruerunt, parabolæ partes inſignes non potuerunt non in locum ornatus exterioris rejicere, & citra ſpecialem evolutionem dimittere intactas. Quod rurſus

z) Ven. *Joachimus Langius in Einleitung in die Briefe des Apoſtels Pauli Cap. I* §. *15 pag. 5.*

ſus commemorabile maximique momenti eſt pro ſtabilienda expoſitione noſtra, in qua nihil aſſumitur otioſi, argumentum.

XIV. Ex expoſitione hac porro pateſcit indoles eorum, qui obmurmurabant patriſamilias, Deo ter optimo, ejusque præfecto domus, qui eſt Chriſtus, *Ebr. III*, 2. Jeſus enim fidelis fuit Patri in univerſa ejus domo. Præfectus domus vocatur alibi ὁ ὢν ἐπὶ τῆς οἰκίας, *Gen. XLIV*, 1. Hic vero vocatur ἐπίτροπος. Conf. *Gal. IV*, 2. Judæi erant ad tempus pubertatis legitimum, a patre prædefinitum, ἄχρι τῆς προθεσμίας [aa]), ſub tutoribus ac curatoribus. Quare in parabola quoque noſtra inducitur procurator, ἐπίτροπος, Chriſtus [bb]), qui Judæis quaſi impuberibus, nec dum a mole cerimoniarum emancipatis, mercedem diſtribuere, & chariſmata ſpiritus, cum aliis converſis communia, diſpenſare ſtudebat. Fecit is diſpenſationis initium ab ultimis, ut primos arrogantiæ & invidiæ ſuæ, ac confidentiæ, in opera ſua bona defixæ, convinceret, & ipſis ſententiam irrogaret judicialem. Ultimis æque denarium tribuit, eadem dat chariſmata Spiritus Sancti, eadem impertit eccleſiæ dona. Primi autem id ægre tulerunt. Delineatur Judæorum, ad Chriſti doctrinam evocatorum, indoles prava. Ipſi murmurarunt contra patremfamilias, &, ſeſe ampliora chariſmata meruiſſe, perperam & temere exiſtimarunt, mirati & ægre ferentes,

aa) Ill. *Heineccius in Antiqu. Rom. pag.* 222.

bb) M. *Job. Rudolphi Kieslingi Diſſ. de Procuratore in vinea Domini, ad illuſtrandum Matth. XX*, 8. Lipſ. 1740, 4.

ſerentes, vocatos e gentibus ſibi æquiparare, *Act. XI, 2, 3, XV, 1, 2, Gal. II, 3 ſeq.* Iniquo ipſi animo tolerabant chariſmatum æqualitatem, rati, ſibi deberi principatum ac prærogativam, qui non ſine moleſtia portaverant onus cerimoniarum, veluti diei fatigationem ac æſtum. Sero acceſſerant vocati e gentibus ad doctrinam Chriſtianam, nec adacti fuerant ad ſuſcipiendam circumciſionem & reliquam legis cerimonialis molem. Nec eo ſecius dignabatur eos chariſmatibus eisdem, ac Judæos, Deus. Hinc Judæis nauſeandi & conquerendi occaſio fuit ſubnata.

XV. At querelæ ipſorum erant injuſtæ, & in viciſſitudinem triſtem abibant. Iniquitas querelæ ipſorum primo patet conſpectu. Deus eis dederat, quæ ipſis fuerat pollicitatus, & quicquid ipſis ex fœdere & pacto debebat. Nihil certe amplius ipſi poterant deſiderare, & quodam jure ſuo poſcere. Ipſis non erat integrum, gratiæ divinæ & ſapientiæ ſummæ leges & præſcripta opponere. Deo patebat jus agendi de gentibus ad Chriſtum evocatis pro arbitratu. Domeſticis ſuis hic poteſt donare & diſtribuere, quæ judicat ſalubria. Huc ſpectant verba: *Nonne licet mihi feciſſe, & adhuc facere,* (ποιῆσαι) *quod volo, erga meos* (ἐν τοῖς ἐμοῖς)? Sociorum non eſt, invido oculo limare & faſtidire ea, quæ fratri ac ſocio aliunde obveniunt bona indebita. Gaudendum potius eſt quacunque bonitatis diſpenſatione. Viciſſitudo triſtis & ſententia judicialis, ſtatus Judæorum futuri prænuntia, a Chriſto ſubjungitur. Ipſe inducitur ita loquens: Ἆρον τὸ σὸν, *tolle id, quod tuum.* Ad denarium ex pacto debitum

bitum hæc verba vulgo trahuntur. Crediderim potius, ſenſum ſubeſſe: *res tuas tibi habe*, inſtrumentum laboris ſuſcipe, ſarcinas collige, vaſa compone, ad abitum te para. Additur enim illico: *& abi*. Subnectitur deinde duplex epiphonema, unum de multis, qui vocati erant, repudiandis, ac de primis foras mittendis, quibus poſtremum vocati ſint ſubſtituendi. Vaticinium epiphonemati utrique ſubeſt ſatis ſuperque luculentum. Gentes enim, ad Chriſtum vocatæ, in peculium Dei aſſumtæ, principatum regni gratiæ obtinuerunt, Deique redditæ ſunt peculium. Ii vero, qui non niſi electos exiſtimant vocatos eſſe, decernant neceſſum eſt, totidem eſſe vocatos et electos.

XVI. Omnia, ni magnopere & vehementer fallimur, in expoſitione allata fluunt & cohærent. Nulli propoſitioni vis infertur. Singula pronuntiata ſcopo reſpondent. Hiſtoria gentis Judaicæ Apoſtolica expoſitioni noſtræ congruit. Eventus ipſe haud abludit. Id vero parabolæ, juſta & recta expoſitione, prouti decet, perfuſæ, proprium eſt, ut ſingulæ partes finem primarium contingant, & mutuam ſibi fœnerentur lucem. Expoſitio niſi ejusmodi firmo ſtet talo, niſi hæc expoſitionis lex ſit genuina, nulla tunc profecto erit firma & recta. Noſtrum vero eſt, in Judæorum indolem illam, obmurmurationis invidiæque plenam, tanquam in ſpeculum, intueri, ut contenti ſimus patrisfamilias benignitate, ut in ejus voluntate ſereni lætique acquieſcamus, ut ei pro donis, quæ cum eccleſia ſua communicat, gratias agamus, libenterque moleſtiis, in vinea propoſitis, defungamur, licet haud appareat

præcipuum

præcipuum præmium laboris. Medicina enim & antidotum plerisque contra improbitates eſt gravitas afflictionis, & moleſtia laborum. Deus luxuriaturos alioquin animos duritie & fatigationibus ad meliora deducit, & a vitiis revocat ad frugem. Merces hæc eſt ſatis larga & benigna, qua ſi careremus, fortaſſis ſempiterno gaudio, & præparatione ad illud ſapientiſſima, nobis eſſet carendum.

## II.

# J. C. S. IRONIA A JESU ET DISCIPULIS EJUS ABJUDICATA.

Ironia eſt ratio quædam loquendi, a mente loquentis ſtudioſe diſtracta. *Ειρων* quidem Græcis dicitur, qui aliter ſentit, ac loquitur. Atque hic quidem ſtudio ſermonis a mente diſtrahendi multi ſe dedunt homines, ſed odium fere & ſimultates pro amore inveniunt, & in ſuſpicionem improbitatis cadunt. Finis enim ironiæ fere eſt, ut ſententia ejus, quicum loquimur, inſidioſe exploretur, quo ſenſim ea vel ad noſtra, vel ad aliena, commoda callide uti poſſimus. Nonnunquam tamen ironia emanat ex animo ejus, qui vel ſapientiæ & virtutis & felicitatis ſuæ opinione clanculum alios irridet, vel veritatem ingenuam contemnit, vel ſubito leporis dicteriique impetu ineptias prodit rerum ſuarum. Hæc autem omnia vitioſitatem quandam animi declarant,

clarant, ac proinde a ſinceritate & humanitate remotæ ſunt. Quo magis mirum eſt, homines Chriſtianos ex inſalubribus veterum Græcorum & Romanorum fontibus ironiam in ſuos hortulos derivaſſe, imo etiam magiſtro ſuo affinxiſſe, cujus ſapientiam, modeſtiam, ſanctitatem, veritatem, amoris exſuperantiam, omnes agnoſcimus ac prædicamus. Operæ igitur pretium fortaſſe fecerimus, ſi exempla iſta, quæ vulgo ironiæ ſuſpicione & culpa contaminantur, ſtrictim conſideraverimus. Ita enim abſtergemus nomini Jeſu maculam, quam temeritas ei & inconſiderantia inurere auſa eſt.

*Matth. XXVI*, 45, irriſionis vim habere videntur verba illa: *Καθεύδετε τὸ λοιπὸν καὶ ἀναπαύεσθε.* Obliti ſunt hic ii, qui ironiam fingunt, a magiſtris anxiis & ſollicitis diſcipulos eos, qui alieniſſimo tempore quidpiam ſperant, interrogando caſtigari. Interrogationes enim revocant diſcipulis in memoriam veteres magiſtri admonitiones, præceptiones, præſignificationes. Ergo hic quoque Chriſtus interrogaſſe putandus eſt: *Καθεύδετε τὸ λοιπὸν καὶ ἀναπαύεσθε; Dormitis in reliquum & requieſcitis? Ecce advenit hora, cum in ſceleratorum manus trador.* Τὸ λοιπὸν *proximum tempus* ſignat, ut *reliquum* ſæpe apud Latinos, imitatores Græcorum. Vid. *Polybius de Virtut. pag. 1457.* Subintelligitur *εἰς*, quod addit *Diodorus XVI pag. 428.* Ipſa autem interrogatio multo majorem orationi vim addit, quam irriſio. Atque ipſum temporis illius triſtis ac turbulenti periculum excludebat irriſionis facetias. Lepida irriſio animi arrogantis, ſuperbi,

effrænati,

effeminati, præſidentis eſt infelicitatis extremæ, perturbationis, anxietatis, ſollicitudinis acerbiſſimæ non eſt profecto. Quo magis affectuum humanorum rerumque natura conſiderata fuerit, eo minus de ironia Chriſti temporibus illis cogitabimus.

*Matth. XXVI, 50*, verba: ἑταῖρε, ἐφ' ᾧ πάρει; nihil minus continent, quam ſententiæ veræ diſſimulationem. Nam *Judas* ἑταῖρος Chriſti ad id usque tempus fuerat. Quid igitur erat, cur tum non ita appellaret Chriſtus? *Socii*, *comitis*, *familiaris*, nomen non ſubito perit in primordiis inimicitiarum, diſſidiorum, proditionum. Exoleſcit conſuetudo & familiaritas ſenſim & meditate.

*Marc. VII, 9:* Καλῶς ἀθετεῖτε τὴν ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ, ἵνα τὴν παράδοσιν ὑμῶν τηρήσητε; *An bene abrogaſtis præceptum Dei, ut majorum veſtrorum decreta ſervetis?* Ipſiſmet Phariſæis perpendendas dat rationes ipſorum. Quærit, an ſuo in Deum officio ſatisfaciant. Hujusmodi quidem *communicatio* maxime valebat ad tentandam Phariſæorum religionem. Cum enim ad noſtram ipſorum conſcientiam, judicium, exiſtimationem, provocatur; tum demum veritatis vis maxime animadvertitur. Καλῶς erat olim formula approbationis eorum, quæ collocutor propoſuerat. Fortaſſe igitur Phariſæus quidam, ut fit, ad defenſionem cauſæ ſuæ attulerat quidpiam, quod magis ad Jeſu, domini noſtri, quam ipſorum, cauſam firmandam pertineret. Approbat id igitur Jeſus; at ſtatim etiam ſubjicit ſententiam ſuam, e media ſapientiæ veritatisque materia expreſſam. Sed prior illa interpretatio nobis magis probatur.

*Luc. XI, 41:* Πλὴν τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην· καὶ, ἰδοὺ, πάντα καθαρὰ ὑμῖν ἐστιν. *Sed ea, quæ intus ſunt, miſericordiæ plena date*, id eſt, *efficite. Tum ecce omnia vobis pura ſunt.* Τὰ ἐνόντα ſunt ea, quæ Chriſtus paulo ante τὸ ἔσωθεν ὑμῶν appellavit. Τὸ ἔσωθεν autem ſunt *interiora animi cogitata & conſilia.* Iſta ſi tam pura fuiſſent, quam patinarum exteriora; omnia vere pura fuiſſent, ut Chriſtus teſtatur. Ἐνόντα vocat *Hippocrates de veteri medicina Cap. 36 pag. 35, quæ in corpore humano inſunt.* Ac *Plato Conviv. pag. 320* ἐνόντας ἔρωτας dixit. Fateor, Latinis paulo duriorem videri locutionem, *dare interiora ſua eleemoſynam:* ſed Græce intelligentibus nihil hic aſperi apparet. Id quod alibi copioſius docebimus.

*Luc. XV, 7:* Λέγω ὑμῖν, ὅτι οὕτω χαρὰ ἔσται ἐν τῷ οὐρανῷ ἐπὶ ἑνὶ ἁμαρτωλῷ μετανοοῦντι, ἢ ἐπὶ ἐννενήκοντα ἐννέα δικαίοις, οἵτινες οὐ χρείαν ἔχουσι μετανοίας. Hic ultima verba diſſimulatæ veritatis cauſa adjuncta eſſe dicuntur. Nam ironia eſt diſſimulatio ſimplicitatis & veræ ſententiæ judiciique loquentium de quaque re. An igitur juſti demum digni ſunt, de quibus in re ſeria longe aliter loquatur Chriſtus, ac ſentiat? An mirum eſt, juſtos minime juſtos lætandi materiam non præbere Deo? Et Chriſtus tamen comparat Angelorum gaudium de pœnitentibus cum eorundem gaudio de juſtis, quos nemo dubitat Angelis eſſe gaudio. An χρείαν οὐκ ἔχειν μετανοίας idem valet atque οὐ δοκοῦσι χρείαν ἔχειν; An μετάνοια non potiſſimum dicitur de iis, qui errores & ſcelera ſua palam profitentur, vel qui maxima & atrocia ſcelera deteſtantur, novum vitæ genus amplexi? An nulli ſunt, quos

gratia Dei a gravioribus peccatis abſtinet, ut vitæ hujus pœnitere non neceſſe ſit? An, qui vera Dei juſtitia perpetuo nituntur, Deo tam inviſi ſunt, ut ſceleratis, qui conſilia immutarunt ſua, poſthabendi ſint? Nonne igitur (ſit verbo venia) ſatius fuerat ſceleribus primum inquinari, tum liberari, ut gaudium cœleſte exiſtat? An non igitur rectius gaudium hic cogitamus tale, quale Regum eſt, cum a perfido turpiter olim offenſi fide ſenſim majore & jucundioribus quotidie factis leniuntur & exhilarantur? Cum enim honeſtiſſima facta priſtinæ perfidiæ maculam eluerunt; tantum ſubito gaudium exiſtit, ut perpetua fidelium miniſtrorum virtus nihil tale procreet. Gaudium ex virtute inſperata inſigne naſcitur; ex perpetua conſtantia & virtute inveterata nullum pæne, ſaltem obſcurum, naſcitur. Obſcurum autem quicquid eſt, vix nominis ſui tuetur dignitatem. Sic drachmæ, quæ non periere, nihil habent oblectationis, nihil gaudii. Quæ contra perierant aliquamdiu, eæ nobis lætitiam afferunt inventæ. Drachmis autem iis, quæ non fuerant deperditæ, comparantur juſti ii, qui ob ſingularem peccatorum cautionem neceſſe non habent hujus ſui inſtituti pœnitentiam agere. Vere & recte & ſapienter *Joannes 1 Epiſt. I, 8, 9*, mentem magiſtri ſui declarat. *Ἐὰν εἴπωμεν ὅτι ἁμαρτίαν οὐκ ἔχομεν, ἑαυτοὺς πλανῶμεν, καὶ ἡ ἀλήθεια οὐκ ἔστιν ἐν ἡμῖν. Ἐὰν ὁμολογῶμεν τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν, πιστός ἐστι καὶ δίκαιος, ἵνα ἀφῇ ἡμῖν τὰς ἁμαρτίας καὶ καθαρίσῃ ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἀδικίας. Juſti* igitur hoc loco ſunt, quibus peccata ſunt remiſſa, & quos Deus injuſtitia purgat, tributa filii ſui Jeſu juſtitia.

Hos tales autem hujus ſui ſtatus pœnitere neceſſe non eſt.

*Jo. III, 10:* Σὺ εἶ ὁ διδάσκαλος τοῦ Ἰσραὴλ, καὶ ταῦτα οὐ γινώσκεις; Hæc interrogatio nihil habet animi, ſententiam diſſimulantis, ut mihi quidem videtur. Nam & magiſter erat Judæorum, & ignorabat neceſſitatem regenerationis. Non eſt neceſſe, ut per *Iſraelem* tantummodo *homines vere divinitus illuſtratos & perpurgatos* intelligamus. Nam *Iſrael* ſignat interdum promiſcuam Judæorum multitudinem. Vid. *Rom. IX, 31, X, 1.* Ac ſatis magnum erat & honorificum, doctorem eſſe Judaicæ gentis, quamvis florem illum & ornamentum gentis Judaicæ, hoc eſt, homines vere Deo devotos, vere a Deo delectos, Deo probatos, Deo plenos, non efficeret *Nicodemus.*

*Jo. VII, 28*, verba iſta leguntur: Κἀμὲ οἴδατε, καὶ οἴδατε, πόθεν εἰμί. Καὶ ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐκ ἐλήλυθα, ἀλλ' ἔστιν ἀληθινὸς ὁ πέμψας με, ὃν ὑμεῖς οὐκ οἴδατε. Nihil hic, ſalvo acutiorum judicio, niſi vere, & ex animo, & ſimpliciter, dictum. Nam triplex erat hominum genus, quod alloquebatur Jeſus. Unum, quod integritatem & ſanctitatem morum Jeſu vindicabat, *Jo. VII, 12.* Alterum, quod improbitatis Jeſum haud dubitanter accuſabat, *Jo. VII, 12.* Tertium, quod dubitatione diſtrahebatur, & animo fluctuabatur, *Jo. VII, 25, 26, 27.* Primi illi divinitatem Jeſu agnoſcebant, et a Jeſu magis magisque edocti erant & confirmati, *Jo. VII, 16 ſeq.* Ceteri, uti humana modo ſpectabant, ita patrem Chriſti, *Joſephum*, fabrum, & matrem, *Mariam*, & cognatos ejus, noverant, & ſe noviſſe proteſtabantur.

Sed

Sed animi horum divina veritate non erant colluſtrati. Nec Jeſus ea pueritiæ & adoleſcentiæ felicitate uſus erat, ut ab omnibus, ſpe auxilii divini nixis, muneri & auctoritati divinæ deſtinaretur, cum præſertim mirifica illa Angeli prædicatio, de qua *Luc. I, 32, 33, 35*, ſcripſit, nondum in vulgus ſatis emanaſſet. Chriſtus autem recte & ſapienter clamat, ſe a fabro patre ad obſcuriſſimam pariter & ſaluberrimam veritatem docendam, ad ſumma & plurima miracula edenda, ad virtutem omni laude majorem demonſtrandam, applicari non potuiſſe. Ergo clarum eſſe putabat, eum, qui per ſe hæc omnia perficere ſtatuerat, teſtimonio veritatis ſuæ uſum, majeſtatem potentiæ & bonitatis ſuæ illuſtrare. Hæc cum ita ſint; aliqui eorum, ad quos Jeſus dicebat, oratione convicti, noverant Jeſu perſonam, & ejus patrem non noverant. Hac diſtinctione uſi, facile caremus ironia, quam aliqui hic ſuſpicantur.

*1 Cor. IV, 8*, etiam ad ironiam, credo, trahitur. Verba *Pauli* ſunt: Ἤδη κεκορεσμένοι ἐςὲ; ἤδη ἐπλουτήσατε; χωρὶς ἡμῶν ἐβασιλεύσατε; καὶ ὄφελόν γε ἐβασιλεύσατε, ἵνα καὶ ἡμεῖς ὑμῖν συμβασιλεύσωμεν. *Paulus* paulo ante a ſuperbia & arrogantia ad moderationem animi traducere voluerat Corinthios. Revocabat igitur eis in memoriam & humanarum & divinarum rerum conditionem. Utrobique nemo quidquam habet, quod non aliunde ſit profectum. Ne vita quidem aut divina aut humana, non modo bona vita, a nobis ad nos pervenit. Alienis autem bonis nemo gloriatur ſanus. Quærit igitur *Paulus*, an jam plenitudine bonorum divinorum fruantur; an locupletati jam ſint; utrum

 regnum

regnum Dei ab ipſis, an ab legatis Jeſu, ad ipſos profectum ſit. Optandum quidem eſſe, ut regnum illud obtineant. Ita enim fore, ut aliqua beatitatis pars redundet ad doctores ipſorum, & veritatis divinæ profeſſores. Si interrogatio ex priore orationis *Paulinæ* parte tollatur; frigere videtur illud *καὶ ὄφελόν γε ἐβασιλεύσατε*. Interrogationi quidem optatio belle ſubjungitur. Nam quod illa clam et vafre negat, id hæc aperte & penitus præcidit cum teſtificatione animi liberalis ac benigni.

*2 Corinth. X, 12*, verba: *Οὐ γὰρ τολμῶμεν ἐγκρῖναι ἢ συγκρῖναι ἑαυτούς τισι τῶν ἑαυτοὺς συνιστανόντων*, ironiæ veſtigia habere videntur nonnullis. Sed, ironia hic ſi uſus eſt *Paulus*, annumeravit ſe & comparavit hominibus, ſe ipſos oſtentantibus. Quod quam ſermoni ejus & ſtudio parum ſit conſentaneum, per ſe quisque intelligit. Ego nihil hic diſputabo.

*2 Cor. XI, 19*, hæc: *Ἡδέως γὰρ ἀνέχεσθε τῶν ἀφρόνων, φρόνιμοι ὄντες*, ironias crimine onerantur. Sed *Paulus* vere & ſimpliciter ſentire videtur, nihil diſſimulanter. Nunquam enim fit, ut inſipientes ferant gloriolam inſipientium. Ii enim alienam gloriolam omnem ſuam interpretantur deſpicientiam. Ut enim re vera nihil habent ſapientiæ, niſi opinatæ & commentitiæ; ita per contemtionem & refutationem repreſſionemque alienæ gloriolæ exiſtimationem & magnitudinem ſuam amplificare ſtudent. Prudentis vero hominis animus ad oſtentationem alienam quædam qualis Marpeſia eſt cautes. Illa ipſa injuriarum exempla, quas *Paulus* commemorat Corinthios accepiſſe & æquo animo tuliſſe,

ſapien-

ſapientiam illorum ſatis declarant. Nam, quin iſta omnia illis evenerint, nolim equidem dubitare.

*2 Corinth. XII, 13:* χαρίσασθέ μοι τὴν ἀδικίαν ταύτην, erat non tam *Pauli* formula loquendi, quam communis illorum temporum lepos, qui inter elegantes & polituloſ noſtræ ætatis etiamnum viget. Omnino verba illa a ceteris *Pauli* verbis per parentheſin fuerint ſejungenda, ut orationi ſuum conſtet decus, ſua cohærentia, ſua vis & elegantia. Nam otio ſe Corinthiis negat moleſtiam ullam attuliſſe, nec tertio adventu magis ſe iis moleſtum fore præſignificat. Iſte igitur communis polituloſrum ingeniorum lepos obiter & belle aſpergi cœpit, & a ſermone vero artificioſiſſime ſecernitur. Vides igitur, ironiam nos aliquam non præfracte negare, ſed modo ita negare, ut nulla ad *Paulum* irridentis animi exprobratio pertineat. Cara mihi domini noſtri Jeſu, cara diſcipulorum ejus, exiſtimatio eſt; ſapientiæ, ſimplicitatis, modeſtiæ, humanitatis, veritatis, laudem integram per nos eſſe volo & incorruptam. Hoc unum diſputationi huic propoſitum eſt. Ei veritas ſuffragari videtur. Huic deſerviſſe jucundum eſt & honeſtum & ſalutare. *Socratis* ratio docendi propter ironiam, ſi non ridicula viſa eſt audientibus, at riſum tamen ſæpe movit. Eadem igitur ſuſpicione nolim onerari ne minimam quidem partem ſapientiæ & præceptionis Jeſu & diſcipulorum ejus. Omnino elegantior ſententia, quæ ex noſtra locorum ironiæ ſuſpectorum interpretatione naſcitur, veritatem noſtræ ſententiæ ſatis declarat. Quare nolumus eſſe longiores.

III.

# CHRISTOPHORI SAXII, A. M.

## ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ ΦΙΛΟΛΟΓΙΚΗ

SIVE

## STRICTURÆ IN NUPERUM FRANCI CUIUSDAM LIBELLUM

DE

# INCERTO HISTORIÆ ROMANORUM ANTIQUISSIMÆ.

## *SECTIO I.*

Etiamſi ea ſit Philoſophiæ laus, ut aut nullam ſine hujus artis inſtitutione, aut difficilem certe, ad doctrinas quaſcunque fieri progreſſionem confeamus, neſcio tamen, an quidquam iniquius, magisque calamitoſum reliquis artibus, præſertim Hiſtoriæ, eſſe poſſit, quam perverſa, limitibusque ſuis egreſſa, philoſophandi ratio. Duplex enim eſt humanæ cognitionis genus, alterum ab intelligentia, & mente, alterum a ſenſibus, ortum. Illud veri falſive rationes ſubtiliter judicando paratur; hoc rerum in facto poſitarum fidelis memoria perficit. Ex quo ſtatim apparet, tam diſſimilem videri utriusque doctrinæ naturam, ut, niſi mutuis velut officiis hæ duæ artium reliquarum procreatrices juventur, perpetuis ſimultatibus & inimicitiis inter ſe certent neceſſe ſit. Quemadmodum vero duæ gentes liberæ, compoſitis utrinque armis, pacem concordiamque renovare ſolent iis legibus, ut una alteram beneficiis provocet, altera voluntatis in ſe



pro-

propoſitis pignora comiter amplexetur, eaque re-
munerari ſtudeat quam ſimillimo munere; ita optimarum artium, Hiſtoriæ pariter ac Philoſophiæ, finibus regundis, conjunctionique earum arctius firmandæ, nulla lex ſanctior, nulla incorruptior, quam de mutuandis inter ſe opibus lata, ſcribi poteſt. Philoſophorum igitur ſcholis acceptas de *veriſimilitudine* præceptiones, dialecticis regulis acutiſſime definitas, referat Hiſtoria. Eadem profiteatur, habens Philoſophiam eſſe veri indagatricem, errorum fabularumque expultricem, recti pravique judicem idoneam. Sibi tantum laudem honeſtæ ingenuitatis, & fidelem memoriæ omnis ævi cuſtodiam, vindicet. Contra ea autem cavillationibus Philoſophia temperet, faſtumque coerceat, quo inflata, ſe ſolam eſſe beatam, ſuisque tantum fulcris, non alienis ſuſtentari tibicinibus, ſuperbiſſime credit. Muſſant quidem adhuc Philoſophorum nonnulli, nec audent aperte invehi in nobiliſſimas Hiſtoriae partes; interim tamen, cum in res dominari incipiant, quæ in regno eorum nullo modo eſſe poſſunt, nemo eſt tam tardus, tamque hebes, & prope dicam cœcus, quin molitiones eorum aliquando Hiſtoriæ detrimento fore ſuſpicetur. Erit forte Dialecticus aliquis præclarus, qui volet rerum geſtarum veritatem ſuis metiri ratiunculis; non deerit etiam, qui rerum fortuitarum, quæ in facto ſunt, ἀπόδειξιν cupiat, ubi tamen nulla res alia, niſi teſtimoniorum auctoritas, locum habet. Immo non pauci hoc duntaxat verum & evidens judicabunt, quod animi internis quibusdam motionibus concluditur; aliam contra oſtrinæ partem, non

modo non opinabilem, ſed bello velut inteſtino laceratam & fluxam, eſſe, non ſane ſatis explicata ratione contendent. Sed vehementer mirari ſoleo, qui fiat, ut illi *ἀποδείξεως* magiſtri, qui vel maxime ſubtiles videri volunt, nimis jejune nonnunquam de nobiliſſima geſtarum cognitione opinentur, cum tamen facile pateat, contortulas quidem & vibrantes concluſiunculas ventoſis ſæpe diſceptationibus non parum inſervire, ſed ad recte beateque vivendum, atque virtutem, propter quam omnis Philoſophia eſt, ſine morum & vitæ magiſtra nihil conducere. Etenim tenenda eſt omnis antiquitas, exemplorumque vis, qua effloreſcat & redundet juris naturæ & morum diſciplina oportet, quæ niſi & cuſtos inventis cogitatisque rebus, & comes, adhibeatur, per ſe ipſa quanta ſit futura, ſua ſponte intelligitur. At quorſum hæc tanta fabula? Tune adeo puſillos & ignavos unquam Philoſophos fuiſſe arbitraris, ut, ſapientiæ ſtudium ſine Hiſtoriæ ſeminibus fœcundum eſſe poſſe, ſerio crediderint? Minime vero; nihil horum in probos, eruditos, & veræ ſapientiæ cultores, confero. Neque ego is ſum, vel arrogans, vel ridiculus, ut invidiam cuiquam facere velim, ſed, quicquid hic ſcribere ſtatui, id literarum a me cauſa, quarum defenſionem quilibet bonus ſuſcipere debet, ſcriptum eſſe, palam & ingenue profiteor. Quodſi ergo hoc eſt veriſſimum, Philoſophiam fieri multo uberiorem Hiſtoriæ adminiculo, atque ornatiorem, eaque ſumtio, quam dixi, ex ipſis utriusque doctrinæ initiis tam videtur apta & nexa eſſe, ut nihil in hac dialectica ſubtilitas poſſit reprehendere; recte omnino atque ordine

Philo-

Philoſophi faciunt, quod aniles fabulas deſpiciant, & cuilibet rerum geſtarum conſarcinatori aſſenſum præbere nolint. Nihil enim eſt turpius, quam cognitioni approbationem aſſertionemque præcurrere. Multis igitur facultas præcipiendi de veri legibus in univerſum non deeſt; deeſt tamen plerisque in cauſis ſingulis æquum & ſubtile judicium. Oportet enim eum eſſe linguarum Græcæ Latinæque, artis criticæ, rituum, & memoriæ omnis, periſſimum, qui Hiſtoriam, præſertim antiquam, ad legum ſuarum ſeveritatem exigere conatur. His artibus neglectis, verendum utique eſt, ne nimis præcipiter, & iniquam cauſæ nondum ſatis perſpectæ cenſuram agat. Quamvis autem viri eruditi, & ii quidem, qui omne vitæ tempus in literis conſumſerunt, totam hanc de rerum priſcarum fide diſputationem vehementer repudient, quoniam, ut picturæ ab oculorum ſenſu paullo remotioris, ſic rerum, quæ vix e longinquo cernuntur, fallax & anceps judicium eſſe ſolet; hoc tamen ſibi ab aliquot annis Francorum non pauci ſumſerunt, ut aut ſcriptores, nullius antea criminis reos, inaudita ratione falſi accuſarent, aut maximam Hiſtoriæ antiquioris partem ingenioſe laceſſerent. Nolo hic *Joannis Harduini*, viri ceteroquin eruditiſſimi, temeritatem, qua bonis priſci ævi libris illuſit, recoquere. Dictum eſt a me in hanc rem alio loco, & dicentur propediem plura. Eodem referre *Clericum*, *Baylium*, *Mottium*, & alios fidei hiſtoricæ incautiores & lubricos æſtimatores, quorum *Bierlingius* in Commentatione ſua *de Pyrrhoniſmo hiſtorico* [a]) meminit, nonnihil

a) §. 8, 9, 10.

nihil dubitarem, niſi horum ſcripta in promtu eſſent, & ab omnibus fere noſtra ætate ambitioſe legerentur. Verum, hæc & his ſimilia utcunque exiſtimata erunt, haud in magno equidem ponam diſcrimine. Sæpe multumque certe homines doctos, & humaniorum inprimis literarum amantes, de mira, quæ Gallos quosdam nunc invaſit, in rebus geſtis dubitatione conqueri, audio. Ac, ſi quis forte exſtitit præcipua literarum laude inſignis, qui iniqua hæc ſtudia reprimere data opera allaboraverit, neminem ſcio, qui majori animo & dicendi copia his ipſis conatibus obviam iverit, præter doctiſſimum *Perizonium*, qui, ut multa in Oratione ſua *de Fide hiſtorica contra Pyrrhoniſmum hiſtoricum* b) egregie nos docet, ita his potiſſimum verbis utitur, non indignis vel noſtro judicio, quæ hic apponantur. *Proni ſunt*, inquit, *multi in Pyrrhoniſmum hiſtoricum. Inprimis autem magno cum ſtudio Galli quidam ſuis in ſcriptis commendant paſſim & inculcant, quaſi id unice ſibi datum haberent negotii, ut hiſtoriarum omnium fidem & decus convellerent.* Jam, etſi præclare novi, animum, nimis ad credendum proclivem, omnis veri rationes pervertere, facile tamen luxurianti nonnunquam dubitationi modum eſſe ſtatuendum, eamque intra limites ſuos cohibendam, largior. Quare, hanc cauſam ſuam quemadmodum Galli quidam defendere poſſint, ipſi viderint. Enimvero, cum perſæpe intellexerim, nihil acrius mentem ſenſusque velut internos hominis pellicere,

quam

b) Vid. *Orationes ejus varii & præſtantioris argumenti*, nuper ſtudio *F. G. Weſthofii* Lugduni Bat. 1740 collectas, *pag. 114.*

quam venuſtam exempli recti honeſtive picturam, ſemper illi laudabiliter feciſſe mihi viſi ſunt, non tantum, qui veri in hiſtoria reperiendi arſerunt ſtudio, verum etiam qui huic præcipue rerum geſtarum memoriæ conſuluerunt, unde ſat magna bonorum exemplorum copia ad virtutis æmulationem peti ſolet. Si propterea hoc in *cognitione rerum*, docente *Livio*, *ſalubre eſt*, *omnis te exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri*, *unde*, *quod imitere*, *capias*, nemo magnopere mirabitur, quare vetuſtiſſimam reipublicæ Romanæ hiſtoriam defendendam ſumſerim. *Nulla* enim *unquam reſpublica*, *nec ſanctior*, *nec bonis exemplis ditior*, *fuit*, *nec ubi tantus*, *ac tam diu*, *paupertati ac parſimoniæ locus fuit*. Hæc documenta ſummæ frugalitatis, continentiæ, fortitudinis, honeſtiſſimi erga patriam amoris, conſtantiæ, ubi ſuſtuleris, vide, quæſo, etiam atque etiam, ne, dum levitate & inconſtantia ſententiæ tuæ hæc cupis eſſe ἄθυλα, quæ maxime certa ponere debebas, illarum quoque rerum pulcherrimarum, quæ ad morum doctrinam ſpectant, a te ipſo vehementer minuatur auctoritas. Tune eam Philoſophiam ſequere, quæ tantis hiſtoriæ offuſis tenebris confundit res vere & laudabiliter geſtas cum fabulis, privat nos approbatione, ſpoliat judicio, vim præceptionum ἠθικῶν maximopere debilitat? Nullum enim eſt dubium, quin, remotis exemplorum imaginibus, totum hoc tortuoſum & aculeatum diſputandi genus de vita mortalium recte beateque inſtituenda multis modis fiat ſterilius. c)

Cum

c) Recte propterea *Epicuri* diſciplina *Ciceroni* ſtomachum movet, *in veſtris*, inquienti, *diſputationibus*

Cum igitur caveri debeat, ne quiſquam ex immoderata dubitatione in incerti putidam voraginem rapiatur, vel ipſi, qui in hiſtoria Romanorum antiquiſſima quidquam certi eſſe negant, hæc ipſa nobis eripiant vel inſtrumenta vel ornamenta vitæ, doctrinamque morum orbent animo, ignoſcet mihi Vir cetera doctus, nuperus incerti Hiſtorici fautor, quem nominarem, niſi latere, quam nomen ſuum publice profiteri, glorioſius duxiſſet, ſi, eum cum in ſcriptores, & priſca Romanorum tempora, ſubiniquiorem, tum in explicandis Auctorum locis non usquequaque diligentem & acutum, fuiſſe, putaverim. Illud nimirum lucro apponam, ſi, ut ſpes eſt, doctiſſimus Auctor hujus libri rationum noſtrarum vim æquo animo feret. Ut autem neceſſe eſt, lancem in libra, ponderibus impoſitis, deprimi, ſic animus meus perſpicuis lubentiſſime ceſſit. De multis enim eleganter & probe diſputat Auctor, quibus, ut par eſt, non imbecilliter aſſentior. Neque ulla in re certe litem ei moviſſemus, niſi diſerte cum alibi paſſim, d) tum in *Præfatione* libelli ſui, ſcripſiſſet, jus inde ſibi naſci poſſe, univerſam hiſtoriam illorum temporum in dubium vocandi: *L'incertitude de quelques faits importans, qui étans reconnus pour faux, nous mettent en droit de revoquer en doute tout le reſte.* Quæ ratio rebus omnibus fidem

*hiſtoria muta eſt; nunquam audivi, in Epicuri ſchola Lycurgum, Solonem, Miltiadem, Themiſtoclem, Epaminondam, nominari; qui in ore ſunt ceterorum omnium Philoſophorum*, de Fin. bon. & mal. Lib. II Cap. 21.

d) *Diſſertat. pag.* 7, 10, 15, 16, 25, 114, 151, 152, 153, 158, 172, 186.

fidem abrogandi quam periculoſa literis & noxia futura ſit, acutiores me intelligent. Eodem enim pacto unius & item alterius hiſtoriæ fidem ſi quis labefactare volet, nihil facilius eſſet, quam hac concluſiuncula, tanquam baliſta aliqua, arcem veri ſubruere. Sed, ne quis forte in re ſeria & longe utiliſſima ludere nos velle arbitretur, age, intra teli jactum veniamus, &, quoniam omnis, quæ via & ratione ſuſcipitur, diſputatio a quibusdam initiis proficiſci debet, videamus, utrum inſignia veri priſcis Romanorum rebus deſint, an origines, proximaque originibus, falſi poſſint jure argui. Qua in diſputatione nemo a me neceſſitatem mathematicam, aut vanam in rebus geſtis ἀπόδειξιν, poſcat. Habemus enim regulam, ut res ſenſu perceptas non ſubtiliſſima illa Dialecticorum ratione, ſed populari ſolum trutina, pendamus. Ab hac mihi non licet transverſum, ut ajunt, digitum diſcedere. Satis enim eſt, *ſi, quæ ſimilia veri ſunt, pro veris accipiantur*, neque deliberamus, utrum id, quod memoriæ prodiderint ſcriptores, omni difficultate careat, ſed quæritur inprimis, *duobus propoſitis veriſimilibus, utrum ſit veriſimilius*, quod ubi non ſatis perceptum eſt, uteris tu quidem, nihil enim impedio, illa aſſenſionis retentione, quam Græce ἐποχὴν vocant. Ne autem vagari latius, & inani vocum ſtrepitu animos lectorum obtundere, velle videar, meas de *veriſimilitudine hiſtoriæ Romanorum antiquiſſimæ* cogitationes ad leges quasdam, tanquam ad illam cynoſuram,

*Qua fidunt duce nocturna Phœnices in alto,*

dirigere ſtatuo. Quanquam neſcius non ſum,

id,

id; quod de fide hiſtorica in univerſum præcipitur, pæne a Cl. *Eiſenharto* e) non minus, quam perſonato illo *Palignesio*, f) explicatum eſſe, ut tota fere quæſtio tractata videatur; tamen, quoniam hi ipſi elegantes viri latiore ſpecie rationes ſuas elimarunt, operæ pretium duxi, et preſſius, & ad hiſtoriam Romanam accommodatius, idem argumentum nonnullis adſtringere legum vinculis. Hæc autem norma primum quam habeat vim, conſiderate, Lectores. *Valde mihi videntur anguſte de hiſtoriæ natura opinari, qui rumorem conſtantem & famam, præſertim in rerum antiquiſſimarum memoria deceptricem veri, minusque idoneam ad fidem faciendam, teſtem eſſe rentur.* Eſt enim hiſtoria nihil aliud, niſi traditio rerum, vel ſcripto, vel ore, facta, viſis & auditis populariter congruens. Traditio autem fieri nequit, niſi vel ipſis rebus geſtis interſit ſcriptor, quod perquam raro accidere ſolet, vel a multis aliis, idem palam dicentibus, conſilia & eventus rerum audiat. Utrum elegeris tradendi modum, ſolus quilibet, ne decipiamur, providet. Multos novi, tanquam haſtis ſumtis, ſic contorquere, rationemque concludere. Si traditio memoriæ rerum geſtarum cuſtos eſſe poteſt, efficitur, ut per multos quoque annos ſine ullo certo auctore, crebrisque hominum, ut fit, ſermonibus, in majus aucta, eandem ſervet auctoritatem.

e) Cujus *de fide hiſtorica* Commentarius Helmſtadii prodiit A. 1679, 8.

f) Sub quo nomine Perilluſtrem *de Spannagel* latere comperimus. Diſputavit autem de hoc ipſo loco graviter & docte in *Monitis Genealogicis*, Aleſtadii A. 1732, 4, editis.

tatem. Atqui nunquam ſibi certo conſtat rumor, ſed, quemadmodum *Tacitus* g), gravis morum & ſtili magiſter, inquit, *alii quoquo modo audita pro compertis habent, alii vera in contrarium vertunt, & gliſcit utrumque poſteritate.* Eſt ergo maximopere dubium, immo falſum, id, quod ſumebatur. Sed noli præcipitare judicium tuum, prius quam hujus concluſiunculæ poteſtatem & aculeos cognoveris. Sumta eſt enim ex connexarum numero, quas, nemo ignorat, ita confici, ut, ſumta conditione, non poſſit non id, quod ei annexum eſt, verum eſſe. At vel mediocris Dialecticus intelligit, propoſitionem nexu carere. Quomodo? Tune, quod uni generi tribuitur, ad alterum poſſe transferri putas? Minime vero. Nam, quod beneficium fama fidelis in hiſtoriam confert, illud non æque rumor incertus, & vanus ſermo imperitarum de infimo popello muliercularum, præſtat. Verum, quid, amabo, inquiunt fidei, quæ ex fama naſcitur, irriſores, Roma mendax audebit in hiſtoria, ſi tantum rumori tribuetur? Fama enim vires eundo capit, & homines res ſuas magis ex lubidine, quam ex vero, celebrant. Si, hanc inconſtantiæ labem rebus privatorum adhæreſcere, contendis, probo; ſin publicis eodem pacto adſcribi poſſe exiſtimas, condemno. Feruntur enim res, quæ fiunt publice, quaſi in oculis hominum. Inde mendaciis utplurimum occaſio præciditur. Vehementer enim caveri debet, ne



g) Ad quæ verba Cel. *Heumannum* provocare memini, cum in eo eſſet, ut fidem hiſtoriæ philoſophicæ nobis in *Actis Philoſophorum P. III pag.* 415 §. 12 explicaret.

commentum Auctoris nomini officiat. Quid? ſi etiam rumorem ſæpiuſcule aliquid ex falſo trahere concedam; ea tamen eſt fabulæ conditio, ut, licet meretricum uſa cincinnorum cultu, rubicunda facie & mundo, imperitum vulgus decipiat, ſapientibus tamen fucum facere nullo modo poſſit. Habet enim ipſa tot apertos ſuæ deformitatis χαρακτῆρας, ut is omnem veri ſenſum ejuraſſe, nedum ſcriptoris munere dignus eſſe, videatur, qui falſi inſolentiam, vel perfunctoria defunctus opera, ſagaciter ſubodorari nolit. Bene igitur ſe res habet. Unde vero tot fabularum portenta, quibus ſæpe veteres Commentarii abundant, ſi aut rumor commentorum genitrix, aut ſumma ſcriptorum levitas, non eſt? Cujus ſane diſputationis cornua hoc loco non commoverem, niſi ſæpe multumque illa ipſa calumnia veterum acumen et ſolertiam minui audiverim. Inter Græcos enim *Herodotus* [h]) laceſſitur, inter Latinos *Livius* & *Dionyſius* ſæpiſſime vapulant. Sed bona Cenſorum illorum venia dixerim, telis plumbeis optimos Auctores peti. Duplex enim fabularum genus eſt, alterum *religioſum*, alterum *civile* & *politicum*. Illi, tantum abeſt, ut metu & religionibus Deorum innutritus Auctor quidquam derogare poſſit, ut ob ſacrorum formulam, cui nomen dedit, vehementer aſſentiri debeat [i]). Quæ tamen Deorum miniſteria dum legimus,

nemo

h) Confer *Henrici Stephani Apologiam pro Herodoto, ſeu Hiſtoriam Herodoti fabuloſitatis accuſatam*, quam Londinenſi *Herodoti* editioni attexuit *Thomas Gale*, vir de Græcis Latiniſque literis optime promeritus.

i) Quanquam ne ipſi quidem ſcriptores prodigiis ſuis

nemo eſt hodieque tam vecors, qui aniles Deaſtrorum religiones aliquam apud ſe vim habituras eſſe ſomnietur. Alterum eſt ejusmodi, ut in ſcriptores eruditos, nullius adhuc falſi reos, boni honeſtique amantes, ſedulos, rerum patriarum gnaros, non vulgi ſermonibus, ſed monitis et voce ſapientum, rectos, quibuſcum vivebant conjunctiſſime, minime cadat. Fidis igitur hominibus & bonis ita fides habetur, ut nulla ſit in his fraudis negligentiæque ſuſpicio. Perſpicuum jam eſt, ni fallor, nullam, ſublata traditione, ſcribi hiſtoriam poſſe. Quod ſi neges, vide, ne tuo te gladio ipſe jugules. Quomodo enim, ut hoc exemplo utar, faciem nuperi belli Hungarici depingeres, aut qua ratione, quæſo te, caſtrorum utriusque exercitus indolem, locorum ingenia, ducum peritiam, hoſtis artes, noſtra remedia, præliorum eventus, omnemque belli fortunam, nobis oſtenderes, niſi vel ipſe ſtipendia merueris, vel plurium αὐτόπτων teſtimoniis, hoc eſt, fama conſtanti, res non perceptas eviceris. Si igitur cuilibet ſcriptori hoc licere oportet, ut famam communem prætendat hiſtoriis, quando ipſe ſuis rem ſenſibus haurire nequiverit; æquum eſt, tam & hoc



fidem habent, quod in *Plutarcho*, *Livio*, & aliis, annotat πολυμαθέστατος *Fabricius* in *Bibl. Lat. pag.* 198, in *Not. ad Lib. I Cap.* 2. Egregie vero *Livius* ſe ipſe defendit *Lib. XLIII Cap.* 13, qui locus ſane a nobis prætereiri non debet. *Non ſum neſcius*, inquit, *ab eadem negligentia, qua nihil Deos portendere vulgo nunc credant; neque nuntiari admodum nulla prodigia in publicum, neque in annales referri: cæterum & mihi, vetuſtas res ſcribenti, neſcio quo pacto antiquus fit animus* &c.

in vetuſtiſſimis Romanarum rerum annalibus pati, quam in noſtris hodie Commentariis patimur. Occupare hic dubitationes quorundam poſſumus. Exorietur enim quæſtio hæc: an traditio, tot per annos propagata cum fama, quæ ſcriptoris ætati vel proxima, vel adhuc vivente illo inter homines percrebuit, aliquam habere poſſit ſimilitudinem. Vehementer hoc negant, atque hac voce ita nos enecant, ut forte pœnitentia hujus noſtræ ſententiæ ſit ſubitura, ſi eorum in opinando levitatem ſequi vellemus. Sed res eſt adeo clara, ut diſputatione non egeat. Nam, ſi docuerimus, hiſtoriæ indolem eſſe ejusmodi, ut per ipſas dialecticas præceptiones, reique naturam, fieri ſine traditione non poſſit, quid opus eſt, in omnibus quæſtiunculis orationem conſumere? Habet ſane, quod non diffitemur, ea quæſtio, generatim ſumta, non parum difficultatis; utrum, ſi ſcriptor famam noſtri temporis ſequi debeat, eodem duce in repetendis priſcæ ætatis rebus geſtis uti poſſit, quoniam rumoris inconſtantia ſcribentis animum, etſi non flectere a vero, ancipitem tamen & dubium efficere, ſoleat. Interim tamen hæc, de quibus diſputatio eſt, placita rationis judicio ad verum proxime accedunt. Sumta enim hac, quemadmodum Philoſophi loquuntur, quamve ab initio ſtatim poſuimus, hypotheſi, ſcriptores eſſe oportere perſpicaces & acutos veri videndi, famam debere eſſe ejusmodi, ut per plures annos nullis adverſariorum calumniis, aut vanis rumoribus, obſcurata, ſibi ſemper conſtet, nec ullibi legibus naturæ aut temporibus refragetur, neceſſario conſequens eſt, ut tam vera et aſſenſu digna cenſeatur fama, quam hæc, quæ

quæ cum adjunctione dicuntur in Dialecticorum ſcholis, ſaepiſſime vera eſſe ſolent. Maximum denique præſidium, quo, tanquam columna, traditionis auctoritas ſuſtentatur, in eo quæri poteſt. Scilicet, quando in rerum geſtarum expoſitione tam evidens et veriſimilis cauſarum & eventuum conſecutio apparet, ut, ſi aliam rationem, qua quælibet res fieri & geri potuiſſet, comminiſci malis, inſulſum aliquod & ſtultum portentum, quod vocant, politicum ſimul profiteare, tunc importunum eſt, futilibus quibuſdam argutiis famam elevare, & univerſum genus humanum, quantum tot ſuperioribus ſeculis fuit, communis in re liberrima mendacii damnare. Illuſtrabimus hanc doctrinam luculento hiſtoriae Romanæ exemplo. Rapuerat illa urbs plurimas Europæ, Aſiæ, & Africæ, gentes in admirationem ſui. A tenuibus enim profecta initiis adeo creverat, ut nullà tum in illis terris beatior, valentior, boniſque ingeniis et heroibus fœcundior, reſpublica eſſet. Ad hoc magnitudinis culmen quomodo cenſes evehi potuiſſe Romanos? Fortaſſis caſu, aut fati lege, illud accidit? Verum, quam anile & plenum ſuperſtitionis hoc nomen fati ſit, jam k) *Cicero* intellexit. Caſu, inquis? Itane vero? Quidquamne poteſt caſu eſſe factum, quod omnes habet in ſe numeros veritatis? Num etiam Iliados *Homericæ* aut Æneidos imaginem adſperſione literarum fortuita effingi poſſe putas? Nihil profecto minus. Nunquam ſic ſe res habet, ut perfecte veritatem caſus imitetur. Quodſi inenodabilem & ἀκατάληπτον



k) *De Div II. 7.*

Fortunæ vocem nobis obvertere non licet, explica, quæſo, repudiatis hominum ejus ætatis narrationibus, quomodo Roma, debellatis, quæ circa urbem erant, gentibus, univerſa potiri Italia, & tot bellicoſiſſimis imperare populis, potuerit, Sin autem idcirco fama vera eſt, quia eventuum rationes, quare quidque ita geſtum ſit, cum quadam aſſenſione hominum nos doceat, vehementer nos mirari oportet, quare Hypercritici illi memoriam rerum ab Romanis antiquitus geſtarum falſi quadam ſpecie laborare arbitrentur, cum tamen, niſi hoc modo traditis rebus aſſentiantur, parum, meo judicio, intelligant, quo conſilio, quibuſve artibus, domi militiæque & inchoatum & auctum imperium ſit. Ita, quoquo ſe verterint contradicentium opiniones, jaceat, neceſſe eſt, omnis eorum ſolertia. Explicavimus unam veriſimilitudinis hiſtoricæ legem, veniamus ad alias, quæ, quantumvis late pateant, multumque hiſtoriæ Romanorum vetuſtiſſimæ proſint, brevius tamen a nobis abſolventur, ne ipſam rei cauſam, de qua concertandum nobis eſt, nimis ſero aggrediamur. Dum vero diſputationis anfractus in parvum & anguſtum locum concludere ſtudemus, iis ſaltem legibus, tanquam effatis, utemur, quæ, ſi conceſſeris ſuperius, cogunt inferius concedere. Eſt vero harum deſcriptio multiplex. Interim tamen, quin ſequentes veri notæ lubricos aſſenſus & opinationes valde cohibere poſſint, haud dubito. Ex illis, quæ paulo ante diſputavimus, alia lex emergit, cujus vis ea eſt: *Si æquales deficiunt teſtes, ſupparibus nullo jure fides abrogatur.* Quanquam enim ratio in omni literarum genere poſtu-

lat,

lat, ut a fonte potius hauriamus, quam rivulos conſectemur, hiſtoriaque æqualem ſuæ memoriæ ſcriptorem depoſcat, ut ea complectatur, quibus ipſe interfuit, neminem tamen adeo ſegnem ad credendum, aut furore ἀποδεικτικῆς νόσυ tam attonitum, fore divinamus, qui, quid ex duobus eligere conveniat, utrum antiquioris hiſtoriæ contemtionem, an ſequacium ſcriptorum auctoritatem, confuſus & incertus animi pueriliter fluctuetur. Si enim ne horum quidem ſcriptorum nobilitas & candor veri rationes nobis præſtat, qui, excuſſis omnibus monumentorum reliquiis, memoriæ rerum geſtarum inſtaurandæ incredibilem navarunt operam; quid, amabo, facilius erit, quam una hac titubandi calamitoſa tempeſtate uberem ſcriptorum ſegetem, beatosque fundi noſtri provehtus, ſternere? Ut autem ob id nemo ſanus *Tranquillum*, Auctorem Φιλαλήθη, vel *Appianum*, vel *Arrianum*, vel alium quemcunque, falſi accuſare poteſt, quod nullius horum ætas rerum geſtarum memoriam attigit, ſed uno alter, alter quinque, tertius duobus minimum ſeculis recentior eſſe perhibetur; ita horum ſententia vix commemoratione, nedum reſponſione, digna eſt, qui ob hoc ſolum ſcriptores æque bonos & doctos cum ſugillent, plus ſibi ſapere, quam omnes, qui minime ſapiunt, videntur. His ita conſtitutis, occurrit nobis alia præceptio, quam arguttuli quidem homines reprehendunt & accuſant falſi ad ſummam impudentiam, multi vero collaudant & defendunt. Vis hujus formulæ talibus propemodum verbis colligitur, *Parum refert, ligata oratione, an libera, res geſtæ literis mandentur*, aut, quod popu-

larius fore cenſemus, *Poeta quoque ad fidem in rebus geſtis faciendam idoneus teſtis eſſe poteſt.* Is enim aut data opera rem verſibus explicat, aut argumentum ſuum princeps, quod commentitium eſſe oportet, narrationibus ex hiſtoria petitis tam eleganter depingit & ornat, ut, quod ſine hiſtoricis quibusdam luminibus nemini ſano perſuadere audet, jam lectoribus, illa veri falſique artificioſa commixtione ſuaviter deceptis, candide perſuadeat. Si prius ſcribendi genus conſectatur Poeta, nullam video cauſam, quare hi faſtidii delicatiſſimi cenſores hujusmodi Poetam in numero teſtium habere nolint? Talem enim quærimus vatem, qui neque multus & ineptus eſt, neque res ſuas vehementius inflat, neque metri cauſa ad plerorumque noſtrorum Poetarum languorem & inſcitiam quidquam argutiis tribuit, ſed qui ſedato ſpiritu & tenui carmine ſine Deorum miniſterio & fabularum tormentis rei geſtæ memoriam illuſtrare ſtudet. Hoc idem cum *Ennius*, ſat facundus Romanorum Poeta, qui, teſte *Cicerone* [l]), ſuorum

*panxit maxima facta patrum*,

aliique non pauci, ante & poſt *Ennii* ætatem poematis ſuis egregie comprobaverint, quid obſtat, quo minus ex horum quoque annalibus, carmine ſcriptis, hiſtoriarum copiam & fidem petamus? Sunt quidem aliæ leges in hiſtoria obſervandæ, aliæ in poemate, quoniam, ut *Cicero* nos docet, in illa ad veritatem, in hoc ad delectationem, pleraque referuntur: ob eamque cauſam *Atticus* [m]) ſuſpicabatur

quæri

l) *Tuſcul. Qu. I, 15.*
m) *Cic. de Leg. I, 1.*

quæri in *Mario* nonnulla poſſe, ſictane, an vera, eſſent. Nihilo minus tamen, ut oratione numeris adſtricta Poetæ ingenium metiri fas non eſt, ita veri decus carmine, tanquam re externa, parum minuitur. Tune *Maronis* Æneida divinam appellare nolis, ſi metri legibus ſoluta & libera nobis detur? Audeaſne tu contra *Lucanum* in Poetarum ordinem recipere, quod verſus probabiliter fecerit. Neutrum profecto jure. Non enim verſibus, ſed fabula, carmen aliquod vatis perſona dignum efficitur. De qua re, ut obiter hoc moneamus, Cel. *Petr. Burmannus* ad *Petronium*, & in Præfatione nupera ad *Lucanum*, quam quinta parte ſui nectaris imbuit Venus, acute diſputavit, imperitoſque rei poeticæ judices, qui lacertos dignitatemque Poetæ in numeris quærere ſolent, non injuria reprehendit. Agedum ergo, ſi metricam orationem ſua natura veri corruptricem falſique parentem immerito dixeris, cur puerile hoc vulgi de Poetis judicium in Auctorum contumeliam vertis? de quibus, tanquam viris literarum pleniſſimis, verendum profecto non fuit, ne legibus & neceſſitate metri coacti & inviti more noſtrorum Rhapſodorum ineptirent, qui aliter forte loquerentur & ſcriberent, ſi metricarum legum infelicibus vinculis ſolverentur. Quid eſt igitur, quare res geſtas verſibus comprehenſas damnes? aut quo jure exiſtimas tu antiquis Auctoribus, ſi *Ennii*, *Accii*, [n]) ceterorumque annalibus niti velint, vel nobis vitio verti poſſe, ſi in patriis rebus (licet enim magna componere parvis,) *Saxonem Gramma-*

 *ticum*,

n) Hujus *Annales* carmine ſcripti laudantur a *Cicerone de Legibus I*, 2.

ticum, vel *Guntherum Ligurinum*, o) vel alios memoriæ rerum geſtarum auctores, quorum *Lyſerus* in libello *de ficta medii ævi barbarie* meminit, ſequi ſtatueremus. Quæ autem in patria hiſtoria valet ratio, eam in Romana quoque valere ſinamus. De altero genere carminum pluribus diſputare, non eſt hujus loci, quanquam in hujus judicio ſemidocti vehementer errant, nec, quæ vis voci carminis ſubjecta ſit, intelligunt. Quæritur enim, ſitne aliquid in carminibus epicis *Homeri* & *Virgilii*, quod hiſtoriæ lucem affundat. Negant hoc confidentiſſime ii, qui Pædagogorum diſciplina imbuti, his vocibus, tanquam clypeo, ſe tutantur: *Poetas ſemper fingere.* Quod enuntiatum, etſi per ſe verum eſſe vulgo concedatur, nihilo minus tamen, ubi accurate diſſerendum, & rationibus compoſitis de univerſa poematum natura diſputandum eſt, admodum languet. Duæ enim ſunt epici carminis partes: primam ſibi *fabula* vindicat, alteram *epiſodia* occupant. Illa ſolo Poetæ ingenio regitur, hanc veriſimilis armorum, veſtium, ædificiorum, urbium, provinciarum, rituum, legum, deſcriptio, & omnis denique antiquitatis rerumque geſtarum memoria, gignit & procreat. Quamobrem accuſabis tu quidem omnibus in locis *Homerum* & *Virgilium*, Poetarum principes, falſi, quamdiu voles. Tamdiu autem velle poteris, quoad te finitionem epopœiæ diligentius animo comprehendiſſe non pœnitebit. Si enim evinces, p) *Homericam* belli Trojani expoſitio-

o) De hoc inprimis vide Auctores, quos excitat *Eiſenbartus Cap. 3. §. 10. pag. 13.*

q) Vincere autem non poteris, propterea quod om-

poſitionem, aliaſque urbium, regionum, cerimoniarumque, notas, quibus tanquam articulis corpus poematis apte ligatur & nectitur, principem in fabula locum obtinere, tota profecto lis erit confecta. Sed, ubi non ignoras, lineamenta illa hiſtoriae Romanæ a q) *Virgilio*, antiquarum rerum cuſtode, eleganter & probe adumbrata in Epiſodiis Æneidos haberi, quibus tanta venuſtas & pulchritudo ineſt, ut concinnius ab Hiſtorico tradi nequeant, vides profecto, quam anguſte nonnulli hodie de uſu carminum judicare ſoleant. Verum ohe jam ſatis eſt. Plura de hujusmodi carminum epiſodiis dabunt *Boſſulus* & *Mambrunus*, quorum de epico carmine docti exſtant libri. Nec ab re erit, Præfationes *Dacieriæ* ad *Homeri* Odyſſeam & Iliadem perlegiſſe. Hunc autem locum præterire omnino noluimus, cum quod multos in ea re viros doctos errare meminimus, tum quod hæc ipſa diſputatio ab inſtituto non penitus aliena eſſe videbatur. Qui enim naſum habet, ſtatim cauſam, quare hoc argumentum non intactum reliquerimus, ſubodorabitur. Sed ex amœno hoc diverticulo redeat oratio noſtra in orbitam, & in præceptionum philoſophicarum dumeta rurſus compellatur. Simul ac jejuni hiſtoriarum interpretes in locum veteris cujusdam ſcriptoris arduum incidunt, qui vel hac in re ſolus eſt, vel paucorum teſtimonio corroboratur, ſtatim ad ignavam argumentationem, quæ ex *ſilentio ſcriptoris* efficitur, provo-

nes majorem fidem *Homero* in Heroum rebus geſtis tribuant, quam vel *Cteſiæ* alicui, vel *Hellanico*.

q) *Lib. VI. Æn.* a *v. 756* uſque ad finem.

provolant, ut, invidia bonis Auctoribus facta, eo commodius rem in medio relinquere poſſint, aut nihil dicendo aliquid dixiſſe ſibi & aliis videantur. Equidem vere & audacter ajo, *ſilentium ſcriptoris cujuſdam non modo in neutram partem legitimum controverſiæ hiſtoricæ judicem eſſe poſſe, ſed ne auctoritate quidem aliorum teſtium, item bonorum, quidquam derogare*, niſi forte in eo animadvertatur, qui memoriæ temporum illorum æqualis & unicus in re minus prætereunda teſtis eſſe debuerat. Hoc quanquam dubitationem non habet, (eſt enim intellectu facile, comprehenditurque ſuis cujusque ſenſibus, ſic, ut, contra ſi quis dicere velit, in anguſtias facile redigatur,) tamen, ne quid prætermittamus, rationes quoque, cur hoc ita ſit, & cautiones quaſdam afferendas puto. Multæ videlicet eſſe poſſunt cauſæ, quare ſcriptor rem, aliorum oratione illuminatam, tacuerit, quibus videndis ne acies quidem mentis humanæ plerumque ſufficit. Tot utique rationes ſubſunt, quot conſiliorum formæ, quas quiſque in ſcribendo ſequitur. Alii enim breviter, alii ex inſtituto, alii velut in tranſcurſu, alii pluribus modis, in quibus per ſe nulla eſt vitioſitas, rem enarrant. Quare diu multumque cogitavi, utrum jure & ratione facerent ii, qui *Livianas* nonnunquam lacunas deſcriptionemque originum Romanarum, a *Polybio* hinc inde breviter abſolutam, in fraudem & opprobrium *Dionyſii* r), *Plutarchi*, aliorumque, trahere

r) Quantam igitur apud æquos veri judices vim habitura ſit iniqua fidei *Dionyſianæ* obtrectatio, ipſe libri Gallici Auctor videat. His enim ne movemur quidem dictis, etiamſi vulgo probentur: *Il raporte dans un detail fort . . . du* &c. (Vid. *pag.* 252.)

here conantur. Quis enim ſcriptores hac lege tenebit, ut ad unum omnes eandem ſcribendi rationem ſervent? Eſt quidem una veritas, ſed non una veri ſpecies. Quemadmodum enim pictores, ſculptoreſque, etſi operam dare omnes ſoleant, ut in mutum ſimulacrum veritas ex animali exemplo transferatur, non iisdem tamen umbris & eminentia utuntur, ita ſcriptores unius argumenti imaginem honeſtiſſima varietate effingere poſſunt, ob quam cauſam tanto magis injuria priſcis Auctoribus fit, quanto liberius eſſe judicium cujuſvis in literarum ſtudiis oportet. Non enim quæritur, quam quis copioſe & plene, ſed quam recte & ſincere, ſcribat. Quare hoc ſaltem veros literarum amatores decet, ut ex copia librorum antiquorum multiplici, argumentorum poteſtate, & narrationum veriſimilitudine, id, quod maximam perſuadendi neceſſitatem afferat, ſerio conquirant. Reliquis enim in hunc modum telis petita *Dionyſii* fides nec concidit, nec poteſt laceſſi ictibus, præſertim nequaquam nocituris. Et, ſi maxime dignus eſſet criminationibus, quæ in virum bonum ne cadere quidem poſſunt, nos tamen ſumus indigni, qui tot ſeculis ab ejus ætate ſejuncti hæc arma inferamus. Qua de re paulo poſt uberior erit diſſerendi occaſio. Nunc, quoniam oratio noſtra ſtatim ab initio militarem morem lentius aggrediendi ſervavit, ut, clauſis omnibus viarum anguſtiis, ad elabendum idoneis, hoſtis vim celeritatemque frangeret, opportune etiam nunc facturos nos eſſe ſperamus, ſi quibusdam in formulis res noſtra prius agetur, quam in cauſis ſingulis inſiſtemus, fatebimurque, quid nos concedamus, quid abnuamus,

ex

ex rebus evidentiſſimis concludi quid velimus, & ad exitum perveniri. Sit igitur nobis propoſitum hoc, ut quæramus in univerſum, *utrum diſſenſio veterum Auctorum hiſtoriam reddere poſſit incertam, nec ne.* Hoc quale ſit, ſcire non poſſumus, niſi contulerimus inter nos, cum diſſenſionem dicimus, quot ſint ejus diſſenſionis genera. In omni ſcilicet narratione duo intuenda ſuadeo, *rem ipſam*, & *rei formas*, quas Græco vocabulo περιςάσεις appellare convenit. Rem voco totum hoc, quo remoto ipſa removetur narratio, tanquam in illo *Taciti*: *Urbem Romam a principio Reges habuere. Libertatem & Conſulatum L. Brutus inſtituit. Dictaturæ ad tempus ſumebantur.* Et ſic in reliquis ad eum modum commemorationibus, quibus tanta profecto veritas ineſt, ut, ſi poſtules has ratione incertas facere, nihilo fortaſſis plus agas, quam ſi operam des, ut triangulum quatuor deſcribi poſſe lateribus judices, id eſt, cum ratione inſanias. Cetera vero ex anteceſſionibus, junctis, & conſequentibus, cauſæ alicujus emergunt. Quo referendam eſſe arbitror pulchritudinem, venuſtatem, & convenientiam, partium hiſtoriæ, ubi, verbi cauſa, quis fuerit ordo temporum, in factis dictiſque quod conſilium, qui eventus, omneſque caſus & ſapientiæ & temeritatis, ſcire amemus, unde conflantur & efficiuntur hæ ipſæ, quas quærimus, rei περιςάσεις. Ante igitur, quam ad quæſtionem illam, late patentem, reſpondeam, facio duplicem adjunctionem, neque præter hanc alia eſſe poteſt. Auctores enim priſci vel in *ipſa re*, vel *rei circumſtantia*, (liceat enim hoc *Quintiliani* verbo brevitatis & doctrinæ cauſa uti,) diſcrepant. Si quam rem

alter ait, alter negat, exoritur vera inter ſcriptores pugna, velut in hoc: Galli ceperunt urbem Romam; Galli non ceperunt. Capitolium a furore Gallico incolume manſit; Capitolium immune non manſit. Galli a Camillo cæſi fuerunt; Galli cæſi non fuerunt. Quibus ἀντιλογίαις ſi memoriam rerum priſcarum inquinatam eſſe ſerio quidam approbet, fateor, me aut illico omnes veterum Commentarios ſusque deque habiturum, aut malle quidvis potius agere, quam in componendis hujuſmodi litibus operam inutiliter conſumere. Sed bonum habere animum jubet mirabilis ſcriptorum in rebus præcipuis conſenſio, qui, quod ad ipſum hiſtoriæ caput & σύστημα ſpectat, vel omnino concinunt ſecum, vel, ſi ſtudiis inter ſe certare videntur, rationibus & auctoritate ita vincunt, ut, cujusnam a partibus ſimilitudo veri ſtet, haud difficulter debeat requiri. Neque propterea homo aliquis moroſus, ſi plura in corpore nitent, paucis offendetur maculis. Contra ea autem hiſtoriæ exædificatio in quibuſdam acceſſionibus poſita eſt, quæ, uti ſatellites herum, ita rem vel decoris vel ſplendoris gratia comitari ſolent. Atque in his, niſi vehementer pertinax, pro ſe quisque concedat neceſſe eſt, tot non raro ineſſe varietates, quot judiciorum & ſenſuum in quocunque homine diſſimilitudines reperiuntur. Interim tamen, quandoquidem hanc narrationum inconſtantiam multum pollere placet, iſto ipſo telo tutabimur veteres annalium ſcriptores. Si enim in cauſis rei adjunctis variant Autores, non propterea ipſa res concidit, (f) ſed, relictis omnibus, videndum eſt, utrum

(f) *Bierlingius* exiſtimat *circumſtantias ampliſſimam ſup-*

utrum hæc diſſenſio tantum ſit *mentiens*, Græce ψευδομένη ſive ἐναντιοφανὴς, an omnem prorſus criticam opem & medicinam reſpuat. Largimur, quoniam hoc tibi dari vis, hiſtoriæ περιςάσεις multis ſæpe difficultatibus laborare. Sed in hoc reſiſtimus. Primum quis eſt tam deſes, & ſtupidus, ut, ſi aciem mentis ſuæ intenderit, omnisque ævi monumentorum conſideratione inſtituta, quid veri ſimillimum ſit, decernere nequeat? Conſidera haud gravatim *Scaligerorum*, *Sigonii*, *Pighii*, *Salmaſii*, *Valeſiorum*, *Gronovii*, *Perizonii*, *Dodwelli*, *Duckeri*, libros, quot illi nodos, quæſo, ſemidoctis inexplicabiles viſos, non ſolverunt? Horum modeſtiam ſi æmulari vellemus, tot concluſionum laqueis profecto non irretiremur. Ex quo intelligi poteſt, non Auctorum culpa, ſed vitio interpretum, ſæpiſſime hiſtoriam vacillare, certique fundamenta ſubduci. Quod dictum in una re latiſſime patet, vehementerque nos admonet, ut prius experiri, quam propter intelligentiæ abundantiam univerſæ antiquitati bellum indicere, malimus. Equidem ſemper maximi horum

*peditare materiam ad Pyrrhoniſmum*, §. 19 *pag.* 61. Sed cave, ſis, ne ad magiſtri illius ſententiam, ſatis crude pronuntiatam, tanquam ad ſcopulum, adhæreſcas. Auctor libri Gallici paucis eundem locum tetigit, a cujus veritate, miror, ipſum poſtea deflexiſſe. Inquit enim *pag.* 153: *Mais comme on pourroit croire, que cette biſtoire, quoiqu' alterée dans ces circonſtances, peut être vraye pour le fond, et qu' en écartant ce qui ſent la fiction, on pourroit en découvrir la vérité, j' expoſerai le plus en abregé, qu'il me ſera poſſible, que nous avons de rejetter toute cette biſtoire* &c.

horum ſententiam facio, qui, cum teſtium diſſenſus incidit, quorum utri plus ſit tribuendum ignoratur, duo in mentem revocanda eſſe præcipiunt, *experientiam* & *naturam*. *Experientiam* dicunt, quantum novi, memoriam conſuetudinum, quibus una quælibet res acta fuit, moribus quippe Latinis Latina, Francicis Francica, Etruſcis Etruſca. *Naturæ* autem beneficio ſcire nos, inquiunt, utrum actis leges hujus univerſi ſuffragentur, an quoddam ἀδύνατον inſit. Præclara certe & Philoſophi ingenio digna oratio! Ex qua nobis hæc demum gignitur formula, ut, quo quis tenacior illarum legum cuſtos ſit, eo præſtantior ad fidem faciendam haberi debeat. Deinde vero alterum quis hoc tibi conceſſerit, obſcuritatem modorum hiſtoriæ & appendicum vim naturamque rerum debilitare? Quo quidem conceſſo, nihil opus eſſet amplius diſputatione. Sed o plumbeum pugionem! Recole nobiſcum animo res geſtas *Guſtavi Adolphi*, Regis Suecorum. Tenet fama, eum in altero certamine, prope Lipſiam commiſſo, cecidiſſe. Jam quæritur, quo fato incomparabilis heros functus ſit. Annalium conditores ita diſcrepant, ut rem, tametſi ſatis recentem, nemo pro certo affirmare conetur. Equidem haud nihil ambigam, trajectusne fuerit globo ferreo, an in inſidias fraude hoſtium illectus perierit. Id unum conſtat, Regem, ubicunque & quocunque auctore interfectum, certe in illa acie occubuiſſe. Quid igitur? Quoniam multiplex de ejus morte fama eſt, audeasne tu propterea negare, Suecos victores ſuum eo tempore, eoque in prælio, Regem amiſiſſe? Contineo me in re manifeſta a plu-

ribus exemplis. Aut enim hoc ſatis, aut neſcio quid ſatis eſt. Si enim hæc doctrina valeret, ut, quoties de modis rerum pugna exoriatur, toties Pyrrhoniſmus, quem vocant, locum habeat; ilicet actum eſſet, non dicam modo de priſci ævi, ſed recentiori præſertim, hiſtoria. Ipſi enim Francicarum rerum Auctores, quibus, ſive quod vulgus exiſtimat, ſive quod ita eſt, multum hodie tribuit is, in quot, cedo, ſtudia non ſcinduntur. Nihilo tamen ſecius nemo eſt e Gallorum familia tam inelegans, gloriæque ſuæ immemor, quin patrias res omnium & præclariſſimas, & aſſenſione digniſſimas, judicet. Quam vere, noſtrum jam non eſt, apertius explanare. Etenim, ſi utriusque ævi hiſtoriæ rationes nunc perſcrutari, veteraque & præſentia contendere, animum induceremus, facile appareret, multo certius *Romuli* & *Numæ*, quam pleraque hujus aut ſuperioris ſeculi, res geſtas ſciri poſſe. Non dubito, quin ridiculam multis rem narrem. Sed, ita eſſe, & ipſa Commentariorum, qui ſunt ævi noſtri, confectio docet, & ratio vincit. Nemini ergo mirabilis accidere poterat opinio *Jo. Guil. Hofmanni*, viri poſt fata deſideratiſſimi, quam facile nuper doctis omnibus in Proluſione quadam Academica perſuaſit, *hiſtoriarum Europæ extremam partem ceteris longe jucundiorem, ſed, ſi excutiatur, incertiſſimam, eſſe.* Verum hæc obiter dicta ſunto. Ea enim nunc latius diſſerere, neque otii eſt mei, neque inſtituti. Argumenta vero ſingularum cauſarum etiam atque etiam a nobis prementur, cum in *alteram* libri Gallici *Sectionem* animadverſiones dabimus. Ad quas nunc fidenti animo, ſi ita refert, graderemur, niſi

reſtarent adhuc pauca quædam in univerſum diſputanda. Poſtquam enim hæc judicandi corruptela plerorumque noſtri ſeculi animos occupavit, ut nihil rectum, nihilque veroſimile, niſi quod moribus noſtris conveniret, putarent; nata eſt tanta reprehenſionum jejunitas & fames, ut, ſi horum auctoritate Cenſorum ſtaret literarum decus, parum abeſſet, quin boni propediem ſcriptores in Agyrtis nugacibus & garrulis haberentur. Cui, quæſo, ignotæ eſſe poſſunt *Evremontii* & *Peralti* in veteres hiſtoriarum conditores, Oratores, & Poetas, iniquiſſimæ cavillationes? Quæ tantam certe apud noſtros quoque homines vim habere non poſſent, ſi, qui hodie ſibi veterum Auctores explicandos ſumunt, aliquando diſcerent, non eadem omnibus eſſe honeſta atque turpia, ſed omnia majorum inſtitutis judicari, rerumque humanarum eas eſſe viciſſitudines, ut regnorum diverſa conditione populi cujusque ingenia transformentur. Inde enim omnes omnium ætatum opiniones de veri, boni, honeſti, decoris, legibus pendent. Accedit ipſa educatio, cui non leve ad effingendam animorum indolem momentum ineſſe ſolet. Quemadmodum enim reipublicæ facies civitati varium animi habitum induit, ita ſenſus quarundam doctrinarum, a teneris usque traditus, hominum vitam regit & moderatur. Quo ſeverior autem diſciplina eſt, qua juveniles animi ad excelſam & rectam nobilitatem incitantur, eo luculentiora virtutum decora exſplendeſcunt, quam in alia gente, ubi propter imperii neceſſitatem puſilli animi cives, tardi, hebetiores, reique magis augendæ, quam laudis, cupidi & ſerviles pro-

 pemo-

pemodum, aluntur, exſtare nullo modo poſſunt. Unde factum eſt, ut, verbi cauſa, apud Græcos, Romanosque, vigente adhuc civitate, legibusque exculta, longe major hominum magnanimorum, perſpicacium, promtorum, calidorum, et audacium, ubertas naſceretur. Quæ cum ita ſint, ridemus omnes antiquorum vituperatores, qui priſcos heroas, civitatis Græcæ Romanæve mores & inſtituta, rident, aſpernamurque horum conatus, qui, bona *Logica ſua* intumeſcentes ſtatim, ubi ex legitimo literarum armamentario deficiunt arma, ad Philoſophorum machinas & ſophiſmata confugiunt, ut, cum vi agere nequeant, per inſidias graſſentur, occultaque veluti quadam ſica optimos rerum antiquarum auctores confodiant. Atque hæc eſt artis criticæ, quam altius provexiſſe ſe nonnulli hodie in Gallia heroes literarii tantopere gloriantur, miſera facies, quæ, dum medicinam Auctoris, & ſubtilem locorum interpretationem, pollicetur, impudentiæ licentiam pollicetur. Bonis enim literis non ſatisfaciunt hæ Philoſophorum, ſe ſtudiis his immiſcentium, nec ipſius adeo cenſoris Romanarum rerum, formulæ: *hoc non adſequor, hoc ſatis ſe mihi non probat, hæc conjectura ad guſtum meum magis facit, non veriſimile eſt, non credo*, aut ſimiles, [t]) veteris hiſtoriæ ſtudioſis

t) His quoque ratiunculis identidem Commentationis Gallicæ Auctor utitur: *Je ne puis m'imaginer, j'aime donc mieux*, pag. 32, *il eſt à préſumer*, pag. 59, *mais il ne paroit pas, mais je doute fort, je crois plûtot*, pag. 69, *eſt il croyable*, pag. 178, *eſt il aparent*, pag. 179, *une choſe qui paroit étrange; peut on croire*, pag. 183, *en effet il y a peu d'aparenc*

ſis conſenſum extorquebunt. Cum igitur talia vulgo negligant multi, actionesque ſingulorum hominum cum ipſis rerum eventibus, aut receptis tunc opinionibus, minime componant; hac noſtros homines, ſi velis attendere, intelliges opinione eſſe imbutos, ut, cum in his temporum malis vel optimæ naturæ beneficio raro aliquis ad excelſam virtutem exoreſcat, illud ſtatim ſemidoctis ἀδύνατον & repugnans videatur, quod propter morum noſtrorum ſegnitiem, & voluptates, blandiſſimas boni corruptrices, fieri hodie plerumque non ſolet. n) Ex quo intelligitur, præter rem *Leonidæ*, Regis Lacedæmoniorum, *Muc. Scævolæ*, adoleſcentis contra *Porſenam* laudabiliter furentis, *M. Curtii*, in patentes terræ hiatus ſe immittentis, *Deciorum*, pro ſalute publica manibus ſe devoventium, *Attilii Reguli*, & aliorum, portentoſam virtutem maledictis proſcindi, commentorumque poeticorum loco haberi. Nihil enim glorioſius ducebatur iſtis temporibus, quam communis utilitatis cauſa vitam contemnere. Erant profecto acriores illa ætate, quam nunc, ad gloriam parandam ſtimuli, æmulatio frequentior, & præclari exempli cogitatio, paratiores ad audendum opes,

E 3 quæ

*ce*, pag. 202, *il n'eſt guéres croyable*, pag. 203, *mais il n'y a aucune aparence - - au contraire il paroit*, pag. 206, *il ne paroit guére concevable*, pag. 209, *je ne croi pas*, pag. 255.

n) Id vulgo omnibus fere rebus antiquis accidere teſtatur *Plutarchus* περὶ παραλλήλων ἑλληνικῶν καὶ ῥωμαϊκῶν *T. II Oper. pag.* 305: Τὰς ἀρχαίας ἱστορίας, διὰ τὰ παράδοξα τῆς πράξεως, οἱ πλεῖστοι νομίζουσι πλάσματα καὶ μύθους τυγχάνειν.

quæ omnia promtiores in ſeveram & aſperam diſci-plinam animos exhibuerunt. Quod ſi tibi, Lector erudite, quanquam ſatis puto demonſtratum, non-dum approbetur, age, magnum *Perizonium*, qui dum viveret, noſtro literarum generi operam egre-gie navavit, eum igitur excitabo, ut, quæ dicta ſunt, his auctoritatem tribuat. *Si qua leguntur*, in-quit, *noſtris moribus inuſitata, non rejicienda ſunt continuo, ſed penſitandum diligenter, quæ viguerint iſto in populo, cujus nonnulla primo adſpectu fidem no-ſtram ſuperent, opiniones, leges, mores, inſtituta. Ni-hil enim in animis majorem habet vim, quam vetus animi inductio.* x) Hoc errore paululum declina-to, illud jam excutiendum eſt, ut ſciatur, *utrum fi-des dictorum ab indicationibus teſtimoniorum*, vel, ut loqui amant, *citationibus Auctorum pendeat*. In eo enim argumento vertitur præcipuus Adverſarii noſtri labor, ut ſuſpectos & inviſos nobis reddat principes hiſtoriæ Romanæ, *Dionyſium* & *Livium*, propterea quod aut nimis parce teſtes excitent illi, aut æqualibus rei geſtæ monumentis omnino care-ant. Sed primo neutrum conceditur. Et, ſi con-cederetur, ne hilum tamen proficeret Cenſoris ora-tio. Videamus ergo, quænam auctoritas plus va-leat ad fidem hiſtoriæ parandam, ſcribentisne ani-mus, diligentia, & candor, an omnium librorum, in quibus profeciſſe ſcriptorem hariolamur, ſuperſti-tioſe injecta memoria. Ac me quidem, diu hac de re cogitantem, ratio ipſa in hanc potiſſimum ſenten-tiam duxit, ut exiſtimem, conſuetudini quidem ho-die

x) Orat. *de Fide hiſtorica pag.* 141.

die aliquid dandum, ſed mediocritatem ſimul tenendam eſſe, quæ eſt inter nimium & parum, cavendumque, ne in priſcorum laudes invadere conemur, ſi forte continuis illis citationibus non delectentur. Quanquam non ſumus ignari, multos ſtudioſe contra eſſe dicturos; neminem tamen fore ſperamus, qui inficietur, veri pulchritudinem ex rei ipſius convenientia tantum et Auctoris ingenio cognoſci, tantumque abeſſe, ut hodiernus mos oblectationem legentibus res geſtas creet, ut ſive oſtentationi, ſive inſcitiæ, velamentum præbeat. Quot enim libri hodie non promulgantur, qui tanto minus fidem lectori perſuadent, quo plures nobis Commentariorum Gallicorum, Ephemeridum, Diſputationum Academicarum, & aliorum haud raro nullius pretii libellorum, indiculos, tanquam fumum, vendunt? Magni quidem ſibi videntur aliquot Franci, quod & ipſi antiquarum rerum memoriæ pro virili parte conſulentes, nobis in margine hiſtoriarum fontes ſollicite enarraverint. Verum, ſi vel maxime omnes chartarum plagulæ teſtimoniis ſcriptorum, tanquam torrenti, mundentur, tanti tamen Galla credulitas, jam a *Martiali* notata, apud eruditos non fit, ut, horum annales, de rebus vetuſtis Gallice jam ſcribi ſolitos, illis vero, qui probabiliter ſalſem legere Auctores Græcos Latinosve poſſunt, nihil aut parum profuturos, ad minimam *Aurelii Victoris*, *Eutropii*, nedum *Livii*, *Dionyſii*, & *Plutarchi*, fidelitatem accedere unquam poſſe, credamus. Sed ab ea me oratione abſtineo, ne quem lædere velle videar. Ego ſaltem, quicquid ſit, tantum eſſe, quantum ambitioſa ſcriptorum mentio

promittere videtur, non puto. Etenim ſapientia, omnisque propemodum doctrinæ, cognitio, falſi fuga, & ſedulitas in evolvendis monumentorum reliquiis pertinax, fidei eſt ſponſor & pignus certiſſimum. Cetera integritas uniuscujusque Auctoris præſtat. Uti ſapientes paucis ſunt contenti cultoribus, multitudinem conſulto ipſi fugientes; ita delectus & ſollicitudo, non monumentorum copia, fidelis & unicus rerum geſtarum memoriæ cuſtos eſſe poteſt. Neque tironum gratia tantum, ſed doctis plerumque hominibus, & in hac arte non mediocriter exercitatis, ſcribimus, qui etiam ſine locorum & nominum indicio ſcire poſſunt, unde pleraque hauſerimus. Recte propterea, quicquid *Bierlingius*, vir ipſe a Pyrrhoniſmo haud immunis, propter ea, quæ diſputavit *Cap. 3 §. 2 p. 204*, reprehendat, (vid. Commentarium ejus *de Pyrrhoniſmo hiſtorico Cap. 2 §. 6*,) *Perizonius* maluit in *Commentariis ſuis rerum geſtarum Seculo decimo*, Lugduni Bat. A. 1716, 8, editis, *priorum ſequi veſtigia, longo & conſtanti prorſus uſu probata, quam inutilia fere novorum hominum ſeu inſtituta, ſeu præcepta.* Audiamus ejus rationes, quas illo aut nemo melius intellexit, aut explicare potuit ſuavius. *Erunt haud dubie*, inquit in *Præfatione ad Lectorem, qui maluiſſent, me ubique, ſi non in ipſo verborum contextu, ſaltem in margine, identidem annotaſſe, aut ſingulis ſubjeciſſe paginis, nomina & loca Scriptorum, unde pleraque ſumſi. Verum abhorret prorſus a continuis illis citationibus genus hoc ſcripturæ, in quo fidei & diligentiæ Auctoris, modo hæ illius dotes ex re ipſa & tota ſcribendi ratione ſeſe ultro probent, ſatisque liqueat, nullas habere illum mentiendi*

*cauſas*

*cauſas atque conſilia, aliquid eſt tribuendum, & tribui ſolet. Aliud eſt, ſi controverſa, dubia, aut plane nova, aliterve ab aliis tradita, affirmentur, tum vero argumentis agendum, ac idoneis rerum documentis probandum unumquidque. At, ſi ex vulgatis jam probatisque Scriptoribus ſingula repetantur, ac tantum in opportuniorem noſtro inſtituto formam, modum, ac ſtilum, redigantur, tum vero ineptum foret, margines ſupervacuis onerare citationibus. Neque reperias unquam id feciſſe illuſtres & magna exiſtimationis viros, non dicam, priſcos illos,* Salluſtium, Livium, Tacitum, *aut alios æquales, (nam, iſtorum ſe tueri exemplo, apud hodiernos antiquitatis cenſores, & Criticos, ſi Diis placet, abſonum habetur, & ſtultitiæ proximum,) ſed clariſſimos illos poſtremæ ætatis auctores,* Buchananum, Emmium, Sleidanum, Thuanum, Chytræum, *aliosque innumeros, etiam illos, qui vernaculis ſcripſere linguis. Nuper admodum ſpecioſa hæc ambitio demum eſt orta, & in Gallia potiſſimum, ſed videas ſæpe novicios hoſce hiſtoriarum tanto minus adhibere fidei, quanto plus in marginibus oſtentant. Hos enim ſi inſpicias, & loca iſtic deſignata inveſtiges, inanem ferme ſumes operam, nec invenies, quod quærebas. Quin quis tandem mihi dabitur, modo non manifeſtarius calumniator, cujus fides magis ſit accuſata falſi & convicta, quam* Maimburgii, & Varillaſii? *Et tamen, ſi margines eorum, ſed maxime* Maimburgii, *conſulas, refertos ſæpe deprehendes multis illorum nominibus, quorum auctoritate ſuam ſive muniunt, ſive ornant, hiſtoriam.* Atque hæc *Perizonius.* Quodſi noſtrâ

 ætate

ætate citationum neglectus jure nemini vitio verti poteſt, multo magis detur hæc venia antiquitati, ut rem potius, quam ſuperflua rei teſtimonia, ſtudioſe ſectando, decoram ſcribendi negligentiam exprimere malit, quam noſtrorum hominum obſcuram & humilem diligentiam. Univerſum enim hiſtoriarum corpus, item veri videndi, qua priſca ingenia tantopere excelluerunt, elegantiſſima ſubtilitas, ceteraque reliquarum artium, picturæ, plaſtices, cælaturæ, & ſcalpturæ, monumenta ſatis abunde nos docent, quam religioſe res geſtas tradiderint. In his enim diligentia veterum elaboravit adeo, ut majus acumen, meliorque doctrina, vix votis peti poſſet. Propterea nulla eſt cauſa, quare iisdem alius traditionis, quæ ſcriptione Commentariorum efficitur, & uſum & ſcientiam perfectiſſimam negemus. Quemadmodum enim marmorum titulis, ſignis, picturis, numis, anaglyphicis operibus, rebusque aliis multis, quæ notæ veteris veſtigium habent, laudem ſinceritatemque abjudicare nefas putatur, ex eo, quod pleraque, in his memorata, nullo alio certo auctore conſtant; ita neceſſario ſuadet literarum utilitas, ut credamus, tam inſigni veteres ad hiſtoriam ſcribendam apparatu inſtructas fuiſſe, tantamque in hac parte collocaſſe ſolertiam, & ſtudiorum contentionem, ut majori res vetuſtæ ingenio, acumine, quæſita vigiliis doctrina, verique amore, ſcribi hodie non poſſit. Proinde vereor, ne doctiſſimus *Crevierius* juſto levius hunc locum tetigerit, qui profecto earum rerum e numero eſt, de quibus ſatis dici moverique diligentius, his præſertim temporibus, ubi judi-

judicium rectæ doctrinæ, & quædam guſtus elegantia (*le bon goût*), vileſcit, nunquam poteſt. Ita enim acutiſſimus *Livianæ* hiſtoriæ interpres veteres Scriptores defendit, ut magis deprecari ejus negligentiam, quam recti & per ſe laudabilis conſilii rationes approbare, velle videretur. Verba ejus hæc ſunt in Præfatione ad *Livium Cap. I pag. 22: Id a Livio factum non eſſe, mirari fortaſſe, aut magnopere queri, non debemus, cum hic mos a nullo fortaſſe veterum accurate ſervatus ſit.* Recte quidem. Sed erigimurne nos adeo librorum titulis, ut neceſſitatem rei per ſe vanæ & inutili, quæ falſa ſpecie multis imponit, tantam ineſſe cogitemus? Quid, ſi dicamus, antiquos tali hedera non opus habuiſſe, neque veteres Criticos ab ullo hiſtoriarum auctore ambitioſum monumenti cujusvis recenſum & commemorationem exegiſſe, refragaremurne hoc judicio moribus & libris veterum? Immo ſatis probatur, & eſt perſpicuum, ab ejusmodi reprehenſionibus temperaſſe ſibi veteres quoscunque Grammaticos. At illi quantum, cedo, noſtris antiſtant Criticis? Non ignoro, invidioſum haberi hoc judicium, nec eo equidem anquiro. Verum tamen, quod in omnibus propemodum artibus etiam nunc valet, multum hodie a vero literarum colore nos abeſſe, quem illi contra felicius duxerunt, poſtulare, quod illi propter morum illius ævi & fidei ſanctitatem poſtulare noluerunt, æquum non eſt. Latini enim tantopere ſtuduerunt poſteritati, ut nihil inhoneſtius, nihil ingenuo homine indignius, judicarent, quam illos, quorum incorruptiſſimum fore judi-

judicium in rebus ſua natura liberalibus, decipere. Non utar reipublicæ veteris documento, quæ propter ſummam libertatem, homines ſui juris, nulliusque obnoxios ſtudiis, gignebat. Ex quo factum eſſe puto, ut in ejusmodi Scriptoribus ne aſſentationis quidem & falſi ſpeciem ſuſpicarentur veteres Critici, ſed hanc ſolam ob rationem iis crederent, quoniam non credibile fuit, accidere poſſe, ut, ſi a ſpe, largitionibus, metu, partibus reipublicæ, animum vacuum habeant, aliorum gratiam in teſtimonio dicendo ſequi ſine cauſa velint, quod contra longe aliter noſtris temporibus fieri & ſolet & debet. Obſequii enim, quod regna pariunt, neceſſitas ſuſpicaces, timidos, verique dicendi ſcribendique non usquequaque ſtudioſos, homines fingit. Quare hoc tibi, quicunque rebus præſentibus & ſeculo faves noſtro, lubentes dedimus, multo tutius res geſtas hodie explicatum iri, ſi non tam ſua ſe quisque fide & induſtria, quam aliorum nobilitate & fama, muniat. At enim vero, ſi ex his colligas & ſumas, optimam hanc eſſe hiſtoriæ tradendæ curam, & conſtitui hoc pacto certi hiſtorici leges accuratius poſſe, atque ea nos ratione antiquos vincere, reducam certe funem, & pernegabo. Nam ſane ex illa re, quæ vitii potius remedium, quam virtus, nuncupari debet, ſi ſuperbiam induis, parum tempeſtivo teneri mihi videris in paupertate faſtidio. Præterea, qui antiquis detrahunt, eosque mediocres hiſtoriarum conditores his ipſis criminationibus eſſe contendunt, quam rem inceptent, vides; ſcilicet ut ſua deterrima ſcripta præ illorum

optimis

optimis apud imperitos valeant, meriſque librorum Gallicorum crepundiis adeo contineantur adoleſcentes, ut per avia literarum deducti, flores quaſi carpendo ad exemplaria ipſa & archetypam ad eruditionem perveniant nunquam. Quæ certe ſuſpicio nobis quoque in mentem venit, ſimul ac librum hunc Gallicum in manus ſumeremus, & tanquam fugiente oculo inſpiciente. Egomet continuo mecum ſic cogitabam. Si ne communis quidem omnium, quotquot vixerunt, eruditorum opinio hiſtoriæ Romanæ fidem tueri poteſt, in qua demum hodie literarum felicitate verſamur? Nam, quo tandem delapſura ſit nonnullorum impudentia, equidem non intelligo. Superiorum enim ſeculorum acutiſſimi viri, earumque artium, quibus a juventute non mediocriter operam navarunt, egregie periti, multo & reverentius caſtiusque hunc locum tractaverunt, &, ſi quæ in hiſtoria Romanorum antiquiſſima, *Panvinio*, *Sigonio*, *Pighio*, aliisque Faſtorum interpretibus, dubia viſa fuerunt, longe modeſtius pauciſſima in eam ſententiam monuerunt. At, qui contra omnem antiquitatem tam internecivis ratiuncularum telis ſtaret, nemo adhuc fuit. Hiſtoriæ igitur Romanæ Cenſor beatus atque pulcher ſibi videatur, ſibique, per me licet, ſapiat, laudem duntaxat veterum Scriptorum his obſcurare ſtudiis bonum non addecebat. Publicum enim illud eſt, & defendendum ſcilicet. Tutos enim diſcentium pleroſque a præconceptis opinionibus, & veteris doctrinæ negligentia, præſtat. In hoc quippe conſiſtit recta docendi ratio, eruditioniſque veræ imago, vulgo neglecta, ut libros veteres

res magni faciamus, à qua religione ne aberrent; qui argutias ſuas incautius divulgant, maximopere eſt providendum. Sed relinquamus jam illa, & pro inſtituto de eis videamus rebus, quarum in dijudicatione certiorem ſenſus communis locum ſibi vindicat. Nam, quæ hactenus in univerſum diſputavimus, èo ſaltem perducent nos, ùt expeditius inde cauſarum ſingularum judicium emergat, monſtrarique poſſit antiquitatis cenſori, hiſtoriam Romanam propter harum legum vim ſtare poſſe, etiamſi, quod nunquam dabimus, evincat, *Ennium, Fabium Pictorem*, *Catonem*, aut nullos excitaſſe teſtes, aut monumentis deſtituros fuiſſe. Atque hæc ita ſunt a nobis tradita, ut ejus argumentationem jam, a parte ad genus collectam, neutiquam timeamus, quæ non modo non probabilis, ſed vitioſa & ἀνακόλουθος, eſt. Si enim aliquot commenta hiſtoriæ toti veritatem, tanquam lucem, eripiunt, quidni ſtatim uno ictu res *Cæſaris* & *Auguſti* elevet? Uterque enim genus ſuum ad Venerem retulit, comamque Cæſaris in ſidus transformatam Poetæ illis temporibus certatim prædicarunt. Ut reliqua taceam, ad oſtentationem ſcenæ gaudentis miraculis aptiora, quam ad fidem. Verum his fabulis neque tollitur hiſtoriæ ipſius veritas, neque ullus unquam auſus eſt eam ob cauſam *Suetonium* aggredi. Videtur quidem Cenſor hiſtoriæ prope finem libri ſententiam ſuam paululum retractare, y) at verborum nexus, & accurata eorundem inſpectio, laqueos ſermonis ejus non obſcure oſtendit. Profitetur

y) Vid. *Diſſ. pag.* 277.

ſitetur enim, ſe non induxiſſe animum demonſtrare, ut propter aliquot fabulas reliquam partem hiſtoriæ Romanæ vetuſtioris incertam exiſtimaremus, ſed ut ſaltem totius hiſtoriæ illorum temporum traditio nobis valde ſuſpecta videretur. Sed caveat, ne tota hæc dicendi ratio ambigua & fallax ſit. Etenim quis tam acres & celeres ingenii motus habet, ut diſcrimen inter falſi timorem & incertum agnoſcat? Quæcunque enim res nequeunt aſſenſione comprobari, incertæ ſunt. In incertis autem, ut docent Philoſophi, nihil eſt probabile. Ubi nulla veriſimilitudo reperitur, hiſtoriæ fulcrum perit. Hoc ſublato, concidat omnis ævi, nedum rerum Latinarum, memoria, neceſſe eſt. Maneat ergo, Cenſorem hac rationis concluſione omnem priorum quinque Seculorum ab urbe condita hiſtoriam peſſimo exemplo nobis eripere voluiſſe, quod ni cogitaſſet, librum ſuum verecundiori formula inſcripſiſſet. Sed hæc ſufficiant in præſentia. De ceteris in ipſum librum animadverſionibus, quoniam præter ſpem Prolegomena excreverunt, plura propediem.

---

## IV.

## C. A. H. EMENDATIO
# TRIUM INSIGNIUM PLINII LOCORUM.

---

Accidit haud raro, ut exorta aliqua de quopiam veteris cujusdam ſcriptoris loco acris & longa controverſia tum ſine mora componeretur, cum Criti-

Criticus aliquis ſurrexit, monuitque litigantes, ſcripturam loci illius eſſe depravatam, ipſosque inveſtigare ſenſum ænigmatis, cujus mater ſit librarii vel imperitia, vel oſcitatio. Ita pars utraque ſuaviter ac ſine bile irriſit alteram poſt tantam ingeniorum agitationem in verbis interpretandis illis, quæ ſuus Auctor elocutus non fuerat. Uno igitur verbo mutato *Virgilianum* illud *Georg. IV*, 86, uſurpari potuit:

*Hi motus animorum atque hæc certamina tanta*
*Pulveris en! critici jactu compreſſa quieſcunt.*

Simile hujus rei exemplum nunc præbebunt illa *Plinii* verba in *Libri ſeptimi Capite quinquageſimo*: *Atque etiam morbus eſt aliquis, per ſapientiam mori.* Quo verba hæc ſenſu ceperit *Salmaſius*, haud ignorum eſt. Quid, rejecta *Salmaſiana* interpretatione, *Cudworthus* protulerit, quemque in modum ſententiam ejus tuitus ſit eruditiſſimus non ſolum interpres, ſed etiam cenſor & illuſtrator, *Cudworthiani* Operis, *Moshemius*, ibi *pag.* 1034 legi malo, quam hic loci. Illud duntaxat obſervo, neque *Clerico Cudworthum* ſatisfeciſſe, neque *Moshemium* doctiſſimo illi Viro, qui *Cudworthianum Syſtema* in Diario illo clariſſimo, cui titulus eſt: *Bibliotheque raiſonnée*, *T. XIII. pag.* 348 *ſeq.* recenſuit. Recte ſcilicet is intueri *Moshemium* jubet proxime ſequentia *Plinii* verba, etſi ipſemet, ea intuitus, profert interpretationem non magis probabilem, ob id tamen laudandus, quod ſuæ ipſe conjecturæ ſe diffidere profitetur ingenue. Proxima igitur illa verba, quæ hic urget, docere nos debent, priora *Plinii* verba corrupta

rupta eſſe, ac ita eum ſcripſiſſe: *Itaque etiam morbis eſt* (hoc eſt, *morbi habent*,) *aliquid ſapientiæ*, vel *aliqua ſapientia. Morbis enim quoque quasdam leges natura poſuit: quadrini circuitus febres nunquam bruma, nunquam hibernis menſibus, incipere*, cetera. Vides, innui a *Plinio* ordinem, quem ſervant febres; unde ad credendum adduci poſſis, intelligentia quadam eas eſſe præditas. Non aliud itaque *Plinius* dixit, quam quod *Cicero*, *Lib. III de Natura Deorum Cap.* 10, *Si omnis motus*, inquiens, *omniaque, quæ certis temporibus ordinem ſuum conſervant, divina ducimus, ne tertianas quidem febres & quartanas divinas eſſe dubitandum ſit, quarum reverſione & motu quid poteſt eſſe conſtantius?*

Scio, Criticis fidem vix prius haberi, quam depravationis verborum cauſam indicarint atque originem. Eam vero hic facile inveſtigamus. Irrepſit videlicet verbum *mori*, quia easdem tres literas exhibebat ſubſequens verbum *morbis*. Quam igitur facile, quod ſemel ſcribendum erat, bis exaravit librarius! *Per* autem ex *d*, ultima τȣ *aliquid* litera, naſci potuit; cum *per* ſola litera *p* a librariis ſignificari conſuevisſet. Ita *D* in *P*, *P* in *per*, mutatum fuit. Quod vero *atque* reformavi in *itaque*, mirum nemini videbitur, qui præcedentium verborum conſideraverit cohærentiam, quique noverit, quam ſæpe jam Critici permutationem duorum illorum verborum obſervarint in librariis.

Verum res ipſa ſatis patrocinatur emendationi meæ, quam jam A. 1723 paucis protuli in *Pœciles meæ T. I Lib. III pag.* 436. Quam (in eo duntaxat mutatam, quod ibi *in morbis* ſcripſeram, nunc *morbis*

*his* ſcribendum judico,) non iterum produxiſſem in lucem, niſi alium *Plinii* locum, in propinquo jacentem, qui æque exercuit viros doctiſſimos, hac occaſione ſuſciperem emendandum. Diſceptarunt ſcilicet *Salmaſius*, *Clericus*, & *Mosbemius*, quid ſit in proximo *Plinii* Capite *ægritudo ſapientiæ*, rurſus quippe tribuentes *Plinio*, quod indoctus ſcripſerat librarius. At ego quidem clariſſime video, & ab omnibus, mentem huc adverſuris, agnitum iri exiſtimo, valde corruptum eſſe hunc locum, atque ita oportere corrigi: *Jam ſigna letalia: in furoris morbo riſus: in ſapientium vero ægritudine fimbriarum & ſtragulæ veſtis plicatura; in ſomno etiam neglectum præfandi humoris* (hoc eſt, urinæ,) *effluvium. Sapientes* videlicet ægrotos, id eſt, ſanam ſervantes mentem, nec in furorem actos, a *furioſis* diſcernit: & *neglectum urinæ effluvium* vocat, quod accidit non cogitanti ſentientique. Quo fere modo *neglectus homo* dicitur *Ciceroni* in *Oratione, poſt reditum in Senatu* habita, *Cap. 6*, qualem Galli ſuo ſermone vocant *negligent*. Quod verbum *curam* ejeci, non miraberis, ſi obſervas, naſci id facile potuiſſe ex poſtremis verbi *fimbriarum*, quod proxime antecedit, literis. Audiamus, quæſo, nunc etiam *Cornelium Celſum*, eadem tria mortis ſigna in Libri primi ſexto ſeptimoque Capitibus commemorantem, & hoc ipſo lucem *Plinianis* verbis inferentem. Primum igitur appropinquantis mortis ſignum his verbis deſcribit: *Quibus cauſa doloris, neque* (hoc eſt, *& tamen non*,) *ſenſus ejus eſt, his mens laborat.* Alterum hoc modo exhibet: *Si*

*quis*

*quis in veſte floccos legit, fimbriasve diducit.* Tertium denique ita: *Si urina ſine voluntate deſtillat.*

Illud ultimo loco adjicere liceat, *Nicolaum Antonium* in *Bibliotheca ſua Hiſpana T. I pag.* 583, & *T. II pag.* 232, docere, tres de *Pliniana* illa *morte per ſapientiam* in Hiſpania exſtare Diſſertationes, *Joannis de Pineda*, *Simonis Ramos*, Medici Hiſpalenſis, & *Gaſparis Caldera*, Medici Carmonenſis. Quodſi nec horum ulli in mentem venit dubitare, an recte ſe habeat *Pliniani* iſtius loci ſcriptura, fateor, nulla me cupiditate flagrare cognoſcendi eorum ſententias; quippe quas falſas & ineptas eſſe neceſſe eſt.

Accedo ad tertium *Plinii* locum critica cura dignum, qui in *Libri XXXV Capite II* occurrit, ubi, laudato more imagines eruditorum hominum ſive aureas, ſive argenteas, ſive æreas, exhibendi in Bibliothecis, *novitium* hoc vocat *inventum*, ejusque auctorem fuiſſe docet *Aſinium Pollionem*; cujus Bibliothecam jam longe antea commemorarat *Lib. VII Cap.* 30. *Aſinii Pollionis*, inquit in *ſecundo* illo *Capite*, *hoc Romæ inventum, qui primus Bibliothecam dicando ingenia hominum rempublicam fecit.* Ita quidem nunc editur inviti ſſima Minerva Latina. Ac miror, ita recitari hunc locum a *Lipſio* in *Syntagmate de priſcis Bibliothecis Cap. V.* Scilicet vir criticæ artis conſultiſſimus, hiſtorico illi labori tum intentus, fugitivo intuebatur hunc locum oculo, quem, ſi mentem huc advertiſſet, facile intellecturus erat depravatum eſſe a librariis, cum, tam perplexe, tamque parum Latine, loqui, haudquaquam ſit *Plinii*. Minus miror, *Durando*, Londinenſi Theologo, qui

A. 1725 ſeparatim hunc *Plinii* librum edidit, multisque annotationibus ſtipavit doctiſſimis, non inceſſiſſe ſuſpicionem mendi. Certe ſecure tractat hunc locum, ob id tamen laudandus, quod, quid ſit *dicare Bibliothecam*, ſcienter interpretatur. Quod igitur illi neglexerunt, ego quidem ſtudioſe faciam, ut ſcripturæ vitium indicem, & ſua *Plinio* verba reſtituam. Illud antea moneo, nihil vitii ineſſe verbo *dicando*. Minus quidem uſitata eſt hæc dictio; ſed paulo ante jam eam uſurpavit Noſter, ſcribens, *in Bibliothecis dicari imagines doctorum hominum*. *Dicare* igitur ei idem eſt, quod *conſecrare*, vel potius *ſacro quodam & ob id ipſum liberi aditus loco conſtituere*. Eodem modo *Capitis tertii* initio *dicare clypeos in publico* dixit. Latet vero mendum in his verbis auri Latinæ nulli tolerabilibus: *ingenia hominum rempublicam fecit*. Scripſerat videlicet pro *ingeniorum* imperitus aliquis librarius *ingenia horum*; ex *horum* deinceps ſciolus quiſpiam fecit *hominum*.

Uſus eſt autem arguta dictione *Plinius*, cum Bibliothecam *Pollionis* appellavit *ingeniorum rempublicam*, hoc eſt, civitatem ingenio doctrinaque clarorum hominum; quo eodem modo *Tacitus* in *Agricola Cap. 3* ſcripſit, *ingenia ſtudiaque opprimi facilius, quam revocari*. Argutiæ illius ſuæ ducem *Plinius Plautum* habuit, qui in *Moſtell. V, 1, 8, ſenatum congerronum convocare* dixit; quæ formula & in ejus *Milite glorioſo II, 6, 109, & 111*, reperitur. Qui & audacius in *Epidico I, 2, 55, Ego jam*, inquit, *ſenatum* (cogitationum) *convocabo in corde conſiliarium*. Idem in Prologo *Rudentis v. 2* de

Arctu-

Arcturo ſtella ait, eſſe eam de *civitate cælitum.* En *ſtellarum civitatem* ſive *rempublicam!* Nolim præterire, quod Philoſophorum veterum quidam dixit, *avaritiam eſſe vitiorum* μητρόπολιν, eumque imitatus *Chryſoſtomus* feſtum nativitatis Chriſti appellavit μητρόπολιν πασῶν τῶν ἑορτῶν. Utrumque *Menagius* obſervavit ad *Laertii VI, 50.* Scite igitur & acute *Plinius* Bibliothecam vocavit *rempublicam ingeniorum*, hoc eſt, civitatem literatam, cujus nullus civis indoctus. Quod argutiarum genus poſtea imitatus eſt *Latinus Pacatus*, in *Panegyrici Cap. 28* ita de *Balione* quodam ſcribens: *Poſt ampliſſimos magiſtratus, & purpuras conſulares, & contractum intra unam domum quendam honorum Senatum, vita ſe abdicare compulſus eſt.*

Ut tamen dem nonnihil Philologis illis, qui ita ab arte critica averſo ſunt animo, ut vulgatam quamvis ſcripturam tueantur mordicus, & (utor verbis *Grævii*, Operi *Ciceronis de Officiis* præfantis,) *ineptire malint miſerrime in corruptis corruptius exponendis, quam librarii aut fidem, aut manum, aut interpolatoris imperitiam, accuſare, & alterius ſolertiam, parva literæ aut vocis mutatione nebulas omnes diſcutientem, agnoſcere;* proferam vulgatæ ſcripturæ interpretationem eam, qua probabiliorem ſcio ab eorum nemine prolatum iri; tumque demonſtrans, nec eam poſſe recipi comprobarique, hoc ipſo manifeſtius faciam, juſtam liquidamque eſſe correctionem illam meam. Cum ſcilicet omnes, quod ſciam, poſt *dicando* comma ſtatuant, tollam id, ut *Plinius* dicat, *a Pollione dicata fuiſſe ingenia hominum:* prætereaque pro *rempublicam* disjuncte *rem* ſcribam *publicam.*

cam. Nunc jam verba iſti Plinii: *Bibliothecam, dicando ingenia hominum, rem publicam fecit*, hunc in modum, ſi placet, interpreteris: *Dum Pollio ingenia hominum dicavit*, hoc eſt, doctorum hominum imagines omnium conſpectui expoſuit, *Bibliothecam ſuam rem fecit publicam*, hoc eſt, omnium uſui expoſitam; uti ſupra *Lib. VII Cap. 30* ſcripſit, *ab eo Bibliothecam ſuam fuiſſe Romæ publicatam*. En patrocinium ſtudioſe quæſitum vulgatæ ſcripturæ! At quam facile eſt, quod ædificavi, diruere! Interpretatio videlicet iſta primum dat *Plinio* dictionem ipſo indignam; deinde ab ejus ſcopo prorſus aberrat. An, quæſo, ſi dicere id voluiſſet *Plinius*, inepte dicturus erat *ingenia hominum*? An non dicendum fuiſſet *ingenia*, omiſſo *hominum*? Et quis tamen ferat, *ingenia* dici pro *doctorum hominum imagines*? Ad ſcopum *Plinii* quod attinet, *Bibliothecam a Pollione ſuam factam eſſe rem* communem & *publicam*, dicit; (ſervo enim adhuc interpretationem modo allatam,) quod quidem non poterat fieri exhibitione imaginum, ſed libros a ſe collectos offerendo utendos omnibus. Vides, in Æthiope dealbando laborari nequicquam, hoc eſt, ſervari nulla ratione poſſe ſcripturam vulgo editam.

---

## V.

## FRIDERICI OTTONIS MENCKENII CRITICÆ LITERARIÆ SPECIMEN PRIMUM, EXHIBENS PLAGIARIORUM DUAS DECADES.

---

AD

# AD LECTOREM!

Accedenti mihi jam ad literarium, & lectorum, quod ſpero, multis, etſi non iis ipſis, ad quos pertinet, jucundum, argumentum, hominumque aliquot, de ſe & fama ſua peſſime promeritorum, exempla colligenti, nolim quisquam antiquum illud: *Cui non dictus Hylas?* objiciat, aut in opere vulgari nimiumque trito ignavam a me poſitam induſtriam queratur. Quid ante me ſit præſtitum ab elegantis doctrinæ viris illis, quorum de *plagio*, ſeu, quod idem eſt, de *furto literario*, confecta diligenter ſatis, ſcripta exſtant, *Jacobo Thomaſio*, [a]) *Jo.*



a) Hujus prodiit Lipſiæ A. 1673, forma, quam vocant, quarta, *Diſſertatio Philologica de Plagio literario*, quæ certamini Academico materiam præbuit, a *Jo. Mich. Reinelio*, Reſpondente, publice defenſa. Hæc deinde A. 1679, integri libelli habitu, nova luce donata eſt, cum Appendice, ſic inſcripta: *Ad Diſputationem* M. Jacobi Thomaſii *de Plagio literario Acceſſiones, quarum* 1) *Supplementum catalogi Plagiariorum;* 2) *Locum* Joannis Bonæ, *Cardinalis, de hoc argumento;* 3) *Præfationem de vitiis ſcribentium libros, ipſi Diſputationis actui præmiſſam;* 4) *Nucleum Diſputationis maxime theoreticum, theſibus plurimis & brevibus comprehenſum;* 5) *Summaria Diſſertationis juxta ſeriem Paragraphorum;* 6) *Indicem Plagiariorum, vel quaſi alphabeticum, exhibet.* Primus eſt *Thomaſius*, qui argumentum hoc ad forum literarium tranſtulit, olim a *Duareno* ad civile vocatum. Sed, quod raro accidit, non primus tantum in hoc ſcribendi genere ſe exercuit, ſed eo-

*Conrado Schwarzio,* b) *Thoma Crenio,* c) *Th. J. Almelo-*

rum etiam omnium, qui ipſi ſucceſſerunt in hoc munere, laudes ſuperavit, effecitque, ut difficile ſit, magisne literariæ doctrinæ copiam, an vim ſolertiamque diſputandi, an ſcribendi elegantiam, admireris, decernere. *Tria* autem libri ſui *Capita* fecit, quorum *primum, theoreticum,* ſubtilis Philoſophi, *alterum, hiſtoricum,* diligentis Hiſtorici, *tertium, practicum,* ſagacis monitoris & magiſtri, ei laudem peperit.

b) A doctiſſimo hoc Viro edita & defenſa eſt in Academia Halenſi Anno 1701 *de Plagio literario* Diſſertatio, ſed quæ auctior deinde Lipſiæ A. 1706, forma 8, prodiit, cum hac inſcriptione: Jo. Conradi Schwarzii *de Plagio literario Liber unus.* De cujus pretio quid ſit exiſtimandum, docebit te omnium optime *Jo. Franciſcus Buddeus* in Præfatione eleganti, huic libello *Schwarziano* præmiſſa, & laudum hujus laboris ſatis plena. Non tam Hiſtoricum, quam Philoſophum & Philologum, agit Cel. *Schwarzius,* in eo inprimis diligens & accuratus, quod, quæ maxime ingenia hominum in furti turpitudinem prona ruant, quibus remediis occurri poſſit huic furandi libidini, qua in accuſando & condemnando cautione ſit utendum, ex morali doctrina ita, ut vix quisquam poſſit melius, oſtenderit. Idem *Schwarzius* poſtea A. 1712 Coburgi novam *de Naturali & præcipua cholericorum propenſione in furtum literarium* Diſſertationem forma 4 edidit, ſed de qua, quippe mihi inſpecta nondum, nihil habeo, quod doceam lectores meos.

c) Collegerat is primum Plagiariorum aliquot exempla in *Parte X Animadverſionum philologicarum &*

*melovëenio*, d) *Davide Abercrombio*, e) *Francisco*



*hiſtoricarum*, Amſtelodami A. 1701, 8, edita, *Cap.* 2 §. 8 *pag.* 162 *ſeq.* quo labore delectati nonnulli, auctores ei fuerunt, ut de eo proſequendo cogitaret, ederetque *de Furibus librariis Diſſertationes Epiſtolicas duas*, aut, ſi aliorum ſtandum teſtimonio, *tres*, quarum *prima* A. 1704, *altera* A. 1708, *tertia* neſcio quo anno, Lugduni Batavorum, forma octava, lucem conſpexit. Qui libros ſcribendi rationem *Cremianam* non ignorant, iis, etiam tacente me, perſuaſum eſſe poteſt, nihil his libellis præter exempla Plagiariorum undecunque corraſa, aut loca Autorum nullo nec judicio, nec ordine, in unum cumulum congeſta, contineri.

d) Exſtant hujus Viri, Amſtelodami A. 1686, 8, edita, *Opuſcula, ſive Antiquitatum e ſacris profanarum Specimen, Conjectanea, veterum Poetarum Fragmenta, & Plagiariorum Syllabus.* Legitur hic *Syllabus*, doctiſſimo Viro, *Gothofredo Thomaſio*, dedicatus, a *pag.* 183 ad 195, ſed quem ſtans pede in uno tiro quisque librarius conficiat; adeo jejunus eſt, &, præter unum & alterum cujuscunque generis Scriptorum rude & incoctum teſtimonium, nihil continet. Eundem autem *Syllabum* poſtea, novis exemplis ditiorem; ſed, quod ad teſtimonia Scriptorum quorundam, qui auctoritatis aliquantum ſuſpectæ videbantur, non levi ex parte imminutum, adjecit Autor *Amœnitatibus Theologico-philologicis*, A. 1694 Amſtelodami, 8, divulgatis, de quibus, vide, quid ſentiant *Autores Actorum Eruditorum A.* 1694 *Menſ. Aug. pag.* 343.

e) Feſtivus eſt & mire elegans doctiſſimi hujus Medici, gente Scoti, libellus, quem, ita inſcriptum: *Fur Academicus, ſive Academia ornamentis ſpoliata, a furibus, qui in Parnaſſo coram Apolline ſiſtuntur, ubi criminis ſui accuſantur & convincuntur*, Amſtelodami A. 1689, 12, edidit, poſtea eadem in urbe,

*Duareno*, f) *Gul. Saldeno*, g) *Jo. Alberto Fabricio*,

eademque forma, A. 1701 excuſum. Satiram bene ſalſam, & omnis generis floribus conſperſam, dicas, qua literarii fures ſive univerſim, ſive proprie, petuntur, et juſtis ſibilis conviciisque exploduntur.

f) Hic magni nomini Jureconſultus eorum omnium, quibus de Plagio literario ſcriptis aliquid commendare in mentem venit, primus fuit, inde ſcribendi occaſionem nactus, quod ſcripta ſua a *prædone quodam*, ut vocat, *inſigni* expilata videret, a quo ut juſtas tanti ſceleris pœnas ſumeret, ſcripſit *de Plagiariis & Scriptorum alienorum compilationibus, aliisque rebus cognitu dignis, ad Franciſcum Balduinum, Jureconſultum, Epiſtolam*, Pariſiis datam A. 1549, quæ inter *Opera Duareni*, Francofurti A. 1592, fol. edita, *pag. 1105* legitur. Brevior eſt, quam ut putari poſſit ſeparatim unquam edita; ſed habet omnino elegantiæ haud parum, &, quomodo animadvertendum ſit in plagiarios, ex civili Jure ita explicat, ut nihil ſimul ſuavitatis literariæ, & florum undecunque decerptorum, deſideres.

g) Nihil dubito, *Saldeni* hujus verum eſſe fœtum libellum A. 1681, 12, hac inſcriptione vulgatum: *Chriſtiani Liberii Germani* Βιβλιοφιλία, *ſive de ſcribendis, legendis, & æſtimandis libris, Exercitatio paraenetica, ad ſolidæ &* ἀνυποκρίτου *ſapientiæ Candidatos. Interſerta quædam ſunt de Plagio literario, Thraſoniſmo Theologorum, variisque aliis hodiernæ* Μισοβιβλίας *cauſis*, iis partim rationibus, quas attulit *Vinc. Placcius* in *Theatro Anonymorum & Pſeudonymorum P. II pag. 418 n. 1573* adductus, partim frequenti uſu edoctus, in Opuſculo hoc multa contineri, quæ iisdem verbis leguntur in ejusdem *Saldeni* opere majori *de Libris, varioque eorum uſu & abuſu*, Amſtelodami A. 1688, 8, edito; quæ, niſi eundem utriusque libelli Auctorem putes, impu-

*cio*, [h]) *Leonardo Cozzando*, [i]) aliisque multis, [k])
probe

dentiſſimis plagiariis illum, quiſquis ſit, *Chriſtianum Liberium* aggregarent. Hunc autem ipſum eo in loco, quo ipſe prædones literarios inſectatur, non a furto abſtinuiſſe manus, mihi parum veriſimile videtur. Conſpirant autem, ut dixi, hæc, quæ de Plagio in hac *Exercitatione* diſputantur, amiciſſime cum illis, quæ in ejusdem *Saldeni* opere *de Libris* de eodem criminum genere leguntur, &, quicquid ex omni memoria de hoc argumento compertum fuerat Autori, id larga manu hic expromitur, ita quidem, ut Rhapſodiæ magis, quam apte cohærentis tractationis, formam præ ſe ferant.

h) Hic olim, tectum *Joannis Alberti Fabri* nomen mutuatus, Lipſiæ A. 1689 librum ſic inſcriptum in 4 edidit: *Decas Decadum, ſive Plagiariorum & Pſeudonymorum Centuria. Acceſſit Exercitatio de Lexicis Græcis*; ex cujus cum inſcriptione ſatis pateat, exempla plagiariorum hic collecta centum eſſe, tum per ipſum librum manifeſta ubique *Fabricianæ* eruditionis veſtigia apparent, ut, ſi a *Thomaſio* diſceſſeris, neminem *Fabricio* de *Plagiariis* (ipſum enim *plagium* quod attinet, nemo *Schwarzianam* induſtriam æquavit,) egiſſe doctius & copioſius exiſtimem.

i) Non eſt incognitum hujus Auctoris nomen, quem *de Magiſterio antiquorum Philoſophorum* liber, Coloniæ A. 1684 publicatus, ſatis viris doctis commendavit. Novus autem eſt, & fortaſſe adhuc paucis notus, ejusdem Viri *de Plagiariis Liber ſingularis*, a juvene olim conſcriptus, ſed tunc ſuppreſſus, nunc vero, exſtincto Auctore, a neſcio quo adjectus docto & ſelecto Operi, quod nuper demum Venetiis, auſpice, ni fallor, *Jacobo Facciolato*, per partes edi cœptum eſt cum hac inſcriptione: *Miſcellanea di varie Operette*, in cujus *Volumine ſecundo pag.* 134 *ſeq.* locum datum huic *Cozzandi* libello poſthumo videmus. De quo quantumvis magnifice ſentire

probe ſcio; nec mihi in mentem unquam venit, ita horum uti laboribus, ut eodem in loco & accuſatorem me, & reum, invenias. Ita, meo judicio, ampluſm, & peſſi-

ii, qui ediderunt, videantur, quantivis etiam pretii exiſtimetur opera in colligendis plagiariorum exemplis, quorum hic tantus eſt, quantus vix usquam alibi, exercitus inſtructus, poſita; dubito tamen, an ad palatum futura ſit ætati noſtræ delicatiori ea tractandi ratio, quæ *Almelöveeniana* illi, paullo ante notatæ, prorſus eſt ſimillima; ſi quidem tractaſſe argumentum dici poteſt is, cui una hæc cura fuit, ut ex locis Autorum ſexcentis informe quoddam corpus conſueret, & reos quosque, accuſatos tantum, non convictos, tumultuario judicio condemnaret. Eſt hoc peſſime non de viris tantum doctis, ſed de ipſis etiam literis, mereri, a quibus ſi vim ingenii & nobilem judicandi facultatem arceas, id ipſum arcere videris, quod eſſe doctrinæ omnis & ſtudiorum quaſi animam & vitam conſtat.

k) Quos nominavi ſcriptores, *de Plagio* & *Plagiariis* ex inſtituto egerunt; quibus addi unus & alter poſſet, ſi incerto aliorum teſtimonio utendum putarem. Nolim vero tibi perſuadeas, ita hoc argumentum ad hos, quorum facta modo eſt mentio, ſcriptores ſolos pertinere, ut nusquam alibi de *plagio* quidquam invenias. Quin dies me deficeret, ſi de iis mihi dicendum omnibus eſſet, qui, tanquam aliud agentes, aut generatim de *Plagio* egerunt, aut ſpeciatim *Plagiariorum* exempla notarunt. Hoc mihi velim credas, Lector, vix ullum unquam aut *de Hiſtoriæ literariæ ratione univerſim ſpectata*, aut *de vitiis eruditorum*, aut *de his, quæ quomodocunque ad viros doctos ſpectant*, Commentarium prodiiſſe, cui non acceſſerit *de Plagio literario* Caput amplum & ſpectabile; plena etiam querelarum de furtis & latrociniis *Diaria Eruditorum* eſſe, quo-

peſſimorum exemplorum dives, eſt hoc argumentum, ut novam putem, nec ab aliis occupatam, ſeros etiam, ſi quis horum exercere ſe in eodem ſcriptionis genere voluerit, poſteros materiam ſcribendi habituros. Solent, qui in poſſeſſiones aliorum involant, furtum hoc clam & per inſidias committere, &, ſi ſatis audaciæ res ipſa habet, ita tamen ſunt callidi, ut nolint a quoquam ſentiri rapinas ſuas. Fit igitur plerumque, ut diu in occulto lateat tam turpe facinus, nullo forſan tempore in hominum notitiam ventu-

rum lectio vel hoc nomine non exiguam utilitatem habet. Hos igitur ut ad unum omnes nominatos hic legat, vix quisquam exoptet; nec ſane, talem operam inſumere, eſt inſtituti mei. Notanda hæc privatæ lectoris cujusque induſtriæ relinquo, ſi quidem, notare talia, operæ pretium exiſtimetur. Unum hoc addo, *de Plagio literario* libellum doctum & copioſum inventum in ſchedis literatiſſimi in Gallis viri, cui nomen *le Clerc*, A. 1737 defuncti; cui ut nunc etiam, exſtincto Autore, videre lucem contingat, eſt in optatis noſtris. Faciunt ejus rei fidem Autores *Diarii*, Pariſiis edi ſoliti, & ſic inſcripti: *Mercure de France, Menſe Februario Anni 1737.* Quod vero a *Rudolpho* etiam *Martino Meelſübrero* Opus editum *de Plagiariis Nic. Hier. Gundlingius* in *Collegio Hiſtoriæ literariæ Parte IV Cap. 7 §. 14 pag. 6094* tradit, id quale ſit, fateor, me prorſus ignorare. Nullo enim, quod ſciam, *Meelſührerus* ille Hiſtoriam literariam libro ditavit, præter hunc unum: *Acceſſiones ad Cel. Viri, Theodori Janſonii ab Almeloveen, Bibliothecam promiſſam & latentem*, Noribergæ & Lipſiæ A. 1699, 8, editum, in quo rei literariæ miſcellanea quæque, ſed, quantum fugiente oculo cognoſcere mihi licuit, de plagiariis fere nihil, continetur.

venturum, niſi rariore quodam caſu a nihil minus cogitantibus detectum eſſet. Vix enim in ullo genere difficilior eſt, quam in hoc, quod literarii eſt fori, inquiſitio; quod nemo facile viventium, plerique autem omnes mortuorum, expilare bona ſoleant; aliena vero, in tanta librorum ac libellorum multitudine, aut nota ſint paucis, aut plerumque parum curentur. Quis credat, & mihi tamen velim credi, incidiſſe nuper demum amicum quendam meum in atrociſſimum fortaſſe omnium, quæ ſunt aut fuerunt unquam, plagium, a viro quodam, niſi hoc ſe crimine commaculaſſet, vere magno, ſed cujus, quod famæ parco, ideo jam nomen taceo, in libro, quo non eſt ullus hominum manibus hac ætate magis tritus, illiberaliter commiſſum, ſed a Seculi inde ſpatio animadverſum, quod ſciam, nemini. Quod ipſum ſi potuit in vulgo cognitis, & ubivis obviis, accidere, quis non multo id facilius in his, quæ ſunt a vulgari cognitione paulo longius remota, atque ob id ipſum inſidiis latronum magis patent, poſſe accidere intelligat? Fortaſſis igitur non fallar conjectura, ſi, ex his, qui alienas olim opes per vim ac ſcelus ad ſe rapuerunt, in fuga adhuc eſſe plurimos, vix unquam aut ſero demum venturos in manus noſtras, deprehenſos autem a nobis pauciſſimos, mihi perſuadeam. Præterea novus eſſe quotidie illorum hominum proventus ſolet, &, quod ſceleris olim fuit, nunc fere artis eſſe cœpit; ut, ſi vetera etiam ſatis tractata ab aliis putari debeant, vel recentiſſima libello videantur integro ſufficere. Itaque de me, velim, Lector, ita teneas, inſtituto magis & con-

ſilio,

ſilio, quam rebus ipſis, convenire me cum his, qui ante me de furto literario ſcripſerunt, quippe id agentem, ut exempla quædam plagiariorum, ſed ea nova, nec ab his, quos paulo ante nominavi, ſcriptoribus notata, colligam, ſi qua vero aliis jam cognita non prætermitterem, hæc ipſa nova quaſi forma & veſtitu prodire in ferale hoc theatrum juberem. Sed eſt etiam in ipſo inſtituto noſtro tale quid, quod mihi ipſi proprium vocare jure poſſim. Nam, cum alii plerique omnes in hoc argumento ita ſoleant verſari, ut ad lacerandam viri haud raro boni & ſorte meliore digni famam ſatis ipſis ſit, judicium aut teſtimonium ſcriptoris qualiscunque crudum & nihil habens roboris afferre, nec, jure, an injuria, ſit ea inſtituta accuſatio, curam inquirendi ullam ſuſcipiant: quo fit, ut, rumore latius manante, ii ſæpe immerentes exiſtimationis ſuæ, qua nullum eſt præſtabilius homini bonum, jacturam faciant, quos, cauſa in judicium deducta, rigidiſſimus quisque judex ipſa turpioris facti ſuſpicione abſolveret; viſum mihi eſt hujus rei rationem longe aliam inire, nec tam de judiciis aliorum, quæ quam ſæpe incerta, quam etiam iniqua, & quam odii invidiæque plena, ſint, nemo eſt facile noſtrum, qui non quotidie experiatur, quam de eo, quod re vera actum eſt, laborare, resque eas omnes circumſpicere, quæ ſive ad defendendum, ſive ad condemnandum, reum quocunque poſſint modo pertinere. Evolvi igitur, id quod præcipuum videbatur, libros eos omnes, ſive qui furti ignobilioris macula adſperſi, ſive qui turpiter ſpoliati, dicebantur, &, inſtituta diligenter horum comparatione, ſæpe, quam

effræ-

effrænis hominum libido obtrectandi, ſæpe etiam, quam deteſtabilis furandi impudentia, fuerit, haud difficile cognovi. Atque ita factum gaudeo, ut reſtituere aliis, quam miſere perdiderant, famam & dignitatem ſuam, aliorum caſtigare mores improbos, abominandosque publice proponere bonis omnibus, potuerim. Sed laboris noſtri quoddam tantum ſpecimen nunc damus, cujus ea ſit ratio, ut, quid deinde ſit exſpectandum, et ſitne dignum, quod exſpectetur, hinc judicari queat. Literaria ſunt, quæ legis, nec alio hæc æſtimentur pretio rogamus. Qualia, ſi ſubtiliſſimis ætatis noſtræ Philoſophis non ſatis digna putantur rugis ſuis, habent tamen & amatores ſuos, qui, nihil eſſe tam leve in re literaria, quod non lucro ponere viri ſapientes ſciant, prorſus intelligunt. A quibus, ſi non gratiam inire hujus, quicunque eſt, laboris mei, hoc tamen impetrare, cupio, & impetraturum me certiſſime confido, ut, ſeria his quaſi jocis diſtinguere, & a gravioribus ſtudiis ita feriari, ne videamur feriati, quam prorſus nihil agere, & ignavo otio diffluere, ſatius exiſtiment.

## I.

Quem in nobiliſſimis ſcriptoribus ſuis Galli numerant, cui & tantum ingenii natura dederat, ut facile placere proprio ornatu poſſet, non omni ex parte effugere ſuſpicionem plagii JOANNES LUDOVICUS GUEZ DE BALZAC potuit. Non defuere enim, qui, ſi quid boni & venuſti ineſſet ſcriptis ejus, id omne mutuo deſumtum ex ſcriptis aliorum dictitarent. Quos inter *Theophilus Viandus*, magni nominis Poeta, objicit hanc ei maculam

in

in Epiſtola acerbe atque vehementer ſcripta, [a]) quæ, cum talem ſiſtat imaginem *Balzacii*, qualis eſſe ſolet hominis turpiſſimi,& ab omni morum elegantia remoti, tum falſe inprimis notat hanc in aliorum ſcripta involandi ignavam & indignam bono viro libidinem. Pertinent huc illa: *Le peuple croit que vous avez fait un livre; mais let Scavans diſent que vous pillez aux particuliers, ce que vous donnez au public; & que vous n'ecrivez que ce que vous avez lû. S'il y a de bonnes choſes dans vos ouvrages, les honnêtes gens qui ne connoiſſent pas ces bonnes choſes, ne peuvent vous en loüer, & ceux qui les connoiſſent, ſcavent, qu'elles ne ſont point de vous.* Sed æquiſſime egiſſe cum *Balzacio* videatur hic *Theophilus*, ſi conferas cum hujus Satira, quæ prorſus amare in *Balzacium* dicta ſunt a Patre *Jo. Goulu* in Epiſtolarum *Voluminibus duobus*, ſub nomine *Philarchæ* editis. [b]) In his enim nihil intentatum relinquit, ut hominis plane ſtolidi, omnium rerum ignorantis, impudentis, denique etiam athei, maculam adſpergat *Balzacio*, &, quam plena ſint furtorum ſcripta ejus, multis, iisque magno ſtudio collectis, ſpeciminibus oſtendat. Quæ ipſa ut luculentius paterent, ex uno *Joſephi Halli*, doctiſſimi Anglorum, libello *Conſiderationum fortuitarum*, Anglice ſcripto, adduxit loca bene multa, [c]) ita adoptata a *Balzacio*, ut paucula in verbis,

a) Legitur hæc inter *Epiſtolas Gallicas* (*les plus belles Lettres Francoiſes ſur toutes ſortes de ſujets, tirées de meilleurs Auteurs*,) a *Petro Richeleto* collectas, *Tom. I pag. 470 ſeq.*

b) Inſcriptus eſt liber: *Eloquence Francoiſe, ou Lettres de Philarque à Ariſte.*

c) Sunt hæc velut in indicem redacta a P. *Goulu*, &

bis, in rebus prorſus nihil, mutaverit. Sed nactus eſt ſtatim defenſorem *Balzacius* in *Ogierio*, ſacri ordinis viro, cujus *Apologia Balzacii* d) ad id unice ſpectat, ut, nihil veritati, omnia malo animo & invidiæ, dediſſe *Gouluum*, nec ex libro *Halli*, præter occaſionem & materiam ſcribendi, quidquam deſumtum, omnibus vero, quæcunque aliunde petiiſſet, novam gratiam, novumque decus additum, manifeſtum cuilibet evaderet. Quo etſi illud effecit *Ogierius*, ut, qui bene cupiebant *Balzacio*, hi ſatis in tuto collocatam putarent cauſam viri; e) fuerunt tamen alii, qui, re accuratius conſiderata, juſto licentius in exprimendis *Halli* dictis ac ſententiis verſatum dicerent

*Epiſtolarum Voluminі primo* ſubjecta.

d) *Apologie pour Mr. de Balzac. A Toulouſe, 1627, 8.*

e) Tale eſt judicium *Petri Richeleti* in Gallica *Epiſtolarum* συλλογῆ *Tom. I pag. 336 not.* c): *Mr.* Ogier, *touché de l'aigreur du ſatirique Feuillant, fit l'Apologie de* Balzac, *& le défendit avec eſprit:*

*Il y paroît ſi modéré,*
*Qu'il veut moins le vanger que plaire:*
*Le Siécle de Caton n'a jamais admiré*
*Une plus éloquente & plus ſage colere;*

& in *Particularitéz de la vie des Auteurs François, qui ont écrit des lettres*, præmiſſis ejusdem συλλογῆς *Tomo I pag. 89: Comme cette Piéce* (*de Mr.* Ogier) *eſt ingénieuſe, elle fut favorablement reçûe, & fit une belle reputation à ſon Auteur. On reprenoit* Balzac *d'avoir presque pris tout ce qu'il avoit de bon, & de donner trop dans l'hyperbole, & la metaphore. Il pourroit bien être quelque petite choſe de cela; mais toûjours on ne ſçauroit nier que* Balzac *n'ait embelli d'une nouvelle grace les choſes qu'il a empruntées, & qu'il n'ait heureuſement poli notre langue.*

cerent *Balzacium*, aut in eo ſaltem male ab eo factum judicarent, quod, occultando fontem ſuum, videri voluerit ex ſe ipſo omnia ſumſiſſe. f)

II. Inter atroces injurias complures, quas a *Franciſco Balduino*, Jureconſulto Bituricenſi primum, poſtea Argentoratenſi, ſub medium Seculi XVI accepit FRANCISCUS DUARENUS, ejusdem utriusque Academiæ Anteceſſor, a) illa haud poſtrema fuit, quod ei turpe plagium objecit, commiſſum in libro *de Sacris Eccleſiæ miniſteriis & beneficiis*, b) cujus eam partem, quæ de

G 2 Sacer-

f) Unum nominabo *Carolum Ancillonium*, cujus in *Mémoires concernant les vies & les ouvrages des pluſieurs modernes celebres dans la Republiques des lettres pag.177* ſunt verba: *Les partiſans de* Balzac *n'ont pas tout-à-fait raiſon lors qu'ils prétendent le diſculper en diſant que les penſées de Hall n'ayant ſervi que d'ouvertures à* Balzac, *& n'ayant rien du tour ni de l'air que cet Anglois leur avoit donné, on ne peut pas dire qu'elles lui apartiennent, & que* Balzac *les lui aît volées.* Addit deinde, magis in eo laudandum videri *Urbanum Chevraum*, qui, cum ad ejusdem *Halli* ingenium effinxerit librum: *l'Ecole du Sage, ou le caractére des vertus & des vices*, hujus Auctoris nec nomen, nec ipſas laudes, diſſimulaverit.

a) Antiquæ, &, ut vere dicam, capitales, lites huic cum *Balduino* interceſſerunt, quas pleniore hic narratione perſequi, & longum nimis foret, & ab inſtituto noſtro alienum. Sed copioſe hæc ante nos commemoravit *Chriſtian. Thomaſius* in Præfatione ad *Lancelotti Inſtitutiones Juris Canonici* §. 2, & ex parte *Petr. Balius* in *Diction. hiſt. & crit. pag. 1038 Artic. Duaren, not. C, D, E.*

b) Legis hunc inter *Opera Duareni*, quæ conjunctim prodierunt Francofurti A. 1592, fol. & ad calcem *Inſtitutionum Juris Canonici Jo. Schilteri*, editionis

Sacerdotio, ſeu munere eccleſiaſtico, agit, ex ſcriptis *Jo. Calvini*, ſuppreſſo ejus nomine, ille depromtam criminabatur. Quo ipſo non tam illud egit, ut *Duareni* denigraret famam, quamvis & hoc inprimis egit, quam ut ipſis *Calvini* hoſtibus nomen ejus redderet inviſum, traheretque adeo bonum virum in ſocietatem calamitatum, quibus miſere vexatum ſe, maxime per Galliam, cum ſectatoribus ſuis *Calvinus* vidit. Jecit in eum hæc tela calumniator in libro contumeliarum pleniſſimo, Argentinæ A. 1556 ἀνωνύμως edito, atque ſic inſcripto: *Reſponſio Chriſtianorum JCtorum ad Franciſci Duareni Commentarios de miniſteriis Eccleſiæ atque beneficiis, & alias ejus declamationes*; quem, etſi pro ſuo non agnovit, c) ipſa tamen ſcribendi ratio, & in criminando vehementia, a nullo alio proficiſci potuiſſe, ſatis declarant. Ita factum eſt fatali quodam caſu, ut, qui integrum de Plagiariis ad *Bal-*

ſecundæ, quam ipſe *Schilterus* curavit, nec non recentioris, quæ cum Præfatione *Juſti Henn. Bœhmeri* publicata eſt Francofurti & Lipſiæ A. 1713.

c) Id me docet *Valerius Andrea* in *Bibliotheca Belgica pag.* 225. Legitur & *Franc. Balduini* nomine Argentinæ editus libellus, titulo *Chriſtianorum Juriſconſultorum contra Duarenum*, ſed ſuppoſititio, uti in *Apologiis* ipſe affirmat. Inter *Apologias*, quarum tres adverſus *Jo. Calvinum* ac *Theod. Bezam* edidit *Balduinus*, ſine dubio illam intelligit *Andreæ*, quæ prodiit Coloniæ A. 1564, ita inſcripta: *Pro Fr. Balduino Reſponſio ad Calvinum & Bezam, cum refutatione Calvini de Scriptura & traditione*, ſed quam nec ipſam videre mihi licuit, ut, ſatiſne vera ſcripſerit *Andreæ*, jam inquirendi mihi non ſit copia,

*Balduinum* ſcripſerat Epiſtolam, [d]) & in ignobile id genus hominum acerbe multa graviterque dixerat, idem *Duarenus* ejusdem criminis accuſatum ſe publice, &, ſi hominum malitiæ id licuiſſet, condemnatum etiam, videret. Sed, quam inique ſe geſſerit in *Duarenum* obtrectator ille *Balduinus*, vel ipſius poſtea *Calvini* teſtimonio apparuit. Is enim, in tam gravi judicio a *Duareno* arbiter rogatus, ita dixit ſententiam, ut in pudorem conjiceret *Balduinum*, in manifeſta calumnia deprehenſum. Fecit id in *Reſponſione ad Balduinum*, [e]) ubi pro cauſa *Duareni* perorantem ita legimus: *In ea pugna, cum veris armis deſtitui ſe videret* Balduinus, *ad illiberales inſidias deſcendit, &* Duareno *ex puræ & orthodoxæ fidei approbatione invidiam conflando, carnificum furori eum objecit. Capitale, ut ſcitur, in Gallia erat, non tantum doctrinæ noſtræ ſubſcribere, ſed libros etiam noſtros furtim legere. Bonus hic pietatis ſectator, dum oſtendere conatur,* Duarenum *ex me didiciſſe, & ex meis libris eſſe mutuatum, quicquid in libro* de Sacerdotiis *probe & ſincere docuerat, non alio ſpectavit, quam ut furioſis eccleſiæ hoſtibus gladium homini jugulando porrigeret. Si barbara hæc immanitas mihi diſplicuerit, nihil mirum: quin potius hoc uno ſtratagemate deteſtabilem ſe piis omnibus reddidit. Et tamen, cum de ea per literas & coram conqueſtus eſt* Duarenus, *hominem ingenio, facun-*



d) Acceſſit hæc *Operibus Duareni*, conjunctim editis, eruditorum, quod puto, nemini ignota.

e) Quæ exſtat inter *Tractatus* ejus *theologicos pag. 368.* Hinc depromta exhibet verba *Calvini Balius l. c.*

*facundia, eruditioneque, ſic inſtructum, ut in certamine longe futurus eſſet ſuperior, mitigavi.* Nec unus ita *Calvinus;* ſed eo adhuc fortior poſtea *Duareno*, jam defuncto, patronus contigit *Theodorus Beza*, & ipſe impugnatus a *Balduino*, cujus repulit injurias in *Reſponſione ad Franciſci Balduini Ecebolii convicia.* f) Vide, quam graviter hic pro *Duareno:* g) *Venio ad* Duarenum, *de quo ſcripſerat* Calvinus *id, quod res eſt. Quicquid videlicet ille in ſuis neſcio quibus Commentariis de Eccleſiæ miniſteriis & beneficiis recte ſcripſit, ex inſtitutione ipſius* Calvini *deſumtum eſſe: te vero, cum illi ob aliam cauſam eſſes inimicus, hoc plagium ei exprobraſſe, non ullo religionis ſtudio, ſed ut hominem, inter Papiſtas verſantem, eorum crudelitati objiceres. Quid tu ad hæc reſpondes, bone vir? Nos mortuum laudare, quem viventem execrabamur, quod noſtrum factum poſtea multis paginis amplificas. Sed, ut uno verbo omnia tua maledicta diluam, adeone ineptus es, ut nos cenſeas integrum librum laudaſſe, quoniam, quicquid recte in eo ſcriptum eſt, ex noſtrorum ſcriptis ſumtum eſſe diximus, & tu, ita eſſe, adverſus illum ſcribens oſtendiſti? Non probavimus igitur librum illum, Balduine, ne neſcias, nec probamus (quis enim ſanus hoc faciat?) ſed tuum conſilium, ſicut par erat, ut crudele, & Chriſtiano homine penitus indignum, damnavimus, qui (ut inimicum perderes) vel omiſſis, vel*

*not.* (D).

f) Habes hanc *Operum Theod. Bezæ Vol. II pag.* 204. *ſeq.*

g) *Pag.* 231.

*vel leviſſime refutatis, illorum Commentariorum erroribus, in eo demum capite inſtiteris, in quo, quod ad doctrinam attinet, non reprehenſionem, ſed laudem, merebatur. Hoc eſt tuum facinus, Balduine, de quo te reſpondere oportuit potius, quàm de eo dicere, quod nobis nunquam in mentem venit.*

III. Sed quid de DESIDERIO ERASMO dicemus, magno illo Germaniæ, aut, ſi mavis, Belgii, doctore, cui actionem furti intendit *Ludovicus Cælius Rhodiginus*, ſi quidem vera putes, quæ ſunt tradita a *Morhofio* in *Polyhiſtore*. [a]) Age, narrantem audiamus: *Liticulam illi* (Eraſmo Roterodamo) *aliquando movit* Cælius Rhodiginus, *quaſi ſurripuerit ſibi aliqua circa Adagia meditata, ſed non habet, quo jactet ſe Rhodiginus, quod guttula una vel altera hunc fontem auxerit: paucula enim ſunt, quæ in Opere ipſius Antiquarum lectionum habentur de quibusdam Adagiis.* Non addit narrationi ſuæ teſtem ullum, nec locum indicat in ſcriptis *Rhodigini*, unde cognoſci hæc poſſint. Neque vero tale quidquam ſuppeditat *Antiquarum lectionum* Opus quantumvis diligenter inquirenti. Et *Eraſmus*, cum in libris ſuis paſſim commemoret de *Rhodigino*, nusquam tamen objecti ſibi criminis mentionem facit, nec patrocinium ſuſcipit famæ ſuæ. Sed, ut memoria hic lapſum putemus *Morhofium*, illud inprimis facit, quod diu ante *Lectionum antiquarum* libros prodiiſſe Opus *Adagiorum* conſtet, quod minime notum fuiſſe *Morhofio*, ipſa ejus verba indicant.

 cant.

a) *Tom. I Lib. I Cap. 21 §. 68.*

indicant. Ita vero *Eraſmus* [b]): *Cum nobis adornaretur ſexta, ni fallor, Chiliadum editio, nempe anno ab orbe redemto milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo, commodum in lucem exiit opus antiquarum lectionum* Ludovici Cælii Rhodigini, *de quo quid in totum ſentiam, non habeo neceſſe nunc ferre ſententiam.* Et luculentiſſime hæc diſces ex ipſius *Rhodigini* ad *Eraſmum* Epiſtola [c]): *Ego, vir doctiſſime, ſub id tempus, quo mea publicum ſunt indepta, de officina tua promtum, præter proverbia, nil legeram omnino. Ubi vero prodierunt hæc, tantum non exenterari mihi ſum viſus.* [d]) *Erant ſub incude noſtra itidem Parœmiarum libri, & Patavii, ſat ſcio, id renuntiatum tibi. Facto igitur tuo, qui occupaſti, ad reſtim mihi rediit res. Evigilatæ mihi tot noctes periere, hauſtæ lucernarum fuligines, ſudoribus toties rigatæ veſtes in nihilum recidere. Quid mihi tum animi fuiſſe putas? Nova fuit redordienda tela, novum ineundum certamen, ni, alliſa patientia, in tenebras me intruſiſſe mallem vel Cimmeriis atriores. Hi ergo ſunt antiquarum lectionum libri,* &c. Jam, qui fieri potuerit, ut ex libro, tunc nondum edito, nec luci publicæ adhuc deſtinato, proficeret *Eraſmus,*

b) in *Adag. Chil. I Centur. I Prov. II.*

c) Quæ exſtat inter *Marquardi Gudii & doctorum Virorum ad eum Epiſtolas, a Petro Burmanno* editas, *Ep. 70 pag. 118.*

d) Forſan inciderat in hæc verba *Morhoſius*, hæcque ita acceperat, ac ſi ſpoliatum ſe ab *Eraſmo Rhodiginus* diceret, quo nihil minus huic in mentem veniſſe, quilibet Lectorum ſponte ſua intelligit.

*mus*, ego non intelligo. Videns hæc, & ſecum cogitans, acutiſſimi Vir ingenii, *Petrus Bælius*, nihil dubitandum judicat,[e]) quin aliquid humani hic paſſus *Morhofius*, de *Rhodigino* ea confinxerit, quæ verius narrari de *Eraſmo* potuiſſent. Hujus enim manifeſtæ de furto *Rhodigini*, in ipſis *Adagiorum* libris commiſſo, querelæ ſunt, quas adeo diſſimulare non potuit, ut in nova *Adagiorum* editione non ſine bile & indignatione ſcriberet[f]): *Ipſe operis guſtus, (nam delibavi duntaxat,) protinus arguit hominem inexplebili legendi aviditate per omne genus Auctorum circumvolitantem, & ex retextis aliorum ſertis novas ſubinde corollas concinnare gaudentem. Quod autem Georgii Vallæ, Volaterrani, meique, nusquam, quod quidem compererim, admiſcuerit mentionem, quorum tamen Commentariis nonnihil adjutum fuiſſe probabile eſt, ſcio judicio factum, non livore: etiamſi hoc ipſum tractans ſymbolum, negat ſe quidquam velle afferre in medium, quod in aliorum Commentariis rebulliat. Sic enim ille loquitur, cum non pauca adducat, quæ in meis Chiliadibus reperio. Nec enim arbitror ad me pertinere, quod ille gignit etiam proverbia, ſed cujusmodi Chiliadas ſexcentas explere poſſis, ſi fors ea res cordi ſit*, &c. Nec calumniantis hæc verba putes, quandoquidem, præter alios, *Beatus Rhenanus*:[g]) *Excudit hac hyeme typis*



e) in *Diction. hiſt. & crit. T. II, p. 1099 Artic. Eraſme. not.* (CC).

f) *l. c.*

g) in *Epiſtola ad Eraſmum*, quæ eſt inter *Epiſtolas Eraſmi num. 119 pag. m. 1595.* Alia aliorum teſtimonia affert *Jac. Thomaſius* in Diſſ. *de Plagio literario* §. 532 *ſeq. pag.* 238, quorum hic nihil afferri opus eſt.

*ſuis Frobenius cujusdam Cœlii Lectionum antiquarum Libros XVI, in quibus ſi quidquam eſt eruditum, id Auctoribus, e quibus ſublegit, acceptum referri debet: nam ipſe plane eſt judicii infelicis*, &c. Eſſe vero hæc mortuo demum *Rhodigino* ab *Eraſmo* ſcripta, facile putes, ſi, quæ deinde ſequuntur, legas: *Cum hæc ſcriberem, ex eruditorum literis cognovi, Rhodiginum obiiſſe ſupremum vitæ diem, non ſine gravi dolore ſtudioſorum, & jactura ſtudiorum.* Sed aut falſa tunc retulere literæ amicorum, aut, quod *Bælio* h) videtur, ultima hæc verba in recentiori editione adjecta ſunt ab *Eraſmo*, poſtquam diu ante priora illa evulgaſſet. Id quod inquirendum iis permitto, quibus ita ad manum ſunt *Adagiorum* editiones omnes, ut has diligenter inter ſe conferre poſſint. Id dubio caret, eo tempore, quo malæ fidei publice reum fecerat *Eraſmus*, adhuc in vivis fuiſſe *Rhodiginum*, & illa in ſe dicta cum ſtomacho legiſſe. Exſtat enim hujus ad *Eraſmum* Epiſtola, i) reſponſionis cujusdam ad illa in *Adagiis* dicta locum ſuſtinens, & *Eraſmi* illa ipſa verba repetens, cujus vel ideo potiſſimum, ut pro cauſa ſua dicentem audiamus, huc partem transferemus: *Sed accedit aliud; legi nuper ex admonitione Francifci Sacceti, Ticinenſis, viri bene docti, & Senatorii, in noviſſima Proverbiorum editione querelas tuas, quod in libris meis nuſquam te nominatim advocarim, cujus tamen monumentis me adjutum, probabile fiat. - - Hinc ergo ſunt antiquarum Lectionum libri. Qui cum*

*excocti*

h) *l. c.*
i) De qua ſub *Nota C)*.

*excocti amplius, & opulentiores quoque, (accedent quippe rerum ſcitu dignarum plus minus quinque millia) mox ſunt prodituri, quo te obſequio demerear pleniore, nominatim tibi, epiſtola teſte, librum unum nuncupabimus, atteſtati præcipue, quantum laboribus tuis vitæ contuleris. Quod me, retextis aliorum ſertis, novas contexere corollas ſcribis, tibi ceterisque mox ſatisfaciemus. Interim vale.* Qua ratione ſatisfecerit poſtea *Eraſmo*, non ego compertum habeo. Nihil enim, quod huc ſpectet, ſcripta *Rhodigini*, quæcunque inſpexi, habent.

IV. Magnum Seculo P.C.N. XVI inter Mathematicos, Mechanicos inprimis & Aſtrologos, Galliæ nomen fuit ORONTII FINÆI, Delphinatis, Mathematicæ doctoris in Pariſienſi ſchola publici, ſuisque in ſublimiorem hanc artem meritis clariſſimi. a) Cujus cum præclara multa, & exquiſitæ doctrinæ, ſcripta exſtent, ille tamen, quem *de Horologiis ſolaribus* vulgavit, b) libellus in magnam reprehenſionem incidit *Joannis Baptiſtæ Benedicti*; Patricii Veneti, qui, multa hic ad verbum deſcripta de ſimili *Sebaſtiani Munſteri* libro, c) nos docet in Præfatione

a) Ejus vitam variasque laudes copioſe commemorat *P. Bælius* in *Diction. hiſt. & crit. T. II pag.* 1180 *ſeq.*

b) Ita Opus inſcripſit Autor: Orontii Finei, *Delphinatis, de Solaribus Horologiis, & Quadrantibus, Libri IV.* Eſt in manibus meis editio Pariſienſis anni 1531, fol. cui adjecti ſunt *de Arithmetica, de Geometria*, & *de Coſmographia*, libri. Titulus Operis generalis eſt: Orontii Finei, *Delphinatis, liberalium diſciplinarum Profeſſoris Regii, Protomatheſis.* Pariſiis, 1532.

c) Inſcriptus eſt: *Horologiographia, ſive horologiorum*

tione libri *de Gnomonum umbrarumque ſolarium uſu.* [d]) Ita vero ille: *Quis enim* Sebaſtiani Munſteri, *&* Orontii Phinei, *Horologiographias legit, qui non animadverterit, quam multa præter neceſſitatem de verbo ad verbum in poſterioris Opere ſint translata, quæ poterant majori cum utriusque laude apud priorem videnda relinqui, aut potius ab utroque prætermitti, cum alter alterius imprudens calcaverit veſtigia, & quandoque eodem errore ambo ducti cæcutientes in eandem foveam ſeſe præcipites egerint, ut factum eſt præcipue, ubi agunt de deſcriptione horarii ſuper globo aut ſphærica ſuperficie convexa.* Non addidit, ſuppreſſo *Munſteri* nomine id factum; nec a *Bælio*, qui plagii hinc reum facit *Finæum*, [e]) id annotatum video. Sed mihi, perquirenti Opus *Finæi* univerſum, credat, velim, Lector, *Munſteri* hic nec ipſum nomen legi. Neque tamen ex me quæras de locis illis, quæ ſurrepta *Munſtero* putari debeant; quorum facere indicium, ne iniquior videretur accuſator, ſane debuiſſet *Benedictus.* Non enim mihi, aut aliis, nunc tantum naſi eſt, ut olfacere illa furta, ſuis involuta velamentis, poſſimus. Habeo præterea, quæ contra *Bælium*, inconcinnum verborum *Benedicti* interpretem, diſputem. Is, dubio vocabuli *imprudens* ſenſu in errorem inductus, [f]) hanc dictis *Benedicti*

*compoſitio.* Baſileæ editum A. 1533, 4, ait *Conr. Geſnerus in Biblioth. univ. pag.* 747. Sed anteceſſit hanc ſine dubio alia editio, ante annum 1531 publicata, ſi quidem hinc ſumſiſſe ſua *Orontius* dicendus eſt.

d) Prodiit hic Auguſtæ Taurinorum A. 1574, *fol.*

e) *l. c. not.* (*F*).

f) Accepit enim hanc vocem pro *neſciente*, non *cogi-*

*nedicti* mentem affingit, quaſi ex eodem uterque, tam *Munſterus*, quam *Finæus*, fonte hauſerint aquas ſuas, nec tam *Munſterum* expilaverit *Finæus*, quam eos ipſos, quibus ſua *Munſterus* accepta retulit. Mera ſomnia. Quid enim apertius, quam illud tantum voluiſſe *Benedictum*, utrumque in errore ſæpius verſatum, nec ſatis prudenter a *Finæo* factum, quod res falſas & facile confutandas ex *Munſteri* Opere in ſuum tranſtulerit.

V. Ne tanta in poſterum inter Hiſtoricos Galliæ, quorum magnus Seculo ſuperiore proventus fuit, exiſtimatio eſſet SAMUELIS GUICHENONII, a) quantam olim fuiſſe viventis conſtat, tum maxi-

*tante*, cum uſus ſit *Benedictus* pro *parum prudente*, *non conſiderante*. Apponam verba integra *Bælii*, & de his ſententiam ferendi cuilibet Lectorum poteſtatem dabo: *Il y a là deux choſes à conſiderer: l'une eſt un fait, ſavoir que le livre de Finé contient mot-à-mot pluſieurs Remarques de Munſter; l'autre eſt le raiſonnement de Benedictus. Il ſupoſe que ſi Finé ne les eut pas priſes de Munſter, la gloire de l'un & de l'autre eût été plus grande. Il a raiſon à certains égards; mais par certains côtez ſa penſée eſt fauſſe, & en tout cas il eût bien fait de la mieux déveloper. Il ſupoſe enſuite que l'un a été Copiſte de l'autre ſans y penſer. Il devoit donc dire que Munſter avoit été Plagiaire des mêmes Auteurs que Finé pilla depuis; & il devoit nous dire qui étoient ces Auteurs-là.*

a) Illuſtriſſimæ Vir dignitatis in Gallia fuit, ut patet ex inſcriptione *Bibliothecæ Sebuſianæ*, ubi vocari eum video *Dominum de Paineſſuyt, Regi a Conſiliis, Franciæ, Sabaudiæ, & Dombarum Hiſtoriographum, Equitem auratum, & Comitem Palatinum, Sacræ religionis SS. Mauritii & Lazari militem.* Sermone Gal-

maxime efficere ſtuduit *Antonius Varillaſius*, ſcriptor paucis ignotus, cum in ejus Hiſtoria Domus Sabaudicæ Genealogica, Gallice ſcripta, furti manifeſti & nullo modo excuſandi veſtigia detexit. Idque ei hoc magis exprobrandum judicavit, quod ipſe in Præfatione ſuæ Hiſtoriæ *Guichenonius* in *Guilielmo Paradino* ſevere notet furti crimen, dicatque Commentarios, quibus ille res Sabaudicas complexus eſt, [b]) pæne integros ex antiquo quodam *Principum Sabaudiæ Chronico*, & *Hiſtoria Hieronymi Champierii*, utriusque occultato nomine, decerptos. Satisne vero, quæ de eo ſcripſit *Varillaſius*, ſint vere ſcripta, inquirant ii, velim, quibus ad manus eſt *Baptiſtæ Nani* [c]) *Hiſtoria Reipublicæ Venetæ*, [d]) ſermo-

lico ſcripſit Hiſtoriam Breſſienſem, (*Hiſtoire de Breſſe & de Bugey*,) editam Lugduni Gallorum A. 1650, fol. & Hiſtoriam Genealogicam domus Sabaudicæ, (*Hiſtoire généalogique de la Royale maiſon de Savoye*,) ibidem A. 1660, fol. *Voluminibus duobus* publicatam; Latino vero *Epiſcoporum Bellicenſium Chronologicam ſeriem*, quæ Pariſiis A. 1642, 4, & *Bibliothecam Sebuſianam*, quæ Lugduni A. 1660, 4, prodiit, denuo edita a *Chriſtiano Godofr. Hoffmanno* in *Novæ Scriptorum ac Monumentorum Collectionis Tomo I*, in lucem emiſſo Lipſiæ A. 1731, 4. De eo diligenter agunt *P. Bælius* in *Dict. hiſt. & crit. T. II p. 1344*, & *C. G. Hoffmannus* in Præfatione, novæ, quam diximus, editioni *Bibliothecæ Sebuſianæ* præmiſſa.

b) Opus ſuum inſcripſit Autor *la Cronique de Savoye*, Lugduni Gallorum editum A. 1552, *fol.*

c) In *Lexico eruditorum Menckenio-Jœcheriano* perperam ei prænomen *Jo. Baptiſtæ* tribuitur.

d) *Hiſtoria de la Repubblica Veneta*. Venetiis Opus prodiit, ejusque *Partes duæ* ſunt, prior A. 1663, altera

ſermone ſcripta Italico, unde ſcilicet, quæcunque de ultimis Sabaudiæ Ducibus memorata ſunt a *Guichenonio*, ad verbum ille, ne nominato quidem *Nanio*, deſcripta perhibet. Sed, quomodo inſtruxerit accuſationem ſuam *Varillaſius*, jam, operæ pretium fuerit, cognoſcere. *Je parle*, inquit, e) *dans l'onzieme Livre des prétenſions du Duc de Savoye, & de l'Evêque de Geneve ſur la ville dont il porte le nom, & j'avoue d'avoir profité du travail de Monſieur Guichenon. Ce n'eſt pas que je n'aye trouvé cet Auteur trop attaché à la Maiſon Souveraine de Savoye, dont il étoit né ſujet: mais comme cette inclination ne l'avoit pas empêché de lire tous les livres imprimez & manuſcrits qui ſervoient à ſon ouvrage, j'y en ai lû des Fragmens que je n'avois point encore vûs. La ſincerité ne me permet pas toutefois de diſſimuler une de ſes fautes, qui me paroit ſi groſſiere, qu'il eſt étonnant que perſonne ne ſe ſoit encore avisé de la reprendre. Il reproche dans ſa Préface à Guillaume Paradin, d'avoir tiré presque toute ſon Hiſtoire de Savoye de l'ancienne Chronique de cette Maiſon, & de l'Hiſtoire de Hierôme Champier, ſans avoir jamais cité ni l'un ni l'autre de ces Auteurs: cependant j'ai découvert que Guichenon eſt tombé dans la même ingratitude, dont il accuſe Paradin.*

A. 1679, in 4, edita. Translatum eſt poſtea in Gallicum ſermonem, ejusque laboris *Pars I* Coloniæ A. 1682, *II* Amſtelodami A. 1702, in 8, lucem adſpexit.

e) In Præfatione *Tomi III* Hiſtoriæ hæreſiologicæ, (*l'Hiſtoire de l'Hereſie*).

*radin.* *On connoit aſſez l'Hiſtoire Italienne*[f]) *du Provéditeur Nani, & l'on convient qu'il y en a peu de notre ſiecle qui approche de ſa politeſſe & de ſon rafinement. Si l'on ſe donne la peine de la confronter avec ce qui Guichenon rapporte des derniers Ducs de Savoye, on verra, qu'il l'a inſerée mot à mot dans ſon dernier Tome, ſans être ſouvenu de rendre juſtice à l'Hiſtorien qu'il copioit.* At parum hæc officient famæ *Guichenonii*, ſi quid valet judicium *Chriſt. Godofr. Hofmanni*,[g]) iniquiſſime actum cum Hiſtorico exiſtimantis, ſi materiam ſcribendi ex optimis probatiſſimisque ſcriptoribus ſeligere ſevera lege prohibeatur.

VI. Jam locum dabimus inter plagiarios LUDOVICO GUYONIO, cujus exſtat liber *Lectionum diverſarum*; ſermone ſcriptus Gallico. a) Ejus Operis ſi *Volumen ſecundum*, & in eo *Libri tertii Caput 23*, b) inſpicias, videbis, nihil fere hic tradi, quod non iisdem olim verbis traditum ſit a *Jo. Bodino*, hic ne nominato quidem, in Operis *de Republica Gallicana Lib. IV pag. 559.* Indicium hujus rei debemus *Petro Bælio*, c) qui & lepido ſpecimine oſten-

f) Intelligit ſine dubio Hiſtoriam Venetam; non enim, præter hanc, ulla exſtat illius *Nani* Hiſtoria Italiæ.

g) In *Præf. cit.*

a) Ita librum inſcripſit Auctor: *Les Lecons diverſes de Louis Guyon, contenant pluſieurs Hiſtoires & Faicts memorables recueillis des Auteurs Grecs*, &c. *Tria* libri ſunt *Volumina*, quorum *tertium*, quod eſt in meis manibus, Lugduni Gallorum prodiit A. 1625, 8.

b) *Voluminis ſecundi pag. 577 ſeq.*

c) In *Diction. hiſt. & crit. Tom. II pag. 1694 ſub Artic. Leovitius not. A) & B).*

oſtendit, quam incaute & inconſiderate ea etiam exſcripſerit *Guyonius*, quæ non niſi illa, qua vixit *Bodinus*, ætate potuerunt ſcribi. Mentione enim facta *Leovitii* illius, inter Aſtronomos ætatis ſuæ principatum affectantis, quem de *Maximiliani*, Imperatoris, armis & potentia magna omnia vaticinatum conſtat, dixerat *Bodinus*: d) *Leovice avoit prédit pour choſe aſſeurée, que Maximilian Empereur ſeroit Monarque de l'Europe, pour chaſtier la tyrannie des autres Princes - - ce qui n'eſt point advenu, & n'y a pas grande apparence qu'il puiſſe advenir*, &c. Nihil hæc abſoni habent apud *Bodinum*, quippe vivente adhuc Imperatore ſcripta; ſed, cum eadem, ne mutato quidem verbo, niſi quod *Leokice* corrupte ſemper ſcriptum ſit pro *Leovice*, repetita ſunt a *Guyonio*, edente opus ſuum ſeptem & triginta a morte *Maximiliani* annis, e) inſulſum hominis ingenium & plus quam ruſticum ſtuporem produnt. Satis enim ex vero *Bælius* f): *N'avoit-on pas bonne grace de dire, qu'il n'y avoit pas grande apparence qu'il devint le Monarque de l'Europe?* Cautior in eo prudentiorque *Bodinus*, qui, cum Latinam, exſtincto jam tum *Maximiliano*, anno quippe 1583, Operis ſui interpretationem pararet, non, quæ olim ſcripſe-

d) *de la Republique Lib. IV pag. m.* 559.

e) Exiit enim e vita *Maximilianus* anno 1576; Dedicationis vero literis, quæ præmiſſæ ſunt *Lectionum diverſarum Volumini ſecundo*, ſubnotavit *Guyonius* Calendas Junii anni 1613.

f) *l. c. not.* B).

ſcripſerat, ſervanda, ſed iis utendum verbis, putavit, quæ magis facere ad rem præſentem viderentur. g)

VII. In magna olim opinione fuerunt doctrina & in Philoſophiam merita BARTHOLOMÆI KECKERMANNI, Dantiſcani, & in Schola patria ſub Seculi initium Philoſophiæ doctoris, ſed cujus ſcripta furtorum & rapinarum plena *Petro Bælio* a) dicuntur. Nec id immerito; quandoquidem vel uno illo mali animi ſpecimine, quod ei non immerenti olim objecit *Gualterus Donaldſonus*, ex cujus quippe *Synopſi Philoſophiæ moralis* locos integros, vix mutato verbo, nec ipſis emendatis erroribus, in ſuum *Syſtema Ethicæ* tranſtulerat, ſatis, quam parum ei fidendum ſit in ceteris, cognoſcitur. Juſtas eo nomine querelas movet, & exemplo rem tam manifeſto, quam ridiculo, confirmat *Donaldſonus* ipſe, b) qui num vera ſcripſerit, eorum eſt inquirere, quibus ad manum eſt uterque, tam *Keckermanni*, quam *Donaldſoni*, liber. *Acceſſit & eorum*, inquit, *non tacitum, utcunque ſuppreſſo meo nomine, teſtimonium, qui ex eo ſcripſerunt, & in ſyſtemata ſua, quæ ad guſtum videbantur, tranſtulerunt. Keckermannum cum meis qui conferet, haud vana hæc, aut oſtentationi dicta, reperiet: plagii manifeſtarii ex eo mangonem*

g) Idem obſervavit *Bælius*, qui inſpicere nos jubet Latini *de Republica* Operis *Lib. IV pag. 625, edit. 1601, 8.*

a) In *Diction. hiſt. & crit. T. II pag. 1608 not.* B) *Artic.* Keckermann.

b) In Præfat. *Synopſis Oeconom.* unde excerpta dedit *Bælius* in *Diction. hiſt. & crit. Tom. II pag. 1013 Artic.* Donaldſon, *not.* B).

*gonem deprehendent, quod, ne erroribus quidem mutatis, tanquam mancipiorum nominibus, familiæ ſuæ pleraque adſcripſerit. Specimen accipe, quod Libri ſecundi Cap. 5 mendoſe ab operis erat vulgatum, plagiarius, qui auctorem ipſum ne de nomine quidem habebat notum, ſic nothum citat:* Hoc loco ſubjicimus præclaram ſententiam Caſſii, quæ eſt 2 Lib. Epiſtolarum Ciceronis: ipſi homini duplices manus, ſocias aures, oculos geminos, divina tribuerunt, *& quæ ſequuntur. At vero apud Ciceronem nuſquam iſta exſtat ſententia, nec eo libro ulla vel Caſſii ad Ciceronem, vel Ciceronis ad Caſſium, Epiſtola: verba autem ſunt* Amalesuenthæ, *Reginæ, apud* Caſſiodorum Epiſtola tertia Libri 10 Variarum, *quam Senatui Romano ſcribit, rationem reddens, cur fratrem in regni ſocietatem aſſumſerit; cujus hoc eſt caput, aſtra ipſa cœli mutuo reguntur auxilio, & vicario labore participato mundum ſuis luminibus adminiſtrant: ipſi quoque homini,* &c. c) Mira hæc putentur doctrinæ *Keckermanniane* admiratoribus, &, quo in pretio habenda ſit tam corraſa undique, & alienis phaleris inſtructa, ſapientia, ſecum ipſi cogitent. Sed tulit ex parte pœnas *Keckermannus*, in cujus ipſius ſcripta jam olim ſæpius rapaces manus involaſſe, ſatis aliunde con-



c) Belle & feſtive addit Bælius *l. c.: Si l'on cherchoit de pareilles fautes dans les Oeuvres de* Keckerman, *on y en trouveroit à foiſon. C'eſt le propre de ceux qui compoſent aux dépens de leur prochain: ils enlevent les meubles de la maiſon & les balieures auſſi; ils prénent le grain, la paille, la bale, la pouſſiere, en même tems. Rem auferunt cum pulviſculo.*

conſtat. d) Niſi forſan eos ipſos magis, unde ſua *Keckermannus* rapuit, quam hunc, furti jam dudum reum, expilatos putes.

VIII. Nec ejus ordinis viros, cui præcipua eſſe honeſtatis & morum ſanctiorum cura debet, Theologos, inquam, a re aliena ſemper manus continuiſſe, ſuo ſatis exemplo docet JOANNES MACCOVIUS, ſeu, quod a patria nomen habuit, MAKOWSKI; gente Polonus, Theologiæ in Academia Franekerana publicus Profeſſor, Arminianæ ſectæ hoſtis capitalis, mortuus A. 1644, cujus vitam, ex *Cocceji Oratione funebri* excerptam, poſteris in ſuo *Lexico* a) *Bælius* tradidit. Hunc in furto manifeſto *Guil. Saldenus* b) deprehendit, etſi modeſtior in exprobrando, c) quam ferre mos Scriptorum plerorumque videatur. Exſtat ejus liber *Collegiorum theologicorum*, in quo leguntur Exercitationes duæ, doctrinis Remonſtrantium oppoſitæ, quarum partem magnam, non tantum quod ad res, ſed quod ad ipſa etiam verba, ex Belgico Latine converſa, deſumtam ex *Molinæi Anatome Arminianiſmi*, libere *Saldenus* perhibet. Diſcas hæc ex ipſo: *Imo ne abſolvi quidem crimine hoc* (plagii) *plane poteſt inter Theologos noſtros vir alioqui ſubtiliſſimus*, Joannes Maccovius. *Quodſi enim inſpicere non detrectes Exercitationes ipſius Remonſtrantium hypotheſibus*

d) Ex *Thomaſii Diſſ. de Plagio liter.* §. 349, 350, & 351.
a) *T. III pag. 1885 ſeq. Artic. Makowski.*
b) *de Libris, varioque eorum uſu & abuſu, Lib. I Cap. 6 §. 5 pag. 156.*
c) Id laudat in *Saldeno Bælius l.c. not. G).*

*ſibus abhinc annos aliquot oppoſitas*, (Colleg. theolog. Diſp. 4 & 11) *docebunt te oculi tui, eximiam earum partem non tantum quoad materiam, ſed quoad ipſa etiam verba, e Belgico Latine verſa, e Clar. Molinæi Anatome Arminianiſmi* (*Cap.* 5. *&* 24) *compilatam eſſe. Quod in Doctore, extemporanei acuminis honore alias celebratiſſimo, miratus ſemper fui.* Idem furtum *Maccovio Saldenus* alio in loco, d) iisdem pæne verbis, exprobrat. Careo utroque, & *Maccovii*, & *Molinæi*, libro, quippe alienus ab illo foro. Neque adeo me judicem poſcas dictorum *Saldeni*, quem, fabularum alioqui parum ſtudioſum, de induſtria res falſas retuliſſe, nolim, ſuſpiceris. Sed tamen, per me licet, in hæc, qui poteſt, diligentius inquirat. Ipſe enim facere cum illis me fateor, qui ad tuendam, quam deprimendam, viri boni famam, nobile illud hominum bonum, propenſiores ſunt. Sane, ſi, quod *Bælius* de plerisque *Makovii* ſcriptis perhibet, hoc etiam *Collegiorum theologicorum* Opus exſtincto demum Auctore luce publica donatum eſt, quis non parcendum ei putet, quem, ne ſcriptis ſuis manum ultimam imponeret, tamque turpem ab illis maculam averteret, ipſa fata prohibuerunt.

 IX. Au-

d) In Βιβλιοφιλίᾳ, *ſive de ſcribendis, legendis, & æſtimandis libris Exercitatione parænetica*, quam tecto *Chriſtiani Liberii, Germani*, nomine uſus, Ultrajecti A. 1681, 12, edidit, *pag.* 64.

IX. Augere turpem plagiariorum indicem exemplo M. ANTONII MAJORAGII, Oratoris, quod inter omnes conſtat, & Grammatici paucis ſecundi, malevola bonis viris fama ſtuduit. Refert eam rem *Bælius*, a) ſed refert tantum, non, quod ſolet alioqui, ſub judicium vocat criticum. Quod, ſi usquam alibi, certe eo in loco maxime decebat, ubi viri de bonis literis meritiſſimi fama in diſcrimen adducebatur. Inprimis cum nec ii, quorum teſtimonio ad id probandum utitur, tam furti cujusdam improbi, quam ingrati erga præceptorem animi, videantur reum facere. Impudenter in eo factum a *Majoragio*, ait *Natalis Comes*, unus ſcilicet ille, qui, invitus forſan, hominem nihil minus merentem in tanti criminis ſuſpicionem adduxit, quod in *Petrum Victorium*, Italorum doctiſſimum, acerbe ſubinde dixerit in ſuis *Rhetoricæ Ariſtotelitæ Explanationibus*, quarum pars maxima ejusdem *Victorii* ſcripta & doctrinam oleat. Nimirum ita *Comes*: b) *Fecit mentionem de hoc nomine* (ἀγύῤτης) *Ariſtoteles etiam in tertio Libro Rhetoricorum, qui locus cum ante noſtram ætatem legeretur depravatus, Petri Victorii, Patricii Florentini, ac viri clariſſimi, ingenio eſt integritati reſtitutus, ut mihi, cum eſſem Florentiæ, multis rationibus probarunt viri quidam eximiæ integritatis & eruditionis, atque inprimis Vincentius Borghinus, vir omnium, quos unquam cognovi, multiplici rerum cognitione præſtantiſſimus.* *Horum*

a) In *Diction. hiſt. & crit. T. III pag. 1883 Art. Majoragius, not. C*).

b) *Mythologiæ Lib. IX pag. m. 959.*

*Horum gravium teſtium auctoritate commotus, non potui non ſummopere improbare M. Antonii cujusdam Majoragii, neſcio impudentiamne appellem, an exquiſitam ambitionem; qui, omni explicatione prope Ariſtotelicæ artis ex ipſius Victorii ſcriptis accepta, ut ex iisdem viris illuſtribus cognovi, ex hac emendatione elatus, mox alibi in Victorium ipſum non ſemel inſultavit, & per hujus loci correctionem viros omnes clariſſimos ſuæ ætatis inſectatus eſt: atque inprimis Hermolam Barbarum, virum præſtantiſſimum. Quaſi vero major gloria e maledictis in alios, quam e bonitate, ſplendoreque explicationum, comparari poſſit. Habebat Majoragius ante oculos Primi Comitis, affinis ſui, modeſtiam & integritatem ad imitandum, qui Primus non ſolum eſt ob ſingularem eruditionem non obſcurum Mediolani ornamentum, ſed etiam ad bonitatem & animi moderationem.* Vehemens utique accuſator, ſed, mea opinione, nihil minus agens, quam ut furti poſtulet hominem. Quid enim? Si, quæ bona ſunt in *Explanationibus Majoragii*, ipſe accepta ait a *Victorio*, licebitne nobis, hæc, præter mentem *Comitis*, putare ſurrepta *Victorio?* Alterum honeſtum, & ſolenne plurimis eruditorum, nec ingratum ipſi *Victorio*, alterum turpe prorſus & infame, quin injurium in famam *Victorii*, exiſtimes. Vides, quantum interſit inter raptorem ſceleratum, & re aliena, nihil diſſentiente domino, utentem. At enim habere aliquid videtur narratio *Natalis*, unde ſuſpicari liceat, in manibus fuiſſe *Majoragio* privata aliqua ſcripta *Victorii*, undecunque comparata, quibus uſus ſit tanquam ſuis, etſi occulte adeo, ut, præter *Borghinum*, & paucos

alios, id explorare nemini licuerit. Sane ita ego ipſe accipio verba *Comitis*, ſed quem nihil horum fuiſſe dicturum puto, niſi ignarus prorſus ſcriptorum tam *Victorii*, quam *Majoragii*, fuiſſet. Rem, uti geſta eſt, age, te docebo, Lector. Uterque horum in eodem ſcribendi argumento verſatus, *Libros tres Rhetoricorum Ariſtotelis* explicandos ſibi illuſtrandosque ſumſit. Prior *Victorius* Commentarium ſuum edidit Venetiis A. 1548, forma majori. Secutus hunc *Majoragius*, perſpecta Operis *Victoriani* mira & incomparabili doctrina, plurima hinc tranſtulit in ſuos Commentarios, quippe meliora illis in promtu non habens, &, *Victorio* id gloriæ futurum, ſi imitandam omnibus induſtriam ejus & eruditionem proponeret, recte judicans. Neque vero, cum ex fonte illo hauſit aquas ſuas, id fecit tecto nomine *Victorii*, cuius, tum adhuc viventis, libros exſcribere, fuiſſet ſummæ temeritatis, nec periculi minoris. Sed indicant id tamen verba *Comitis*, aut certe indicare videntur *Bælio*, hac in re profecto nimis credulo. Non inſpexit librum *Majoragii*, quisquis ita de eo male ſentit. Vel ipſa Præfatio tollit mali animi ſuſpicionem omnem. De *Victorio* hæc honorifice commemorat, hujus in *Ariſtotelem* præclara merita extollit, hunc *novi laboris adjutorem* vocat, nec, deberi huic *Explanationum* partem maximam, diſſimulat. Quid enim liberalius verbis iſtis, quæ, ut ſuæ ipſe cauſæ patronum agat *Majoragius*, huc integra apponam: c)

*Hic*

c) In medio Præfationis ad *Explanationes in tres libros Ariſtotelicos de Arte Rhetorica*, quarum editione Patavina anni 1689, 4, utor.

*Hic tam eximius eloquentiæ theſaurus, qui tribus his Ariſtotelis libris continetur, jacebat adhuc apud nos partim barbarorum inſcitia deformatus, & ſqualore quodam obſitus, partim etiam a paulo doctioribus viris ignoratus: ſed huic operi multa adjumenta nuper contulit vir eruditus,* Petrus Victorius, *quem, ut meritus eſt, honoris & amplitudinis gratia nomino: qui multos ſane locos & emendavit, & nitori priſtino reſtituit, commentariosque non vulgares in totum* Opus *conſcripſit; qui quidem, ſi opus etiam ipſum in Latinum ſermonem convertere voluiſſet, & paulo uberius præcepta Ariſtotelis illuſtraſſet, hoc me labore convertendi, & interpretandi, fortaſſe levaſſet: nunc, quod ille dedit, grato animo accipimus, & poſthac etiam ejus laboribus, quatenus licebit, perfruemur: ſed, quoniam non omnia, quod ait Poeta, poſſumus omnes, etiam nos plurima, quæ ille non attigit, adjungemus, & communi utilitati, quoad facultas noſtra tulerit, ſemper inſerviemus.* Habes hic aperte venerantem merita *Victorii*, eidemque, quod eſt ſuum, tribuentem, ſed utentem ſimul jure eo, quod negari inter eruditos nulli ſolet, ſcilicet ut ipſe faciat ſuarum virium periculum, &, ſi quid rectius magiſtro ſuo viderit, id veritatis cauſa libere expromat. Quod ipſum ſi fuiſſe hominis ingrati dicis, non in illud tecum certamen ingredior, modo nunc id unum impetrare a te liceat, ut furti crimine virum bonum & ingenuum abſolvas. Suo tibi exemplo ipſe *Victorius* præivit, qui, cum novis auctum acceſſionibus, recognitumque, ſuum *in Rhetorica Ariſtotelis Commentarium* Florentiæ A. 1579 ederet, *Majoragii* errores varios notavit, &

 hujus

hujus fortiter objectionibus reſpondit, ſed de furto ne verbum quidem attulit, ad exprobrandum id, ſi licuiſſet, paratiſſimus futurus.

X. Si, quod de Gallis vulgo dictitant, & ipſa rerum experientia dudum comprobatum eſt, eſſe hos ingenio fœcundos, & ad fingenda nova omnia natura aptos, putari verum debeat; næ illud mirum omnibus ac ſingulare videatur, non defuiſſe huic genti animi tam levis & abjecti cives, qui, de ſuis deſperantes facultatibus, multumque degeneres a majorum ſuorum generoſa indole, in alienis laureolis turpe latrocinium committerent, &, quæ aliis debebatur jure ſuo, per vim & injuriam ad ſe trahere gloriam laudemque conarentur. Habet ea res vituperationem ſummam, maxime in his, quos fama aliunde acquiſita immunes præſtare ab ipſa hujus criminis ſuſpicione videbatur, quorum etiam præclara adeo exſtabant ingenii doctrinæque haud vulgaris monumenta, ut, ſi voluiſſent, iis ipſis, quorum plumis decorati inter nitidos pavones locum occupaverant, meliora dare ac præſtantiora potuiſſent. Talem ego quidem judico ÆGIDIUM MENAGIUM, excellentis ingenii & doctrinæ prorſus excultæ virum, ſed qui famæ ſuæ, nunquam, ſi voluiſſet ipſe, intermoriturae, eo furtorum genere, quod in eruditorum civitate indigniſſimum habetur, peſſime proſpexit. Hujus enim malo quodam fato factum eſt, ut, quam callide & artificioſe occultaverat in ſcriptis ſuis, facile lectores oculati fraudem animadverterent, &, ſive proſam, ſive vorſam, conderet, ſtatim in fontes, unde ſua hauſerat, inciderent. Graves de eo querelæ ſunt *Urbani Chevræi,*

*vræi*, cujus *Annotationes criticæ in Carmina Malherbii*, vernaculo ſermone ſcriptæ, non eæ quidem, quæ omnium manibus verſantur, a) ſed his longe ampliores, integri Commentarii, ſi prodiiſſent, formam habituræ inſcio Auctore, ſed parario *Hippolyto Julio de la Meſnardiere*, cui legendas transmiſerat *Chevræus*, in manus venerunt *Menagii*, qui adeo non abſtinere ab his manus ſacrilegas, nec diſſimulare, ipſo adhuc vivente *Chevræo*, furtum ſuum, potuit, ut, quas ipſe poſtea edidit, b) plurimis condecoratæ, aut, quod verius dici poteſt, peſſime deformatæ, literariis ejusmodi ſpoliis, in carmina *Malherbii* Animadverſiones prodierint. Rem omnem, ut geſta eſt, longa, & juſti magis doloris, quam atræ bilis, plena, ad *Iſaacum Benſeradium* Epiſtola, A. 1687, atque adeo vivente adhuc *Menagio*, ſcripta, c) proponit *Chevræus*, quam qui legit, ſimulque, nihil unquam ad ſe defendendum a *Menagio*

a) Harum nonnullas, vivente Autore, A. 1660 Salmurii publicavit *Tanaquillus Faber*, ita inſcriptas: *Remarques ſur les Poeſies de Malherbe*, quæ deinde cum Operibus (*Oeuvres*) *Malherbii* denuo editæ ſunt A. 1689 & 1722. Alias deinde *Chevræus* complexus eſt literis ad *Tanaq. Fabrum*, quibus locus datus eſt in Operibus miſcellaneis *Chevræi*, (*Oeuvres meslées*) *pag.* 504 *ſeq.* Plures etiam leguntur in *Chevræanis Tom. II pag.* 122, 124, 125, 126, 128, 133, 135, 136, 140 *ſeq.* 148 *ſeq.* 157, 163, 177.

b) Prodierunt hæ cum ipſis *Malherbii* Gallicis carminibus Lutetiæ A. 1666, 8, iterumque ibidem A. 1689, 12, tertium etiam A. 1722, 12.

c) Habes hanc Parte I Operum miſcellaneorum Chevræi (*Oeuvres meslées de Monſieur Chevreau*,) Hagæ edita A. 1697, *pag.* 102, inde etiam translatam in librum *Ancillonii*: *Memoires concernant les vies & les*

*gio* reſponſum, cogitat, non is ſibi, quin facinus hoc *Menagii* indigniſſimum putet, modisque omnibus deteſtetur, temperare poteſt. Nihil enim hic contumelioſe aut immoderate dictum eſt a *Chevræo*, ſed ſatis ei fuit, nuda factorum, quæ aut non potuit, aut certe non auſus eſt, negare *Menagius*, recenſione eo adducere lectorem, ut ipſe de indignitate facinoris libere ferre ſententiam poſſet. Habent autem vel hoc nomine inprimis, cur de facto hoc male precentur *Menagio*, docti homines, quod graviter offenſus hac injuria *Chevræus*, nihil ſuarum Annotationum in lucem publicam emittendi, triſte & damnoſum valde bonis literis conſilium ceperit. d)

Neque

*ouvrages de pluſieurs modernes celebres dans la Rep. des lettres*, qui prodiit Amſtelodami A. 1709, 8, *pag. 181.*

d) Ita enim *Chevræus* in illa, quam dixi, ad *Benſeradium* Epiſtola: *Quoi qu'il en ſoit, il lui a plû de s'approprier mes plus curieuſes obſervations ſur Malherbe, que je ne ferai jamais imprimer aprês avoir lû les ſiennes, afin qu'on ne m'accuſe point de l'avoir volê.* Utitur autem poſtremis his verbis irriſionis cauſa *Chevræus*, quod iisdem uſus *Menagius* fuerat in Præfatione ſuarum ad *Malberbium* Animadverſionum, perſuaſurus quippe lectori, illas *Malberbii* ſibi ne quidem lectas, ne quis furtum in his commiſſum ſibi poſſet objicere, ſi qua forte, *Chevræo* jam ante dicta, ipſum protuliſſe appareret. Sunt autem hæc ejus verba: *Je remarque toutes ces dates afin qu'on voye l'engagement, où je me ſuis trouvé de publier ces obſervations ſur les Poeſies de Malherbe, & qu'on ne croye pas que j'ay voulu entreprendre ſur Mr. Chevreau qui a publié depuis peu un Commentaire ſur les*

Neque vero ſolus fuit *Chevræus*, qui turpiſſimi hujus in republica literaria criminis poſtularet *Menagium*, ſed communem fere Gallorum, quos æquales habuit *Menagius*, hanc fuiſſe vocem conſtat, aptiorem eo fuiſſe neminem ad expilanda veterum æque ac recentiorum ſcripta, horumque ſententias levi mutatione ad rem ſuam accommodandas. Ipſe *Chevræus* eodem in loco, quo ſuam adverſus *Menagium* cauſam agit, ad publicum populi judicium provocat, [e]) &, ne cuiquam ipſe in accuſando iniquior putetur, malam illam *Menagii*, bonis alienis invito domino utendi, artem non obſcuro quodam, ex Carminibus ejus petito, ſpecimine manifeſtam facit. Sic enim aliquando cecinit *Menagius*: [f])

*Ci-*

*mêmes Poeſies. Je ne doute point que ce Commentaire ſoit rempli de pluſieurs choſes curieuſes autres dignes d'être lües. Cependant je me ſuis privé du plaiſir de lire toutes ces choſes, afin qu'on ne m'accuſat point d'avoir volé Mr. Chevreau, ſi je me rencontrois dans ſes penſées, où de l'avoir voulu contredire ſi je n'étois pas de ſon avis.* Quæ, ſi de *Obſervationibus* olim editis intelligi velit *Menagius*, poſſe utique vera eſſe, ſin de ceteris, manu tantum ſcriptis, ab homine eſſe mendaciſſimo prolata, non potuit, quin publice præ ſe ferret, *Chevræus*.

e) Sic enim ille de *Menagio* in Epiſtola ad *Benſeradium*: *Il y a long temps qu'on l'a fait paſſer pour le paraſite de tous les livres; qu'on le ſoupçonne de larcin pour peu qu'il ſe pare; &c.* Boileau *dans ſon Avis à Mr.* Menage *prouve & condamne la longue habitude qu'il s'eſt faite d'être plagiaire.*

f) Non docet locum, ubi inveniri poſſit hoc Epi-

*Ci-deſſous gît Monſieur l'Abbé,*
*Qui ne ſavoit ni A, ni B;*

quæ pæne iisdem verbis deſcripta ſunt ex Carmine quodam *Joachimi Bellæi*, ita de eodem Abbate ſcribentis:

*Bonnet ſût la langue Hebraïque,*
*Auſſi bien que la Chaldaïque,*
*Mais en Latin le bon Abbé*
*Ny entendoit ni A, ni B.*

Alia ejusdem generis furta, nec ea numero pauca, in Carminibus *Menagii* notarunt *Franciſcus Paiotus*, qui notior eſt nomine *Linierii*, g) *Ægidius* h) & *Nicolaus Boilavii*, i) *Jo. Baptiſta Poquelinus*, ſeu *Mo-*

gramma, *Chevræus*; itaque docendi ſunt Lectores, exſtare id inter *Carmina Menagii*, quæ conjunctim edita ſunt Amſtelædami A. 1687, 12, *pag.* 305, ſcriptumque eſſe in Abbatem quendam, *Bonnetum*. Integrum ita ſe habet:

*Cy deſſous gît Monſieur l'Abbé,*
*Qui ne ſavoit ny A ny B.*
*Dieu nous en doint bientoſt un autre,*
*Qui ſache au moins ſa Patenoſtre.*

g) Vid. *Bern. de la Monnoye* in *Menagianis Tom. III pag.* 109.

h) Per errorem *Guilielmus* dicitur in *Lexico eruditorum virorum Menckenio-Jœcheriano Art. Menagius.* Quisquis commiſit errorem illum, deceptus eſt ſine dubio Gallico nomine *Gilles*, quod eſt ipſum *Ægidius*, non *Guilielmus.*

i) Ille in libro: *Avis à Mr. Menage ſur ſon Eglogue intitulée Chriſtine*, hujusque variis in locis, ubi modis omnibus id agit, ut, Auctorum veterum æque ac recentiorum impudentiſſimum latronem eſſe *Menagium*,

*Molierius*, k) *Carolus Colinus*, l) *Paulus Colomeſius*, m) *Dan. Ge. Morhoſius*, n) *Capellanus Capellanius*,

oſtendat; hic in Operibus ſuis (*Oeuvres*), Amſtelodami A. 1717, 8, editis, *T. II pag. 14*, in *notis*.

k) Nominat hunc *Bern. de la Monnoye l. c.* ſed locum non addit, ubi hujus de *Menagio* judicium legi poſſit. Erunt igitur hæc forte diligenti *Comœdiarum Molierii* (nihil enim, præter has, ſcriptorum ejus exſtat,) lectori magis, quam mihi, cognita.

l) In eleganti Satyra in *Menagium*, quæ Hagæ A. 1666, 12, prodiit, ita inſcripta: *la Ménagerie de Charles Cotin*.

m) In *Opuſculis*, Ultrajecti A. 1669, 12, editis, *pag.* 29, ubi Diſtichon *Menagii* Græcum ἐν Βρεζαίῳ notat, ejus acumen inveniſſe ſibi videtur in antiquo quodam dicterio, in *Marcum* Cæſarem efficto, cujus mentionem facit *Ammianus Marcellinus Hiſtoriarum Lib. XXV*.

n) Fidem ſequor Patris *Niceronii*, ita ſcribentis in *Memoires pour ſervir à l'hiſtoire des hommes illuſtres dans la République des lettres T. I pag. 318: Morhof prêtend qu'il a pillé beaucoup de choſes des Poeſies Latines de Vincent Fabricius qu'il a fait entrer dans les ſiennes.* Neque vero mihi, diligenter perluſtranti *Polyhiſtorem Morhofii*, ullum hujus judicii invenire veſtigium licuit. Nam, quæ *T. I Lib. VII Cap. 3* §. 9 de ejus carminibus ſcribit, ita honorifice ſunt ſcripta, ut nihil magis poſſit. Ita enim hoc in loco: *Aegidius Menagius, cujus Poemata ſæpe excuſa ſunt, identidem auctiora, in Elegiis non ſolum, ſed & omnium carminum genere, latinus, nitidus, ac elegans eſt.* Nec quidquam hujus rei obſerves *T. I Lib. VII Cap. I* §. *15*, ubi de furtis, *Menagio* a *Bailleto* objectis, ita commemorat *Morhofius*, ut, cœcus ſit, oporteat, qui non videat, magis eum a *Menagii*, quam

*nius,* o) *Adrianus Bailletus*, p) *Bernardus de la Mon-*

*Bailleti*, ſtare partibus. Sit igitur fides ejus rei penes auctorem *Niveronſium*, quem non tam falſa narraſſe, quam peſſime in eo feciſſe, puto, quod ipſa verba *Morhofii* non attulit, nec, ubi inveniri poſſint, indicium addidit.

o) Is in opella, quam inſcripſit: *Liſte des gens des lettres*, contemtim de *Menagio: Auſſi n'à-t-il jamais rien fait de lui-même qui ne fut ou imité, ou dérobé d'autrui; comme l'ont convaincu ceux à qui il a eu affaire, & qu'il a provoquez par ſon procedé mépriſant & mordant. — — ſes vers ſont bons parce qu'ils ſont compoſez de lambeaux d'Auteurs, que ſon travail & ſa mémoire, qui lui tiennent lieu d'eſprit & de ſens, lui fourniſſent. - - La vie de Mamurra eſt une pure copie de celle de Diogene Laerce, & n'eſt bonne que par là.*

p) Hic, ut copioſus eſt carminum *Menagii* ſive laudator, ſive vituperator, in *Jugemens des ſavans ſur les principaux Ouvrages des Auteurs T. IV P. II pag. 443 ſeq.* editionis Amſtelodamenſis anni 1725, 8, ita nec intactum reliquit ſingulare illud *Menagii* artificium, quo veterum æque ac recentiorum Scriptorum elegantes ac rariores ſententias, vix mutato verbo uno aut altero, in ſua ita transferre carmina ſcivit, ut, niſi qui illa Auctorum loca haberet cognita, vix tale quid odorari poſſet. Et Latina quidem, Gallica, & Italica, unde ſint deſumta, difficile eſſe exploratu ſcribit (*pag. 461* in *nota 3*); de Græcis vero, unde ſint petita, haud ſatis certo conſtare, quod horum multa a Poetis haud adeo antiquis, atque hinc valde incognitis, acceperit, nonnulla etiam ex Latino in Græcum converterit, in quibus niſi Græco & Latino ſermone doctiſſimus vix furtum intelligat. Quæ ita libere ſcribenti *Bailleto* ſi unum hoc reſpondiſſet *Menagius*: Quid igitur eſt, quod me furti

*Menagii*, q) aliique plures. Horum, quod ſciam, nullus acriores *Menagii* iras in ſe provocavit *Adriano Bailleto*, cujus hoc acerbius *Menagio* moleſtiusque fuit judicium, quod ementitam laudis ſpeciem præ ſe ferret, & ſatyrico ſale mordaciſſime pungeret. Nam, cum, invitiſſimo *Menagio*, id agit, ut perſuadeat lectoribus, nunquam in animo ei fuiſſe, aliquid novum, & ex ingenio ſuo natum, carmine exprimere, ſed imitari tantum Poetas veteres, & horum ſelectas quasque ſententias apte componere, novoque induere habitu, voluiſſe, r) nemo non

furti inſimulas, ſi nemini aperta ſunt mea furta, nec Auctores, unde mea deſumſerim, ſunt cogniti? Vel unum hoc ad tuendam *Menagii* famam, & retundenda illa *Bailleti* tela, ſatis fuiſſet. Quam vero ibidem de novem annorum puero, adeo felici memoria prædito, ut, in ipſa Græcorum *Menagii* Carminum lectione unum ſtatim & alterum Epigramma, ex *Martiale* & *Buchanano* decerptum, notaret, & probare extemplo hoc furtum, collatis inter ſe horum Poetarum carminibus, poſſet, hiſtoriolam refert, parum abeſt, quin irridendi tantum *Menagii* cauſa excogitatam putem, inprimis cum nominatim indicare illa carmina, id quod plurimum habere ponderis ad veritatem narrationis videbatur, dubitaverit *Bailletus*.

q) Hujus legi omnino merentur Annotationes ad *Anti-Bailleti* (*Anti-Baillet*) *Menagiani Caput* 135 *pag. m.* 74, ubi ampliſſimum Epigrammatum, quæ ſunt furtim decerpta a *Menagio* ex veteris pariter ac recentioris ætatis Poetis, indicem legimus.

r) En nobile illud per laudes calumniandi ſpecimen, quod *l. c. pag.* 461 legitur: *Comme Mr.* Menage *a toujours fait profeſſion publique d'imiter les autres &*

non videt, quam parùm accommodata ad ineundam a *Menagio* gratiam hæc defendendi ejus ratio ſit. Quamvis enim loco non uno de ſuis ipſe carminibus humillime ſenſerit, nec Poetam ſe, ſed verſificatorem, haberi voluerit, bene tamen ſcimus, quantum tribuendum ſit ipſorum Autorum de ſuis operibus judicio, fitque ſæpius, ut, qui de rebus ſuis modeſtiſſime ſentire, & ſua omnia deprimere, videntur, iidem, ſi penitus inſpiciantur, ceteros

*qu'il a bien voulu ne point paſſer pour un Auteur en chef dans toutes ſes Poeſies, on n'a point dû lui faire un crime d'en avoir imité de toutes les ſortes parmi les anciens & les modernes. Et la liberté qu'il s'eſt donné de choiſir dans leurs ecrits ce qu'il a jugé de plus commode pour lui; nous fait aſſés connoitre qu'il ne doit pas être compris dans l'eſpéce de ces imitateurs qu'Horace appelle des eſclaves & des animaux à la chaîne. C'eſt au contraire cette heureuſe imitation qui fait la plus grande partie du merite de Mr. Menage. Car dans la réſolution qu'il a priſe de ne rien inventer, de ne rien dire de nouveau, & de n'employer que des matériaux tout taillés, & ſouvent des vers tout faits, il s'eſt ſignalé particuliérement dans l'art de les diſpoſer ſelon toute l'étenduë de ſon induſtrie. De ſorte que ceux même qui ont la dureté de refuſer à Mr. Menage la qualité de Poëte ou d'Auteur original en Poëſie, ne peuvent nier ſans injuſtice que l'ajuſtement de toutes ces Piéces de rapport ne ſoit tout entier de lui, & ils ſont obligés de reconnoître qu'il ne partage avec perſonne la gloire qu'il a de les avoir ramaſſées, & de les avoir ſi bien placées, qu'on peut dire que c'eſt de la Poëſie à la Moſaïque.* Ego ſane acerbiſſimis injuriis proſcindi, quam ita laudari, malim.

ros omnes laudum ſuarum præcones liberaliſſimos cupiant. Fieri igitur non potuit, quin has cum *Bailleto* injurias expoſtularet *Menagius*, & malæ fidei ſuſpicione liberare ſe, quantum poſſet, ſtuderet. Fecit hoc in eo libro, quem *Anti-Bailletum* inſcripſit, cujus integra octo Capita [t]) ad id unice pertinent, ut, iniquiſſime ſecum actum a *Bailleto* pariter ac iis omnibus, qui furti, aut, ſi mollius dicendum, licentioris imitationis veterum Autorum, ipſum poſtulaverant, intelligerent lectores. Noſtrum non eſt, pugnæ hujus ſpectatores agere, & in rationum, quas ille numero multas, & ex parte ingenioſas, pro cauſa ſua attulit, vim ac pondera inquirere. Pendet de his judicium ab ingenio lectorum, quorum quo quis natura ad indulgendam veniam promtior eſt, hoc plus ineſſe in defenſione roboris agnoſcit. Ego vero, qui hoc mihi ſumſi, ut libere in hoc libello de his, qui furti literarii ſunt accuſati, ſententiam dicerem, etiamſi longe ab eo abſim, ut in eo plagiariorum genere, quod vulgo *craſſum* dicimus, ponendum putem *Menagium*, non tamen video, qui fieri poſſit, ut eorum, quos ex communi loquendi genere *ſubtiles* vocamus, numero eximatur. Nam, quicquid demum argumentorum ſit, quibus ita inſtruxit ornavitque defenſionem ſuam, ut vix a quoquam magis potuiſſet, vel hoc ipſum tamen, quod negare non potuit, verſus ſibi haud paucos mutuo ſumtos

 ex

t) Sunt hæc 128, 129, 130, 131, 132, 133, 134, & 135, a *pag.* 3 *ad* 102 *Tomi II* editionis Amſtelodamenſis anni 1725.

ex aliis Poetis, ita eſt comparatum, ut manifeſtam furti literarii notam ſecum ferat. Neque vero, ut hoc non ſit furtum, efficere ſive exemplum aliorum, qui eodem ſe crimine commacularunt, u) ſive

u) Magnum in eo defenſionis ſuæ momentum ſitum putavit *Menagius*, ſi exemplis probare poſſet, pluribus ante ſe Poetis, iisque præſtantiſſimis, *Catullo*, *Claudiano*, *Ammiano*, *Auſonio*, aliisque, huncadoptandi fœtus aliorum, nec ejus rei quidquam docendi lectores ſuos, morem fuiſſe. Quod ſi factum ab illis negari non poteſt, non tamen ideo factum putari debet, ut eo nomine laudem a poſteris ferrent, aut exemplum his, quod imitarentur, proponerent. Adhærent priſcis etiam Poetis ſuæ maculæ, quæ, ſi veræ ſunt maculæ, illos non minus, quam noſtræ ætatis Poetas, deformant. Fuit autem hoc olim, eritque omni tempore, mali animi indicium, ſi quis bonis alienis ut ſuis utatur, et in ſe ipſum transferat, quæ illis debetur, gloriam. Et ſane prudentis eſt, nominare Auctorem ſuum, ne in ſuſpicionem fraudis, etiam tum, cum eo abeſſe ſe novit longiſſime, veniat. Quod vero idem *Menagius* viro cuidam docto, objicienti ſibi, verſum:

*Heinſi, Caſtalidum decus ſororum*,

quo uſus in Carmine quodam fuerat, ex *Martiale* deſumtum, reſpondit, non eſſe, quod tale ſibi furtum exprobret, a quo ipſe non abſtinuerit in dedicatione quadam, cujus initium (*Monſieur*) et finis (*votre trés-humble & trés-obeiſſant Serviteur*) ex *Balzacii* quadam Epiſtola deſumta ſint, id malim ab eo joci cauſa, quam ad ſe defendendum, prolatum putare. Quis enim neſcit, formularum aliam epiſtolarium, quæ receptæ ſunt dudum, & ad omnes æquali jure pertinent, aliam earum, quibus in carmine utimur, & quas quisque Poeta ſibi habet proprias, rationem eſſe. Vid. *Menagii Anti-Baillet P. II pag. 12.*

ſive illud poteſt, quod de ſuo pauca ſubinde verba addidit, x) quorum alterum ignobile in re turpi æmulandi ſtudium prodit, alterum hoc potius docet, tegere & diſſimulare furtum ſuum, quam non committere, voluiſſe *Menagium.* Spectatur ſane in omni carmine ingenium inprimis Poetæ, & elegantia fictionum, quæ, quoad novæ, & Poetæ propriæ, putantur, magnam ei laudem & lectorum gratiam conciliant, cum raptæ aliunde, & novo tantum verborum fuco illitæ, intelliguntur, hanc etiam, quam jure olim acquiſivit, perdunt gloriam Poetæ, & maculam ei, vix ullo modo eluendam, inurunt. Eſt hoc omnium, quicunque rerum pretia recte æſti-



x) Urget & hoc inprimis *Menagius*, eſſe ſubinde a ſe mutatos, & verbo uno alterove aut truncatos, aut auctos, eos aliorum Poetarum verſus, quos in ſua ipſe carmina tranſtulerit, neque adeo majori illos jure ad ceteros, quam ad ſe ipſum, pertinere. Sed, parum his ineſſe ponderis ad excuſandum, nedum ad defendendum, *Menagium*, crediderim; & dudum viri docti obſervarunt, eſſe huic, aliena ad ſe trahendi, rationi ſubtilis plagii nomen tribuendum, hocque minus ferendum id in literaria republica videri, quo teſtatiora mali animi, & ingenii ad fallendum comparati, ſigna præ ſe ferat. Non enim, ut quis plagii convinci poſſit, neceſſe eſt, eadem ab ipſo verba, & eundem verborum ordinem ſervatum, ſed ſatis eſſe vel hoc unum poteſt, ſi easdem ſententias ſervaverit, &, ut ipſi tribueretur, quod aliorum eſt, acumen, effecerit.

ſpicilſ, maximam ſuorum carminum partem exire in lucem juſſit. Quæ diximus huc usque, pertinent ad carmina *Menagii*, non item ad alia ejus ſcripta, quæ puras caſtasque Autoris ſui manus oſtendunt, niſi quod in *Commentario in Diogenem Laertium* plurima ex *Jonſii Libris IV de Scriptoribus Hiſtoriæ Philoſophicæ*, & *Reineſii variis Lectionibus*, in *Amœnitatibus* vero *Juris Civilis* haud pauca ex *Scipionis Gentilis Libris II Parergorum ad Pandectas*, non nominatis Autoribus, decerpta criminentur *Morhoſius* & *Thomas Crenius*, cc) ſed quorum accuſatio, utpote

*gius* ſacram eſſe juſſit Muſam ſuam virgini cuidam, cui nomen *de la Vergne*, quæque poſtea Comiti *de la Fayette* nupta, longe ſupra *Menagii* ſortem evecta eſt. Huic in carminibus *Menagianis* nomen *Lavernæ*, Deæ quidem, ſed turpiſſimi hominum generis Deæ, datum videmus; unde neſcio quis non inepto hoc Epigrammate luſit:

*Lesbia nulla tibi eſt, nulla eſt tibi dicta Corinna,*
*Carmine laudatur Cynthia nulla tuo.*
*Sed, cum doctorum compiles ſcrinia vatum,*
*Nil mirum, ſi ſit culta Laverna tibi.*

Refert hoc *Bernardus de la Monnoye* in *Menagian.* *T. III pag. 107*, & P. *Niceronius* in *Memoires T. I pag. 319.*

cc) Si fides eſt, ut eſſe debet, *Joanni Frickio*, in *nota ad Polyhiſtorem Morhoſianam T. I Lib. V Cap. I* §. *14*, *Morhoſius* in *Prælectionibus Polyhiſtoricis* obſervat, *Menagium* in *Commentario* in *Diogenem Laertium Jonſianum de Scriptoribus Hiſtoriæ philoſophicæ* opus, in *Amœnitatibus* autem *Juris Civilis Scipionis Gentilis Parerga ad Pandectas*, ſtrenue compilaſſe. *Frickio* teſtem jungo *Thomam Crenium*, cujus in *Parte X*

utpote probatione omni destituta, eo in loco, ubi de fama hominis de literis bene meriti agitur, nullum momentum habet.

XI. Vivit adhuc, ni fallor, a) Londini JENKI-



*Animadverſionum philologicarum & hiſtoricarum pag.* 296 verba hæc ſunt: *Aegid. Menagius, inquit Dan. Georg. Morhofius in Collegio de Hiſtoria literaria & Locis communibus recte condendis, quod MStum penes me eſt, Cap. VI, in Juris Civilis Amœnitatibus, Pariſ. 1664 editis in 8, Scipionis Gentilis Parerga ſtrenue compilavit.* Ex quibus verbis patet, furtum hoc non ab ipſo *Crenio*, ſed a *Morhofio*, objici Menagio, neque adeo vere ſatis ſcripſiſſe P. *Niceronium* l. c. *pag.* 320: *C'eſt en effet fort peu de choſe que ces Amenités; outre que Crenius prétend* (Animadv. Philol. Faſc. 10) *qu'il a copié hardiment les Parerga de Scipion Gentilis.* At, quod ad Commentarium in *Diogenem Laertium*, idem *Crenius* in Præfat. *Voluminis II Theſauri Librorum philologicorum & hiſtoricorum pag.* 65 rem eandem, tanquam a ſe primum obſervatam, refert, *Reineſii* librum (*varias Lectiones*, ut puto,) *Jonſiano* addens. *Multa*, inquit, *debet Joanni Jonſio, & Thomæ Reineſio, ubi etiam eos non nominat. Sed hæc libentius in Gallo legentur, quam in Germanis.* Satisne vere hæc furta objecerit *Menagio Crenius* cum *Morhofio*, jam non inquiram. Mihi vero iniquiſſime agere cum viris doctis videntur, quibus jucundum eſt, famam eorum tali, qualis hæc eſt, nihil quippe habente indiciorum, unde cognoſci veritas poſſit, &, ſi ſerio res agatur, vix unquam probanda, accuſatione in ſummum adducere diſcrimen, & integritati eorum maculam inurere, vix ullo tempore eluendam.

a) Vixit certe anno 1735, quo *Diſſertationes hiſtoricas quatuor* forma, quam vocant, octava edidit, in

NUS THOMASIUS PHILIPS, own Cambro-Britannus, *Guilielmi*, Ducis Cumberlandiæ, educationi præfectus, quem, in Germania olim eruditionis cauſſa peregrinantem, edidiſſe conſtat Altorfii Noricorum A. 1713 *Hiſtoriam Atheiſmi breviter delineatam,* b) poſtea A. 1716, c) iterumque A. 1735, d) Londini novis typis excuſſam. Hanc cum olim, in ſcribenda *Angeli Politiani Vita* occupatus, ad id evolverem, ut, ſi quid de *Politiano*, non uno nomine illius olim criminis, quod Atheiſmum vocant, poſtulato, dictum invenirem, id ipſum in rem meam converterem, de *Politiano* utique hic e) ſatis

[illegible] multa,

compendium miſſas ab Auctoribus *Novorum Actorum Eruditorum A. 1737 Menſ. Nov. pag. 515.* nec ab eo tempore de ejus morte nuntium veniſſe recordor.

b) Forma octava liber prodiit, cui acceſſerunt *Samuelis Clark Tractatus eximius de Exiſtentia & attributis Dei, contra Spinoſam atque Hobbeſium,* Anglice conſcriptus, jam autem Latine redditus, *Chriſtiani* item *Gottlieb Schwarzii,* præſtantiſſimi Viri, elegans magis, quam copioſa, Præfatio, qua *integerrimi doctiſſimique viri* nomen huic *Thomaſio* tribuitur, & *modeſtia* ejus, *probitas,* ac *doctrina*, *multo ſtudio diuturnisque peregrinationibus parta*, laudantur.

c) Hanc editionem inſcripſit Auctor *Diſſertationem hiſtorico-philoſophicam de Atheiſmo, ſive Hiſtoriam Atheiſmi*, nec huic libellus *Clarkii* acceſſit. Dictum eſt de ea in *Novis Actis Erud. A. 1717 Menſ. Sept. pag. 402.*

d) Prodierunt A. 1736 Londini hujus *Thomaſii Diſſertationes hiſtoricæ quatuor*, quarum prima hæc ipſa *Hiſtoria Atheiſmi* eſt. Dictum eſt de ſingulis in *Novis Actis Erud. A. 1737 Menſ. Nov. pag. 515.*

e) Egit de *Politiano Thomaſius Cap. VII* §. 6.

singula, ſed nihil in his novi, quin translata huc omnia, ne mutato quidem verbo, ex *Jo. Chriſtoph. Wendleri*, aut, ſi potius is dicendus eſt Auctor, qui Præſidis munere functus eſt, *Burch. Gotthelfi Struvii*, Diſſertatione *de doctis Impiis Naturaliſtis.* f) Ego vero, turpe hoc *Thomaſii* factum hoc minus celandum ratus, quo gravior ab eo facta eſt injuria lectoribus, quibus merces alienas temere pro ſuis vendidit, temperare mihi nullo modo potui, quin publice hoc ei furtum in illa, quam dixi modo, *Vita Politiani* exprobrarem, g) nec in exprobrando leniorem me, quam res ipſa ferret, liberali homine prorſus indigniſſima, præberem. Fui autem profecto in eum lenior, quam fuiſſem, aut eſſe debuiſſem ſaltem, ſi, quæ mihi poſtea ſunt explorando cognita, tunc etiam ſciviſſem, non ea tantum parte, qua ad *Politianum* ſpectat, ſed pæne integram prorſus, certe plurima ſui parte, illum ſive *Wendleri*, ſive *Struvii*, laborem in libellum hunc *Thomaſianum* transmigraſſe, omnesque adeo hominis impudentiſſimi, & magnum in plagiariorum grege nomen affectantis, a *Thomaſio* partes impletas. Id ipſum, ne quis calumniari me criminetur, jam probaturo mihi illud ſufficit, ſi docuero Lectores meos, quæcunque

f) Prodiit hæc cum tribus aliis ſelectioris argumenti, ſed brevioris tractationis, Diſſertationibus, & *Struvii de Pyrrhoniſmo hiſtorico Diſſ. præliminari*, A. 1705, iterumque A. 1721, forma 4. Quæ de *Politiano* hic dicta ſunt, implent *Paragraphum VI.*

g) Factum hoc in *Hiſtoria vitæ & in literas meritorum Angeli Politiani*, A. 1736 a me edita, *Sect. I* §. 18 *not.* (*b*) *pag. 435 ſeq.*

cunque a *Capitis VII Paragrapho* 4 usque ad 8 de *Hermolao Barbaro*, *Marſilio Ficino*, *Politiano*, & *Pomponatio*, narrantur, ne verbo quidem diſcrepare ab his, quæ a *Wendlero* §. 4, 5, 6, 7, diſputata ſunt; quibus, miror utique, reliqua non acceſſiſſe Capitis, niſi forte ad furta alia *Thomaſio* fuiſſe properandum ſuſpiceris. Nec quidquam ad defendendum eum valet, quod ejusdem *Capitis* §. 1 mentionem fecit *Wendlerianæ* Diſſertationis, & ex ea locum ſatis amplum & copioſum attulit; ubi ſi dicendus eſt in eo, quod nominavit fontem ſuum, bene ac honeſte feciſſe, non item hoc dici poteſt de ceteris, paulo ante indicatis, locis, quippe quæ omni indicio Auctoris ſui carent, nec alio, quam ipſa *Thomaſii* verba, typorum genere exſcripta ſunt.

XII. Fuit re vera, etſi videri noluit, plagiarius VICTORINUS STRIGELIUS, magnus ille, & pro cauſa Dei tot fatales caſus, tot vitæ moleſtias, expertus, Seculi XVI Theologus, *Philippi Melanchthonis* diſcipulus, ſed eo ad expugnandos veritatis hoſtes animoſior longe ac paratior. a) Singulare in hoc viro, ſententiis dictisque aliorum non uſum tantum pro arbitrio, ſed, in more id ſibi eſſe, bonumque ac rectum putari, publice etiam profeſſum. Ita enim ſuaviter ille ſomniabat, eſſe quan-

dam

a) Vitam ejus & plane triſtiſſima fata, præter alios, curate tradit *Petrus Bælius* in *Diction. hiſt. & crit.* *T. III pag.* 2662 *ſeq.* & *Chriſtian. Eberh. Weiſmannus* in *Hiſtoria vitæ & controverſiarum Victorini Strigelii, Kauffbeurenſis*, Diſſertationis Academicæ habitu edita Tubingæ A. 1731.

dam, ut bonorum omnium, ita ſcriptorum etiam, inter homines doctos communionem liberam debere, nec quidquam ita proprium cuiquam eſſe, ut non uſus ejus ad omnes pertinere, & ad ſingulos, putandus ſit. Dare ſe id juris, ſi quis expetat, in ſua ſcripta, idem viciſſim in aliena poſcere. Non ſatis, hæcne ita publice in libris ſuis ſcripſerit *Strigelius*, an ex ore ejus acceperint alii, nos, qui hæc refert, docet *Jacobus Monavius*, editor *Nicomacheorum Ariſtotelis*, a *Strigelio* Latine redditorum. Is, *cum Victorinus*, ait, b) *noſter diu multumque verſatus eſſet in lectione eorum Auctorum, qui libros Ariſtotelis quaſi in ſuum ſuccum convertiſſent, illorum potius veſtigia voluit, ubi & quantum poſſet, conſectari, quam novam per omnia cudere verſionem. Ac quidem ille vir & factus erat, & natus, ut, ſi qua ei de re dicendum eſſet aut ſcribendum, & ipſi, quæ de eadem illa ipſa re alii etiam recentiores, & qui viverent adhuc, recte tradidiſſent, in mentem venirent, non puderet hinc illum verba ab iis & ſententias mutuari. Non enim hoc dicebat plagium eſſe literarium, ſed ingenuam atque candidam, doctis atque bonis dignam, κοινωνίαν. Et faciat, inquit, aliquis idem, ſi ſe cum fructu hoc poſſe ſperat, de meis quoque.* Sed, eſſe hæc utique ipſius verba *Strigelii*, patet

b) In Præfatione ad Lectorem, præmiſſa *Nicomacheis Ariſtotelis*, cum verſione, argumentis, & ſcholiis *Strigelii*, Lipſiæ editis A. 1572, 8, unde repetita ſunt a *Jac. Thomaſio* in *Diſſ. de Plagio literario Theor. VII* §. 194 *pag.* 82, & a *Balio l. c. pag.* 2664 *not.* (G).

patet legenti *Præfationem* ejus *ad Pſalmos*, *&* *Eſaiam*, ubi ſuo hæc ipſa ore profert, [c]) & plurima eorum, quæ pertinent ad Philologiam, mutuo ſibi ſumta ab *Erhardo Schnepſio*, ſuo ſocero, fatetur. Quin morem hunc fortaſſe reprehenſuris exempla *Pauli*, *Juſtini Martyris*, *Euſebii Cæſarienſis*, & *Auguſtini*, quos conſtet veterum Scriptorum dictis, tanquam gemmis quibusdam, exornaſſe libros ſuos, opponit in *Præfatione ad Hypomnemata in Novum Teſtamentum*. Eorum, in quos libere exercuit id juris, præcipui fuerunt *Lutherus* & *Melanchthon*, quorum tam aſſidue legit ſcripta, tamque ſibi reddidit familiaria, ut, junctis horum aſſerculis, integram ſæpe navem conſtruxerit. Qua in re ſatisne excuſari poſſit, diſceptari in partem utramque ſolet. Certe parum in judicando rigidi videntur *Weiſmannus* [d]) & *Thomaſius*, [e]) alter ſolo, quod putem, *Strigelii* amore ductus, [f]) alter arctiſſimæ illi diſcipulorum *Melanchthonis* conjunctioni, quæ tanta fuerit, ut, ſicut res quasque alias, ita ipſa etiam ſcripta inter ſe

c) Fidem ſequor *Chriſt. Eberh. Weismanni*, allegantis hæc verba *Strigelii* in Diſſ. *de Vita Strigelii* §. 29 *pag.* 60.

d) *l. c. pag.* 59 *ſeq.*

e) Huic e plagiariorum numero eximi *Strigelium*, negat *Weiſmannus l. c.* quod mirari vix ſatis poſſis, ſi legas, quæ pro cauſa *Strigelii* copioſe diſſerit *Thomaſius l. c. Theor. VII* §. 195, 200, 201, *&* 202.

f) Rationibus enim ad defendendum plane nullis utitur; ſaltem rem ipſam tam benigne & ſpecioſe refert; ut facile animum ad defendendum, quam exprobrandum, paratiorem agnoſcas.

ſe communia habuerint, multum ad exercendum ponderis concedens. Sed neſcio, qui fiat, ut, quo neminem alioqui ad indulgendum faciliorem habent ordinis mei homines, ego hic a lenitate illa ſentiam me longius abeſſe. Sit ita, inter diſcipulos *Melanchthonis* pacta quædam, conventa, ſtipulationes, fuiſſe, ut ſinguli ſingulorum ſcriptis tanquam ſuis uterentur: quod nec ipſum probari ſatis poteſt, quippe publicis conventionis tabulis, quod ſciam, nuſquam repertis; ſit tamen ita, licuitne *Victorino*, quod paucorum fuit, ita ad quoscunque alios, ad omne genus Scriptorum, ad univerſam eruditorum civitatem, extendere, ut, undecunque vellet, rapiendi ſibi poteſtatem faceret? Atqui libere ille & audacter ſcribit, dignum viro docto opus eſſe, paupertati ſuæ aliorum, quicunque ſint, laboribus ſuccurrere. Idque, ut dixi, ex ficta illa & ementita omnium bonorum communione, quæ liberum cuique, utendi re aliena, jus permitteret. Egregie profecto, & accommodate ad magnum peſſimorum hominum ſolatium, niſi ad ſanciendam firmandamque communionem illam conſenſus ceterorum omnium deeſſet. Sine quo nec fingere communionem licet, nec, qui ſolus eam, invitis aliis, exercet, effugere, ut dicam id, quod eſt, ſuſpicionem furti poteſt. Et, ne quid diſſimulem, quid monſtro & portento ſimilius communione illa, a *Strigelio* excogitata, cujus ea eſt ratio, ut ignavo doctorum vulgo inertiæ & ſtupiditatis indigniſſima latibula oſtendat, ingeniis egregiis & vere magnis ſuas laureolas & promeritum doctrinæ præmium eripiat, denique de iis laudibus, quæ tribuendæ ſunt

bono

bono cuique viro, dubios valde incertosque lectores reddat. Quorum nihil eſt timendum, ſi, quod publici huc usque juris fuit, non tam doctrinæ alienæ uſu, quam ne clanculum & tecto Auctoris nomine utantur, pauperes indigosque alienæ opis prohibeas.

XIII. Nihil fere edidit JOANNES TAISNERIUS, notus ille Chiromanta, quod non totum deſumtum eſſet ex aliorum libris. In *Opere* ejus *Mathematico* a) integram legi *Bartholomæi Coclitis Anaſtaſin Phyſionomicam*, & *Opuſculum de natura & effectibus magnetis* b) nihil differre a ſimili Opere *Petri Peregrini*, Galli, c) dudum teſtimonio *Naudæi* exploratum eſt. d) Sed &, quæ *de motu continuo*

a) Prodiit hoc Coloniæ A. 1562, fol. denuo editum ibidem A. 1583, apud *Theodorum Baumium*, fol.

b) Id cum alio *de Motu continuo* junctim editum Coloniæ A. 1562 apud Birckmannum, 4, nos docet *Joſias Simlerus* & *Jo. Jac. Friſius* in *Bibliotb. Geſneriana pag.* 502.

c) Ita hujus inſcriptum eſt Opus: *Petri Peregrini de Maricourt Tractatus, ſive Epiſtola, de Magnete, ſeu rota perpetui motus, cum Præfatione Achillis Gaſſari.* Auguſtæ, 1558, 4.

d) Hujus verba, nec quidquam præterea, etſi nec hæc integra, ex *Bibliographia polit. pag.* 121 profert *Jac. Thomaſius* in Diſſ. *de Plag. liter. pag.* 246. En, quam graviter *Naudæus*: *Inter recentiores, qui artem ejusmodi* (*Criſin phyſiognomicam*) *ſcriptis explicarunt, potiores ſemper habeo Auguſtinum Niphum, & Camillum Baldum, eruditiſſimos Ariſtotelis commentatores, Bartholomæum Coclitem*, Bononienſem, *cujus integrum librum convaſavit, ac in ſuum Opus mathematicum tranſtulit Joannes Taiſnerius, plagiariis in-*

*nuo* e) vulgavit, rapta ex ſuo *Demonſtrationis præparationum motuum localium* Opere vehementer olim conqueſtus eſt *Jo. Baptiſta Benedictus*, Patricius Venetus, & Philoſophus, in Præfatione libri *de Gnomonum umbrarumque ſolarium uſu.* f) Plenius hæc & cum ſtomacho narrantem, nemo fuerit Lectorum, qui non lubenter audiat. *Si hos non laudamus,* in-

*ſignis, & impudentior longe Horatii cornicula, cum præterea Tractatum etiam de Magnete, a Petro Peregrino, Gallo, quondam editum, furto ſibi vendicarit. Quod equidem velut per tranſennam obſervandum eſſe duxi, ut ſuus bene de republica literaria meritis bonos aſſeratur, & ipſe* Taiſnerus,

*Regali conſpectus in auro nuper & oſtro,*
*Migret in obſcuras furaci mente tabernas.*

Sed addimus his alia ejusdem *Naudæi* ex libro rarius obvio, *le Maſcurat* inſcripto, *pag.* 416: *Scripſit Cocles Anaſtaſin Phyſionomicam, quam de verbo ad verbum exſcripſit Taiſnerus in Opere mathematico, ſeu Chiromantico.*

e) Pertinent ad hunc libellum, ut ego quidem opinor, querelæ *Benedicti.* Nihil enim præterea, quod huc ſpectare videatur, quodque ego ſciam, edidit *Taiſnerius.* Sed tamen nihil hic certi definio, quod eſſe in rebus iſtiusmodi fallax admodum conjectura noſtra ſoleat. Eſt hæc opella adjuncta alteri *de Magnete*, ut dixi ſub nota *b*).

f) Editus eſt liber Auguſtæ Taurinorum A. 1574, fol. inter eruditos raro obvius. Quæ cauſa eſt, cur nihil de hoc plagio commemoret *l. c. Thomaſius.* Sed debemus ejus rei notitiam diligentiſſimo *Baelio*, qui locum integrum ex *Benedicto* profert in *Dict. hiſt. & crit.* T. *IV pag.* 2687, *Artic. Taiſner, not.* (*B*).

inquit, *qui aliquid ab aliis ſunt mutuati, quid de manifeſtis furibus dicemus, qui vel ipſa integra aliorum volumina ſibi imprudentes adſcribunt, & quaſi ſteriles ac ſceleſti plagiarii, viventium filiorum (eſt enim haud dubie legitima proles, quicquid fœcundum ingenium longo ſtudio concepit, & peperit,) miſerandas infligunt piis parentibus orbitates, & ſe ſumma cum jactantia eorum operum auctores mentiuntur, quæ magna cum infamia rapuerunt, ut fecit impuriſſimus omnium Joannes Taiſnerus, Hannonius. Qui opuſculum noſtrum Demonſtrationis proportionum motuum localium contra Ariſtotelem, & alios Philoſophos, jam diu antea a nobis editum, & iterum impreſſum Venetiis anno ſalutis 1554, ita integrum ſibi deſumſit, ut nihil præter Auctoris nomen immutaverit; quid enim mutaviſſet, qui nec percipere poterat, quæ in ea diſputatione continerentur? Homo vanus, ab omni mathematica facultate alienus, qui merito propter craſſiſſimam ignorantiam verebatur, ne vel aliqua ſyllaba ſublata, aut addita, totius tractationis inficeretur ſubſtantia. Credidit (ut opinor) me jam vita functum, qui furti nunquam argui poſſe confidit, & non intellexit ſuam temeritatem, qui ſe ipſum mille argumentis, qualis eſſet, prodidit; dum utre inflato inanior ſeſe Juris Doctorem, & ſimul etiam muſici ſacelli rectorem, aſſeruit, quaſi Jura docere ſit Muſici, aut Juriſperiti, ſacellum regere, &, dum de magnete, & motibus, Tractatus emiſit, nuſquam in titulis ſe Mathematicum nominavit, ſed Poetam, eo quod crediderit, Poetæ, aut Muſici, aut Juriſperiti, eſſe, de naturalibus motibus corporum diſſerere. Debebat ſaltem & in hoc mentiri infamis impoſtor, ut*

*ſe*

*ſe Mathematicum in titulis prædicaret, ut in Præfatione ad Lectorem ejusdem uſurpati Opuſculi fecit, dum ſe Matheſin publice legiſſe Ferrariæ, & alibi, trecentis & pluribus auditoribus prædicat, cujus numeri auditorum ne ſextam quidem partem quiſpiam vidit in Italia, in auditorio cujusvis (etiam primi hominis) Mathematici; quis, inquam, hos infames laudaverit, in Flaviam legem committentes? ac non potius juxta Conſtantini Cæſaris ſententiam, ad Celſum, Africæ vicarium, reſcribentis, beſtiis ſubjiciendos cenſeat? Væh illi capiti, ſi inciderit aliquando in manus hoſtis tam cruenti & ſeveri!*

XIV. Majorem putes itinerum, quam ſcriptorum, famam fuiſſe JOANNIS BAPTISTÆ TAVERNIERII, Gallorum Seculi ſuperioris nobiliſſimi, a) ſi vera ſint, quæ in Itinerum ſex, ab eo ſuſceptorum, Relationibus b) obſervata ſibi perhibet doctiſſimus Anglorum, *Thomas Hydius*. Is, quæ copioſe & jucunde *Taverniero* de Gavris ſunt relata, non ſine furti nota depromta ex alio P. *Gabrielis de Chinon Itinerario*, Lugduni Gallorum A. 1671, 8, edito, omnibus notum facit in libri *de Religione veterum Perſarum Appendice*. c) *Sciendum eſt*, inquit,



a) Multa de præclariſſimis ejus itineribus diligenter commemorat *P. Bælius* in *Dict. hiſt. & crit. T. IV pag. 2697.*

b) Edidit has Gallico ſermone *Tavernierius Voluminibus duobus* Pariſiis A. 1679, 4. Poſtea a Belgis denuo vulgatæ ſunt forma minori.

c) Illa de Gavris ex *Tavernierio* ampliſſime refert *pag. 535 ſeq.* plagium vero notat *pag. 545.* Conf. *Bælium l. c. not. (D).*

quit, *Tavernierum ad inſtar plagiarii bocce de Gavrii paragraphum (& forte multa alia) deſumſiſſe ex alio Itinerario Gallico ed. Lyons 1671, in 8, cujus Auctor eſt P. G. D. C. i. e. Pere Gabr. de Chinon, qui 30 annos in Perſia transegit.* Non addit, an iisdem, quibus *Chinonius*, uſus ſit verbis, quod inprimis requiro, ut quis in re hiſtorica commiſiſſe plagium dicendus ſit. Non enim, niſi ex aliorum libris, haurienda ſunt rerum geſtarum hiſtoriæ; ſed, ne aliis ſurrepta ſit narratio illarum, cummaxime cavendum eſt Hiſtorico. Præterea, ſi tantum res, non verba, *Chinonii* in Commentariis *Tavernierianis* deprehendit *Hydius*, quidni æque felicem in obſervando *Tavernierium*, ac *Chinonium*, exiſtimemus, cum ipſe ad ultimos usque Perſiarum fines commigraverit, & illa omnia, quæcunque de conditione regionis tradit, ſpectare ſuis oculis potuerit? Ego ſane, qua ſum æquitate, ita malim conjicere, quam crimine tam infami hominem, nec rite accuſatum, nec prorſus convictum, temere condemnare.

XV. In Plagiariorum numero JACOBUS PHILIPPUS TOMASSINUS, Epiſcopus Iſtrienſis, ponitur a *Joanne Alberto Fabro* (*Fabricio*) in *Decade Decadum, ſive Plagiariorum & Pſeudonymorum Centuria, n. 21 & 31*, & *Thoma Crenio* in *Diſſ. I de Furibus literariis pag. 110.* Satisne autem recte in eo factum ſit a viris alioqui doctiſſimis, juſtas mihi habere cauſas dubitandi videor. Nam, ſi vera etiam putari debeant, quæ illi cum multis aliis de ſcriptis, quæcunque prodierunt *Tomaſſini* nomine inſcripta, a *Ioanne Rhodio*, doctiſſimo Danorum cive, compoſitis, nos docent, tantum tamen abeſt, ut eo nomine inter fures

res

res literarios locus tribuendus ſit *Tomaſſino*, ut in facto hoc docti viri, quandoquidem furtum non niſi invito domino committitur, nullam hujus criminis ne quidem ſpeciem agnoſcam. Nemo enim eorum, a quibus hujus rei mentio eſt facta, ſcripta hæc furtim ſurrepta *Rhodio* prodidit, ſed in eo omnes, etiam a *Fabricio* & *Crenio* nominati, conſentiunt, *Rhodio* non ſolum non repugnante, ſed, quod eam rem futuram ſibi aliquando lucroſiſſimam ſperaret, maxime etiam conſentiente, hujus ſcripta pro ſuis edidiſſe *Tomaſſinum*, quod *Rhodii* doctrinæ plus, quam ſuæ, conſideret, & tutiſſimam hanc, magnum inter viros doctos nomen obtinendi, viam reputaret. Nec ſane fieri potuit, ut tale quid inſcio, nedum invito, *Rhodio* auderet, quem, utpote adhuc viventem, & in eadem ſecum urbe (ſciunt enim omnes, complures annos *Rhodium* Patavii commoratum,) viventem, noverat, ſi ſua ſcripta ab alieno homine, ſe non veniam rogato, publicari videret, triſtiſſimam de ipſo vindictam ſumturum, facinusque hoc, quo nullum unquam magis temerarium excogitari poſſet, manifeſtum omnibus facturum. Conſtat autem, arctiſſimam quandam perpetuamque inter hos duumviros, dum viverent, amicitiam fuiſſe, tantumque ab eo abfuit *Rhodius*, ut tale quid exprobraret *Tomaſſino*, ut de eo in ſcriptis ſuis, etiam aliqua illorum librorum parte dudum edita, prorſus honorifice commemoraret, non humanitatem tantum viri, ſed doctrinam etiam & ſcripta, exquiſitis laudibus extollens. [a]) Quod ſi recte cogitas, ipſe vi-

 des,

a) Ut ſpecimen habeas, lege ea, quæ in Diſſ. *de Acia*,

des, quam parum ſit veroſimile, quod relatum aliquando *Paulo Colomeſio* [b]) a *Gerh. Jo. Voſſio* fuit, publice ſe *Rhodium* Patavii dixiſſe Auctorem *Elogiorum*, a *Tomaſſino* editorum, & perſuaſum omnibus iviſſe, ſibi inprimis partæ hoc libro infulæ a *Tomaſſino* gratiam deberi. Quam Voſſii narrationem, cum valde eſſe injurioſam in civem ſuum *Tomaſſinum* intelligeret *Nic. Comnenus Papadopolus*, temperare ſibi non potuit, quin, *dicto hominis, cujus dicacitatis ac petulantiæ non auſim adſtipulari*, ſcriberet, c) etſi nec illud negans, *in Elogiis diverſum eſſe ſtilum a ceteris Opuſculis Tomaſſini, plerumque incurioſis, illiberalibus, ac ſemibarbaris*. Sed demus hoc etiam, licentius illa, quæcunque ſunt, a *Rhodio*, animi certe non adeo levis homine, divulgata, quam permittere leges amicitiæ & pactum fœdus videbantur, nihil ſane hinc minus cognoſcis, quam furtim illa ſcripta *Rhodio* ſubducta, qui, publicando illa amicitiæ arcana, nihil aliud fecit, quam quod noſtra etiam ætate facere homines quidam inanis gloriæ cupidiores ſolent, qui, mercede primum, eaque ſatis lauta, ad id, ut ſui fœtus ingenii adoptandos aliis permittant, conducti, & ad æternum ſilen-

Patavii primum A. 1639, poſtea ſecundis curis Hafniæ A. 1672 a *Thoma Bartholino* edita, *pag.* 46, 48, 143, ed. Hafn.

b) Id ipſum docentem vide *Colomeſium* in *Recueil de Particularitez fait l'an 1665*, quæ pars eſt *Opuſculorum Colomeſii*, Ultrajecti A. 1669, 12, editorum, *pag.* 109.

c) In *Hiſtoria Gymnaſii Patavini Tomo II Cap.* 49 *pag.* 304.

ſilentium ſancta ſe promiſſione obſtringentes, poſtea, cum plus, quam ipſi exſpectaverant, ex labore ſuo in alterum redundare laudis gloriæque vident, non id, quæ eſt plerumque vanitas illorum hominum, ferendum rati, tanti ſui meriti, cum magna eorum, qui hunc laboris alieni fructum juſto pretio redemerant, injuria, aut ipſi publicos præcones agunt, aut id obvio cuique, tanquam rem nulli notam, ſed, quæ omnibus nota fiat, maxime dignam, in aures inſuſurrant. Tam diu igitur cum *Tomaſſino* eos, qui furtum ab eo in ſcriptis *Rhodianis* commiſſum criminantur, agere injuſte putabo, quoad illi probare non poterunt, factum illud *Tomaſſini* conſenſu *Rhodii* caruiſſe, & ſcripta illa *Rhodio* ſive per vim ſurrepta, ſive clam ſubducta. Sed, qui furti crimine haud difficile abſolvi poteſt; non eundem æque defendendum mihi ſumam, ſi quis novus accuſator prodeat, qui fraudis in literariam Rempublicam admiſſæ eum poſtulet, nec ſatis in eo factum liberaliter contendat, quod, aliena ſcripta pro ſuis venditando, & fucum viris doctis fecerit, &, quæ aliis debebatur, gloriam ad ſe rapuerit. Quam enim indecorum ſit viro gravi, & honeſtatem morum profitenti, aliunde, quam ex ſe ipſo, famæ laudisque ſuæ materiam petere, &, quod graculus ille, alienis ſe pennis exornare, mihi adeo non eſt incognitum, ut nullum facile genus hominum majori, quam hoc ipſum, contemtu & irriſione dignum putem. Sed, quo turpiorem *Tomaſſinus*, ſi quidem, quæ de eo vulgo narrari diximus, eſſe vera intelligantur, ſuſcepturus maculam videtur; hoc majori jure a nobis pii ejus manes poſtulant, ut, niſi

penitus inſpecta cognitaque cauſa, ne ſententia feratur, nec plus apud nos valeat accuſantium, quos incertus tantum rumor, in viros ſæpe optimos injurius, armavit, quam defendentium, in quos nulla cadat mali animi ſuſpicio, & a quibus certiora, quam ab ullo alio, proferri poſſint, auctoritas. Eſt autem, qui fortiter tuendam cauſam *Tomaſſini*, & famam ejus integritati ſuæ reſtituendam, nobili conſilio ſuſcepit, *Thomas Bartholinus*, non *Tomaſſini* minus, quam *Rhodii*, quem ipſe civem habuit, amicus, atque adeo earum rerum, quæ geſtæ ſunt inter hos duumviros, prorſus gnarus, cujus teſtimonium, utpote a viro bono, & cum viris illis doctis ita familiariter vivente, ut ſuorum omnium conſiliorum fecerint participem, profectum, multum omnino, certe plus, quam quorundam de vulgo hominum narratio, habere momenti debet. Is igitur, ſi quæ merita fuiſſe *Rhodii* in ſcripta *Tomaſſini* ſit dicendum, non fuiſſe niſi hæc, teſtatur, quod aliqua ſubinde negligentius a *Tomaſſino* ſcripta elegantiori dicendi genere exornaverit, &, ſi qua Auctorum loca, ad argumentum *Tomaſſini* ſatis apta, in promtu haberet, hæc cum ipſo amice communicaverit; in quo fecit omnino, quod eſt viri boni, & amici nobilis, quin, ſi verum dicendum, quod rogare æque ac præſtare liberale eſt. Sed ipſum pro *Tomaſſino* graviter dicentem *Bartholinum* audiamus d): *Reverendi* Tomaſſini *manes lædunt, qui operum variorum famam cum* Rhodio *noſtro partiuntur. Limam ſubinde illis a* Rhodio *adhibitam non ignoramus, &, ſi for-*

d) In *Diſſ. II de Legendis libris pag. 44.*

*ſi forſan loca Auctorum deſiderarentur, pro amicitia, quæ utrique interceſſit maxima, ſicut inter doctos fieri ſolet, communicata, utriusque amicus teſtari bona fide debeo. Nec aliud bujus modeſtia & ſueta longe ſcribendi uſu penna ſuadet.* Nec nihil hic valeat judicium *Niceronii*, c) longe aptiorem extraneo quocunque homine ad ſcribendos *Elogiorum* libros fuiſſe *Tomaſſinum*, exiſtimantis, partim quod Hiſtoriæ literariæ ſtudiis plurimum temporis & laboris per omnem vitam impenderit, partim quod *Elogia* ſcripſerit civium ſuorum, quorum hiſtoriam adeo plene & copioſe ab homine Dano deſcribi potuiſſe, vix ſit probabile.

XVI. Quam ſibi famam pepererat elegantiſſimo & egregie docto libro *Elegantiarum Latini ſermonis* LAURENTIUS VALLA, a) Grammaticorum Seculi XIV princeps, eam ut everterent homines invidi & ad obtrectandum proni, in vulgus ſparſerunt fabulam, non eſſe hoc opus *Laurentii*, ſed vetuſtiſſimi ſcriptoris, *Aſconii Pediani*, quippe repertum olim in Germania, jam vero nova veſte a *Laurentio* indutum. Sed nihil effecit horum calumnia, facile aut ab ipſo *Laurentio*, aut certe ab his, quos ille ſtudioſos habebat ſui, confutata. Cedit id tamen gloriæ *Laurentio*, quod liber ejus non indignus tam illuſtri Grammatico exiſtimatus eſt. Rumoris hujus, a malevolis olim excitati, mentionem fecit *Mariangelus Accurſius* in *Diatribarum* ſuarum *defenſione*



c) In *Memoires pour ſervir &c. Tome XXIX pag. 166.*
a) Vide, quæ de eo ſtudioſe differit *P. Belius* in *Dict. hiſt. & crit. T. IV pag. 2791 ſeq.*

*ſione*, quam *Teſtudinem* inſcripſit; quæ cum nondum venerit in manus meas, apponam ſaltem verba *Gerh. Jo. Voſſii*, illius teſtimonio utentis: b) *Admodum perfrictæ frontis fuiſſe, neceſſe eſt, qui, cum Laurentii Vallenſis Elegantiarum libros in honore eſſe docerent, in vulgus ſparſere, eos jam olim in Germania fuiſſe repertos; quodque ſcripti eſſent literis fugientibus ac fatiſcentibus, vix certis cognitum indiciis tandem fuiſſe, Aſconii Pediani eſſe opus: cujus calumniæ meminit Mariangelus Accurſius in Diatribarum ſuarum defenſione, cui Teſtudo nomen fecit.*

XVII. In magnam, quod conſtat, *Franciſci Richelii*, ſupremi olim Galliæ rectoris, gratiam venit, annuamque ab eodem penſionem tulit, EMANUEL FERNANDEZ VILLAREAL, ortu Ulyſſiponenſis, a) edita olim, cum Rothomagi ageret, vitæ & geſtorum magni hujus Herois hiſtoria, quam, ſermone Luſitanico compoſitam, ita inſcripſerat: *El Politico Chriſtiano, ò Diſcorſo politico de la vida y acciones del Cardinal de Richelieu.* b) Quæ, ut magnifice ſcripta & prorſus aſſentatorie videtur, ita eo inprimis ſpectat, ut ex illuſtriſſimo Regum Caſtiliæ & Luſitaniæ ſanguine ortum ducere magnum illud Galliarum ſydus appareat. Sed parum hic præſtitit, quandoquidem indicio ſcriptoris Galli, *le La*

b) *de Hiſtoricis Latinis Lib. I Cap. 27 pag. m. 130.* Lege etiam, quæ profert *Balius l. c. pag. 1792 not. (L).*

a) Quicquid de eo ſciri poteſt, commemorat *P. Balius* in *Diction. hiſt. & crit. T. IV pag. 2817.*

b) Migravit liber poſteà in Gallicum ſermonem, editus Pariſiis A. 1643, 4, ut docet *Nic. Antonius* in *Bibl. Hiſp. Tom. I pag. 267.*

*le Laboureur*, c) compertum eſt, nihil hic ingenio *Villarealii*, omnia *Ducheſnio*, ex cujus quodam Opere deſumta ſint, deberi. Qua de re ut plenius cognoſcas, ipſum hæc teſtantem audiamus *Laborarium*. *Il faut ſuprimer*, inquit, *tout le Livre entier fait en Eſpagnol par un Portugais nommé* Ville-Real, *depuis brûlé pour le Judaïſme à Lisbonne, fameux Plagiaire qui le copia ſur le Sr.* Du Cheſne, *pour faire deſcendre le Cardinal de Richelieu par l'Alliance de Laval des Roys de Caſtille & de Portugal, & qui ne laiſſa pas de profiter d'une bonne penſion.* Non, quod miror, nominat librum *Cheſnii*, etſi id debebat maxime. Neque mihi ipſi id licet, cum & *Andreæ*, & *Franciſci*, *Ducheſniorum* Opera vulgo exſtent bene multa, eademque partem maximam hiſtoriam Gallorum illuſtrantia, unde illud, de quo ſermo fuit *Laborario*, ſeligere, difficilioris eſſe operæ videtur. Quod ipſum facit, ut de plagio hoc *Villareali* certi ego nihil decernam.

XVIII. Ut primipilum habeat in poſterum plagiariorum turba, dabimus ei LAURENTIUM A VILLAVICENTIO, a) Xerezanum, Theologiæ in Academia Lovanienſi Doctorem, Ordini S. Auguſti-

ni

d) In *Additions aux Memoires de Caſtelnau Tom. II pag. 303.* Conf. *Bælium l. c. not.* (*A*).

a) De eo nonnulla commemorat, præter alios, *P. Bælius in Dict. hiſt. & crit. Tom. IV pag. 2818*, & *Nic. Antonius in Biblioth. Hiſpan. Lib. II pag. 9.* Furta ejus indicari video a *Jo. Alberto Fabro* (Fabricio) in *Decade Decadum, ſive Plagiar. Centuria, num. 36*, ſed quibus ego, quæ addam, bene multa habeo.

ni addictum, b) cujus ea fuit, vix audita unquam inter eruditos, audacia, ut clariſſimi Marpurgenſium Theologi, *Andreæ Gerhardi Hyperii*, c) quos *de ratione ſtudii theologici*, d) et *de formandis concionibus*, e) libros ſcripſit, totos faceret ſuos, hosque, reſectis tantum iis, quæ Pontificiorum doctrinæ adverſa videbantur, denuo, ſuo inſcripto nomine, ederet Antverpiæ A. 1565. f) Et quidem, quod

b) Auguſtinianum plurimi vocant, ſed fuiſſe etiam, qui Franciſcanum dicerent, patet ex *Villani Viſera Alzata Hecatoſte num. 28.*

c) Vitam ejus copioſe deſcriptam habes in *P. Bælii Dict. T. II pag. 1470 ſeq.* qui unus inſtar omnium eſſe poteſt. Inſignis eſt error *Vinc. Placcii*, *Hyperium* hunc *Theologum reformatum apud Hiſpanos* dicentis in *Theatro Anon. & Pſeudon. P. II pag. m.* 608, cum *Hyperii* hujus vix auditum unquam in Hiſpania nomen fuerit. Sed audierat tale quid de *Villavincentio Placcius*, quem *Philippo* II, Hiſpaniarum Regi, a concionibus ſacris fuiſſe, diemque ſupremum obiiſſe in Hiſpania, ſat certo conſtat.

d) Inſcriptum eſt opus: *de Theologo, ſeu de ratione ſtudii theologici, Libri IV.* Argentinæ prodiit A. 1562, 8.

e) Editus eſt liber Marpurgi primum A. 1553, 8, apud *Andream Colbium*, poſtea Baſileæ A. 1563, 8, ita inſcriptus: *De formandis concionibus, ſeu de interpretatione Scripturarum populari, Libri duo.*

f) Prodiit & poſtea A. 1575 Coloniæ apud hæredes *Birckmani.* Integrum Operis titulum apponam: *De recte formando ſtudio theologico Libri quatuor, ac de formandis ſacris concionibus Libri tres, omnes collecti & reſtituti per fratrem* Laur. a Villavincentio, *Xerezanum, Doctorem Theologum Auguſtanum,*

quod ad librum *de ratione ſtudii theologici* attinet, primus hoc furtum detexit *Jo. Rainoldus*, g) quem ſecuti ſunt *Barthol. Keckermannus*, h) *Andr. Rivetus*, i) *Humphredus Prideaux*, k) *Jo. Henr. Hottingerus*,

(ita vitioſe exſcriptum pro *Auguſtinianum*,) *Eremitam, nunc denuo diligentiſſime correcti & emendati.* Forma libri ea eſt, quam octavam dicimus.

g) *De Idololatria Romana Lib. I Cap. IV pag. 119 ſeq.*

h) In *Præcognitis Logicis pag. 157 ſeq.* ubi eruditiſſimum Opus *Andreæ Hyperii de ratione ſtudii theologici totum a Laurentio ſuppilatum, & ſub ſuo nomine, mutatis tantum atque omiſſis illis, quæ Pontificios tangebant, plagiarie editum*, dicit. Locum integrum dedit *Fabricius l. c.* qui & teſte utitur *Jo. Heidfeldo* in *Sphinge Theologico-Philoſophica Cap. 25*, ſed cujus verba non tam *Villavincentium*, quam univerſam Pontificiorum ſectam, tangunt. Ita enim ille: *Eruditiſſimum opus Cl.* Andreæ Hyperii *de ratione ſtudiorum theologicorum Pontificii ſuppilarunt, ſcelerate mutatis mutandis ſibi attribuerunt. Valde hoc ipſis conſuetum & ſolens eſt; ſic vos non vobis vellera fertis oves.*

i) *Operum Theolog. Tom. II pag. 948*, ubi, *Sunt alii*, inquit, *noſtro tempore, aut patrum memoria, qui plures obſervationes & regulas collegerunt, qui a ſtudioſis diligenter verſandi ſunt; inprimis Andreas Hyperius in utiliſſimo libro de ratione ſtudii theologici, quem, paucis mutatis, edidit pro ſuo Laurentius a Villavincentio, Auguſtinianus.* Idem *ibid. pag. 1065* ſpeciminis loco nonnulla, furtim ſurrepta, profert: *Ex his undecim conflavit notas Andreas Hyperius de rat. ſtud. theol. Lib. IV Cap. IX Obſervat. 3, quas ex eo deſcripſit & probavit ejus interpolator & expilator, Laurentius Villavincentius, Hiſpanus.*

k) In *Oper. Theolog. pag. 204.*

*gerus*, [l]) *Whitackerus*, [m]) *Notkerus*, [n]) *Paulus Colomeſius*, [o]) *Thom. Crenius*, [p]) *Petrus Bælius*, [qa]) & *Actorum Eruditorum Auctores*. [qb]) His deinde acutior *Valerius Andreæ*, vim eandem illatam vidit [r]) de *formandis ſacris concionibus* Operi, ſocios in obſervando *Nicol. Antonium*, [s]) & *Joach. Diecman-*

l) in *Theſaur. Philol. Lib. I Cap. II Qu. 4 pag. 133.*

m) *Script. pag. 465.*

n) *De Integr. Script. pag. 86.*

o) In *Gallia Orientali pag. 10.*

p) In *Animadverſ. philol. & hiſtor. P. I pag. 3,* qui, ut fere ſolet, aliorum tantum verba repetit.

qa) In *Dict. hiſt. & crit. T. II pag. 1470 Artic. Hyperius not.* (C), diligens inprimis hujus furti obſervator.

qb) *ad An. 1695 pag. 420.*

r) Audi docentem hæc in *Biblioth. Belg. pag. 49*: *Quicquid boni habent ejusdem* (Hyperii) *de formandis ſacris concionibus Libri duo, deque recte formando ſtudio theologico Libri IV, id in ſuos ſimilis argumenti libros tranſtulit* Laurentius a Villavicentio, *ex Ord. Auguſtiniano Doctor Theol. Lovanienſis.* Miratur *l. c. Bælius*, non id ante *Valerium* cuiquam obſervatum. Sed id forte non tam obſervavit *Valerius*, quam ex inſcriptione Operis *Villavincentiani*, quam dedimus ſub *not.* (*f*), conjecit tantum. Certe, habere diverſi aliquid *Hyperii* & *Villavincentii* libros, vel inde ſuſpicari liceat, quod ſui Operis *Hyperius* duos, *Laurentius* vero tres, Libros fecerit. Sed certiora te, Lector, ipſa Operis inſpectio docebit.

s) In *Biblioth. Hiſp. T. II pag. 9,* qui illa ipſa verba *Andreæ* repetit, remque fere eandem notat in ejusdem *Laurentii* de Phraſibus ſacræ Scripturæ opere, & in alio, Tabulas (non *Tabulas compendioſas*, ut vult *Bælius* l. c.; differunt enim hæ ab ipſis *Tabulis*, nec de illis tale quidquam refert *Antonius*,) in Evange-

*mannum*, t) nactus. Sed, quod idem auſus in *Hyperii Methodo Theologiæ* u) Hiſpanus ille dicitur *Jo. Voetio*, x) *Georg. Matth. Kœnigio*, y) & *Vinc. Plac-*

lia & Epiſtolas exhibente, quorum alterum jam olim a *Weſthmero* quodam, alterum a *Spangenbergo*, editum, utrumque vero ab *Antonio* emendatum, & erroribus purgatum, (qui enim aliter *Antonius*, non ſcilicet noſtræ ſectæ homo?) perhibet. Id vero in *Antonio* recte notat *l. c. Bælius*, quod Operis *Laurentiani* de Formando ſtudio theologico Libros fecerit non niſi tres, cum certo ſatis conſtet, eſſe quatuor. Sed, cum idem *Bælius* adverſus eundem *Antonium*, non Libris tribus, ſed duobus tantum, conſtare, monet, de formandis ſacris concionibus *Laurentianum* Opus, erroris eum facile convincit *Geſnerus* in *Biblioth. univ. pag. m.* 538 & ipſe libri titulus, ſub *not.*(*f*) prolatus. Scilicet, fieri non poſſe, ſibi perſuaſerat *Bælius*, ut alia *Hyperiani*, alia *Villavincentiani*, Operis menſura eſſet; unde, in errorem hunc incidere, facillimum ei fuit.

t) In *Placcii Theatro Anon. & Pſeudon. edit. nov. pag.* 608. Hic mihi præ ceteris ſatisfecit, in annotandis his, quæ facere ad rem videntur, plane accuratiſſimus.

u) Diſtinctum eſt ab altero *de ratione ſtudii theologici* Opus, quod Libris tribus Baſileæ editum *Geſnerus* ait.

x) In Diſſ. *de docta ignorantia*, quam legis *P. III Select. Diſp. Theol. pag.* 686 *ſeq.* cujus vel ipſa verba adduxiſſe, idem erit, ac erroris eum conviciſſe. *Summus*, inquit, *gradus audaciæ eſt, cum Tractatus typis editos, præfixo nomine ſuo, absque ulla Auctoris mentione, recudendos dat. Exemplum iſtius plagii refertur circa methodum Theologiæ Hyperii recuſam ſub nomine Laurentii Villavincentii, Monachi Auguſtinia-*

*Placcio*, z) in eo illos hujus operis & alterius *de ratione ſtudii theologici* ſimilitudo fefellit. aa)

XIX. Magna fuit audacia NICOLAI RAIMARI URSI, gente Dithmarſi, in aſtrorum ſcientia aliisque artibus αὐτοδιδάκτου, a) Syſtema mundi *Tychonianum*,

ni; *quod refero fide aliorum, inter eos Keckermanni in Præcognit. Logicis: ipſe enim exemplar nomine Villavincentii inſignitum cujuſcunque editionis, quas varias indicat Poſſevinus in Apparatu ſacro, hactenus non vidi.* Provocantem vides ad teſtimonium *Keckermanni*, quem alia omnia teſtari, dixi ſub nota (*b*). Quid vero hinc clarius apparet, quam ex libris duobus, argumento inter ſe ſimilliimis, unum feciſſe *Voetium?*

y) In *Bibliotheca Nov-Antiqua*, *Artic. Hyperius.*

z) In *Theatro Anon. & Pſeudon. P. II pag.* 608. ubi, compertum id ſibi, ait, ex *Gerhardi de Maſtricht* ad ſe miſſis *hujus argumenti collectaneis*, teſtem nominantibus *Simonem Oomium* in Præfatione ſecunda Tractatus Belgici *de Cogitationibus dirigendis*. Sed negat ſimul, hunc ſibi viſum Tractatum, *Placcius*, unde, ſi ipſi ad manum fuiſſet, diſcere forſan certiora potuiſſet, niſi in eodem errore verſatum putes Auctorem *Oomium*, mihi ipſi, &, ut videtur, *P. Bælio*, (vide hunc *l. c.*) ignotum hominem.

aa) Vel unius exemplo *Voetii* id patet, quem ſecuti *Kœnigius*, & *Placcius*, aut, ſi mavis, *Oomius*, videntur. Sed, ne quid dubitanter hic proferrem, quam vellem, ante oculos mihi eſſent ipſi tam *Hyperii*, quam *Villavincentii*, libri, quorum quippe comparatio rem omnem maxime apertam facit. Notavit & horum Scriptorum errorem *Bælius l. c.*

a) Singularia multa de vita & ſcriptis ejus commemorat *P. Bælius* in *Dict. hiſt. & crit. T. IV pag.* 285. *ſeq.*

*nianum*, a ſe olim inter ſchedas Auctoris repertum, turpiter pro ſuo venditantis, exhibentisque Principi Caſſellano, *Wilhelmo*, cum magna famæ ac meritorum *Tychonis* obtrectatione. Literis id prodidit vitæ *Tychonianæ* ſcriptor, *Petrus Gaſſendus*, probatæ teſtis fidei, nec hic temere ſpernendus. *Videretur quoque*, ait, b) *referenda huc eſſe* (*niſi etiam ad ſuperiorem annum*) *excogitatio Hypotheſeos, mundanive Syſtematis, ipſi Tychoni peculiaris; quatenus, cum menſe Septembri verſaretur apud ipſum nobilis vir, Ericus Langius, quidam illius famulus, nomine Nicolaus Raymarus, Dithmarſus, delineatam Hypotheſin quapiam in charta obiter vidit, ac ſibi quaſi a ſe in angulo Poloniæ quodam excogitatam arrogans, illam ut ſuam biennio poſt apud Landgravium venditavit; ubi & impudenter in Tychonem deblaterans, repreſſus a Rothmanno fuit.* Idem deinde: c) *Annotare porro hic juvat, cum Tycho ab initio Syſtema ſuum ſic expreſſiſſet, ut orbis Martis orbem Solis circumambiret undique, neque ipſum interſecaret, contigiſſe, ut non modo Raymarus, Dithmarſus, (qui, ut eſt ante dictum, illius picturam penes Tychonem viderat,) hujuscemodi deinceps Syſtema ut ſuum venditaverit;* &c. Nec ſatis fuit *Urſo*, fraudem hanc clam & occulte commiſiſſe, ſed eam etiam publice omnibus apertam fecit in libro, *Fundamentum Aſtronomicum* inſcripto, d) ubi nihil veretur ille Auctorem ſe venditare

b) In *Vita Tychonis Brahei Lib. II ad An. 1584 pag. m. 59.*

c) *Lib. III ad An. 1587 pag. 77.*

d) Non eſt mihi ad manus ille liber, ſed, eſſe hunc

ditare ſyſtematis *Tychonici*, etſi tunc adhuc viven-te, & ſuis meritis in dies magis inclareſcente autore. Injuriam hanc graviter tulit *Braheus*, indignumque facinus ante oculos omnium poſuit in literis ad *Chriſtophorum Rothmannum*, Principis Haſſiaci Mathematicum eximium, e) quarum partem, ut hinc rem omnem plenius cognoſcat Lector, huc transferendam puto. *Mirabar valde*, inquit, *ab initio, cum legerem in tuis literis, Illuſtriſſimo Principi haſce meas Hypotheſes prius cognitas fuiſſe, utpote qui eas in Automate quodam expreſſas haberet. Neque ſatis cogitare potui, qui id fieri poſſet, ſiquidem optime mihi conſcius eſſem, me a nullo mortalium has cognoviſſe, priusquam ipſemet ex Obſervationibus eo perducebar, quodque interea mecum latuerint antea non publicatæ. Verum, poſtquam libellus iſtius Urſi Dithmarſici, quem aliquando in quibusdam ad me datis literis digno elogio ornaſti, impurum appellans nebulonem, mihi transmiſſus eſſet, (idque a doctiſſimo Viro, D. Georgio Rollenhagio, Magdeburgi degenti, qui etiam dudum antea indicarat, has noſtras Hypotheſes ſibi ante biennium a quodam meo fugitivo miniſtro communicatas eſſe, idemque, ſciens, a me primum inventas, dolensque, Urſum iſtum ſibi immeri-*

*to*

eundem, quo ad publicanda furta ſua uſum eſſe interprete *Raimarum*, ſcribit *Braheus* in literis, paulo poſt afferendis, illud inprimis me dubitare non ſinit, quod literis illis ſubnotatus ſit annus 1589, idem nempe, quo *Fundamentum* illud *Aſtronomicum* Argentorati prodiit.

e) Exſtant hæ inter *Tychonis Epiſtolas Aſtronomicas*, Uraniburgi vice plus una editas, *pag. m.* 137 *ſeq.*

*to eas tribuere, librum illum mihi innoteſcere voluit, ut furtum illud cognoſcerem, & ab aliis foras eliminata mihi denuo aſſererem,) ex iſto ſatis perſpexi, unde hæc ad vos pervenerit Revolutionum cœleſtium ordinatio, ſiquidem iſte Plagiarius referat, ſe ante triennium fere, poſtquam hanc in angulo quodam Regni Poloniæ excogitaſſet, (intellige potius in Inſula Regni Daniæ Huena, quando Anno 84 in Septembri cum Nobiliſſimo & Doctiſſimo Viro D. Erico Lange, amico meo ſingulari, cui tunc inſerviebat, hic adfuiſſet, apud me clam exceptus, ut quædam etiam alia,) Illuſtriſſimo Principi Haſſiæ obtuliſſe, atque ab ipſius Celſitud. Artifice, Juſto Byrgio, in orichalcicum Automatum redactas eſſe. Sed ſatis prodit furtum ſuum iſte impoſtor, unaque ignorantiam rei, quam venditat. Dum enim orbem Martis totaliter Solarem ambientem delineat, imitatur falſam quandam deſignationem, quæ, neſcio, qua incuria, hic ita depicta erat, atque ob id tanquam inepta alicubi inter chartas meas projecta, quam etiamnum ad manus habeo, eodem nomine requiſitam, ut certo id ipſum pateret. Cumque vitium iſtud, in Schemate depingendo commiſſum, emendare nequiverit; ſufficienter intelligentibus notum reddit, ſe eam inventionem non intelligere, multo minus ejus auctorem eſſe, utut hic conquiſitam ſibi impudenter arrogare, & Illuſtriſſimo Principi Wilhelmo, tanquam propriam excogitationem, dedicare non erubuerit. Multa inſuper alia habet in iſto libello, quæ, licet non omnia hinc abſtulerit, tamen partim a vobis, partim ab aliis Mathematicis in Germania, ſive clam, ſive palam, corraſit, adeo, ut, ſi aliena demantur, nihil fere reſtet, quod ſuum erit. Sed faceſſat*

*iſte cum ſuo plagio, tibi & aliis eruditis, apud quos aliquando fuit, quis ſit, & quam perfrictæ frontis arrogansque nugator, ſatis perſpectus.* Hujus ipſius Epiſtolæ ſumma argumenta percenſet *Gaſſendus* in *Vita Tychonis.* f) His forte lectis, vehementer excanduit ferox ille *Urſus*, compoſuitque in *Tychonem* librum integrum, cui titulum fecit *de Aſtronomicis hypotheſibus, ſeu de ſyſtemate mundi*, Pragæ A. 1598 editum, quo, quicquid furor & obtrectatio excogitare conviciorum maledictorumque poteſt, in *Tychonis* velut os evomuit. Deteſtati ſunt illiberale facinus boni omnes & meritorum *Tychonis* conſcii. Quos inter *Joannes Jeſſenius*, exſtincto jam *Tychone*, improbitatem hominis ex publico ſuggeſtu acerbe graviterque reprehendit in eleganti de vita & moribus *Tychonis Brahei* Oratione. g) *At ab iis, inquit, qui eruditionis titulis inſoleſcunt, qui literarum & morum bonorum poſſeſſiones ſibi vendicant, imo ab iis, de quibus optime ſemper, ſuomet ipſorum etiam teſtimonio, meritus fuerat, falſas criminationes, infameſque calumnias, exſpectare, & perferre, res mihi videtur longe impatientiſſima. Hoc pacto, ante annos pauculos, quidam ingenioſus, & doctus, ſed absque religione, & virtute, homo tetricum & famoſum contra præſtantiſſimum hunc virum divulgavit ſcriptum, quale in hoc genere non vidit antiquitas, nec fortaſſis ſpectatura eſt unquam poſteritas. Non ſat fuerat infamatori illi plagium committere literarium, &* Tycho-

f) *Lib. III ad A. 1589 pag. m. 98.*

g) Acceſſit hæc appendicis loco *Gaſſendi Vitæ Tychonis.* Verba, quæ profero, leguntur *pag. 231.*

*Tychonis Hypotheſin, Uraniburgi repertam, falſarie pro proprio invento venditare; niſi etiam Virum aviti generis, ſummæ eruditionis, inculpatiſſimæ vitæ, cum tota ipſius honeſtiſſima familia, ſexcentis contumeliis, & totidem mendaciis, apud alios, ſi non deformatum, ſuſpectum ſaltem, reddidiſſet. Et profecto jure actum cum hoc fuiſſet, velut etiam jam agi cœptum fuerat, niſi mors feram illam ſingulari beneficio affeciſſet, & pœnæ ſubduxiſſet commeritiſſimæ. Sed, quemadmodum Tycho ipſe ſeſe, dum viveret, contra ejusmodi calumnias conſcientiæ innocentia, plurimorum item illuſtrium & doctorum Virorum indicio, conſolatus eſt, ſic etiam cuilibet recte ſentienti eadem hæc non abunde non poſſent ſatisfacere.* Ipſe vero *Tycho*, etſi generoſo contemtu, quam vindicta juris, perſequi immanes illas calumnias ſatius putabat, tamen, ne ille malitiam ſuam impune ferret, id agere, quod ſolet in pari cauſa honeſtiſſimus quisque, inſtituerat. Ita enim ad *Longomontanum*: [h]) *Vidiſti procul dubio plagiarii mei, impuri illius Urſi, maledicentiſſimum ſcriptum, in quo, præter alia innumera convicia, meo, & meorum, honori non parcit. Ego quidem refutatione illum indignum cenſeo, cum omnes modeſtiæ limites, imo honeſtatis, longe transſcenderit; efficiam tamen, ut non impune ferat. Cum tibi de plagio ipſius, tum quoque omnibus circumſtantiis, procul dubio ex aliorum, qui adfuerunt, relatu innotuerit; rogo, in charta deſignare nunc velis,*



h) Has literas inter *Aſtronomicas Tychonis Epiſtolas* fruſtra quæras; ſed exhibet earum partem *Gaſſendus l. c. Lib. V ad An. 1598 pag. 155.*

*lis, quicquid hac de re a tuis apud me commilitonibus inaudiviſti, (ego quidem adhuc nonnulla recordor, ſed poterunt aliqua tanto temporis intervallo, & inter tot alias curas, mihi facile excidiſſe,) tum quoque quid alii in Academiis, ubi interea fuiſti, de hoc maledico ſcripto ſentiant.* Eam in rem cœperat jam neceſſaria ad accuſationem inſtruendam ſubſidia comparare, teſtibusque communire cauſam ſuam; ſed, cum in eo jam eſſet, ut deſtinata perficeret, Pragamque eo nomine ſe contuliſſet, ille, audito ejus adventu, male timens ſuo capiti, clam exceſſit urbe, & juſtam hoſtis ſui iram fuga evaſit. Docent id aliæ *Tychonis* ad eundem *Longomontanum* literæ: [i]) *Ceterum de fera iſta Dithmarſica, nimis efferà, & bruta, ut aliqua ſubjungam, licet indigna ſit, cujus recordetur, ſcias, iſtam ante aliquot ſeptimanas, prout nuper reſcivi, Praga ſe ſubduxiſſe, ſive male ſibi conſcia, & quod juſtas pœnas per leges reformidaret, ſive quid aliud ſinu ſuo latenter more ſuo ruminans. Sed inveſtiganda tamen ſuo tempore per otium, atque in jus pertrahenda, & punienda, quod etiam optimi quique Pragæ ſuadent.* Inprimis vero ampliſſime hæc commemorat *Brabeus* in literis ad M. *Andream Vellejum*, [k]) unde, quæ huc ſpectant, pace Lectorum proferemus:

*Cete-*

i) Nec iſtas habes in libro *Epiſtolarum Aſtronomicarum;* ſed exhibet hæc, quæ legenda hic damus, *Gaſſendus l. c. pag. 166.*

k) Epiſtolam hanc, ſcriptam A. 1699, & varia ſcitu digna continentem, ex avtographo ipſius Autoris primus A. 1730 Jenæ publicavit M. *Godofr. Bernh. Caſſeburg*, cum hac inſcriptione: *Tychonis Brahei Relatio de ſtatu ſuo poſt diſceſſum ex patria in Germaniam & Bohemiam, ad M. Andr.*

Ceterum, quæ de bruto iſto Dithmarſico addidiſti, recte a te prolata ſunt, carmenque ejus putidum, quod miſiſti, lubenter accepi. Et certum eſt, Ericum Langium per incuriam & imprudentiam, quibus etiam in propriis negotiis obnixus eſt, anſam dediſſe, ut tantis calumniis a tam impura beſtia præter meritum aſpergerer, ſiquidem eum, me inconſulto & invito, in meam ſecum adduxit inſulam, ſed coactus eſt propter ea Magdeburgi ſub publico Notario teſtari id, quod verum ſciret contra famoſum illud ſcriptum, licet hoc ipſum etiam ægre faceret, relataque ſunt omnia inſtrumenta, uti vocant, publica membrana, partim Latine, partim Germanice, conſcripta, ut haberem in promtu, quibus eum Pragæ convincerem, quando mihi luberet accuſationem inſtituere, non quidem per me ipſum, ſiquidem illum indignum judico, ſed per alium quendam procuratorem, mea pecunia conductum, quod & antea facere conſtitui; agitur enim de honore & exiſtimatione mea, quam tueri oportet, etiamſi Pragæ non ad te veniſſem. Verum iſte, male ſibi conſcius, paulo poſt meum acceſſum ſe ſubduxit, deſerta etiam ibi uxore, quam nuper duxerat, infami & adultera; dignum patella operculum. Verum, cum opportunitas datur, inveſtiganda erit per opportunitatem, ubi a gravioribus negotiis aliquantulum reſpiravero, iſta beſtia, atque in jus, ubicunque latitaverit, protrahenda, quod etiam mihi non erit difficile, ſive Pragæ, ſive alibi, id exequendum fuerit. Conſului hac de re tacite Archiepiſcopum Pragenſem, Virum illuſtrem & claro genere oriundum, an ſe conſcio



Vellejum, ex MSto edita a M. Godofr. Cæſſeburg. 4. Verba, quæ nos damus, habes pag. 17.

*ſcio hoc famoſum ſcriptum Pragæ excuſum ſit, cum ejus officii ſit in talia animadvertere. At ille ſe excuſabat, ſe inſcio factum proteſtabatur, Auctorem in jus vocari voluit, & ſecundum leges puniri, quod & ſe promoturum addidit.* Ab illo tempore quid adverſus *Raimarum* actum ſit a *Tychone*, nec ex hujus ſcriptis, nec aliunde, mihi licuit cognoſcere. [l])

XX. Quantumvis ſim ad defendendum, quam accuſandum, pronior natura, non tamen video, qui excuſari, nedum defendi, poſſit factum DAVIDIS WENDLERI, Philoſophiæ primum in Academia Vitembergenſi Magiſtri, poſtea Theologiæ Doctoris, & Eccleſiæ Kembergenſis Præpoſiti, a) ſcriptis variis famam non omnino nullam conſecuti, b) qui ſuam *de Piſcina Bethesda, ad Jo. V, 2,* Diſſertationem, Vitembergæ A. 1676 editam, pæne totam ex alia M. *Mich. Arnoldi de Piſcina Bethesdea* Diſſertatione, Vitembergæ A. 1663 Præſide *Jo. Friſchmutho* publice defenſa, exſcripſit. Deprehendit eum primus, quod ſciam, in hoc furto *Theodorus Haſæus*, clariſſimus Bremenſium Theologus, c) quem deinde

l) Alia, quæ huc non ſpectant, de fuga *Urſi*, & ficta ejus morte, attingit *Bælius l. c. pag. 2852 not. B & C.*

a) Natus eſt hic *Wendlerus* Vitembergæ A. 1652 d. 30 Aug. mortuus A. 1693 d. 21 Martii.

b) Præter Diſſertationem, ſtatim nominandam, mihi noti ſunt hi ejus Academici libelli: *de Jure majeſtatis circa ſacra; de Rectore Academiæ; de Interceſſione Spiritus S.; de Clericorum circa calicem prærogativa; de Quatuor abſconditis, ex Prov. XXX, 18, 19.*

c) Is notitiam hanc nobis impertivit in *nota* (*a*), ſubjecta Cel. *Jo. Chriſtoph. Harenbergii Commentationi de Miraculo duplici ad Siloah, Jo. V, 1–9,* cui locum

de ſecutus *Daniel Godofredus Wernerus*, ut in plurium ea res veniret notitiam, effecit. d) Quo utriusque viri indicio adductus, in rem ipſam, ſitne ab illis vere narrata, inquirendum mihi duxi; cumque Diſſertationis, non ejus tantum, quam *Wendlerus*, ſed alterius etiam, quam *Arnoldus* edidit, mihi copiam faceret *Godofredi Mentbenii Theſaurus theologico-philologicus*, e) harum inter ſe conferendarum lubens laborem, quantumvis moleſtum, ſuſcepi. Nec ſucceſſu caruit hoc inſtitutum; quandoquidem id aſſecutus ſum faciliime, ut nunc mihi liceat teſtari publice, non ſolum injuriam non factam *Wendlero* ab his, qui turpioris eum plagii inſimularunt, ſed ejus etiam generis hoc eſſe plagium, ut, majusne ullum poſſit inveniri, dubitare liceat. Videas enim a *Wendlero* integram verborum ſeriem ex *Arnoldino* libello in ſuum tranſlatam, nonnulla leviter, ut furtum ſit occultius, mutata, Auctores pæne eosdem citatos, affirmatas negatasque res easdem, eadem rebus & rationum & judiciorum pondera addita, denique ita omnia ad *Arnoldini* laboris imaginem conformata, ut ab eo latum unguem recedere *Wendlerus* ſibi videatur religioni duxiſſe. Quæ, qualiacunque ſunt, ut fieri omni ſine fraude potuiſſent, ſi fontem nobis, unde ſua hauſit, indicaſſet



dedit *Haſæus* in *Bibliothecæ Bremenſis Claſſis VII Faſciculo I pag.* 83.

d) Furti hujus *Wernerus* mentionem fecit in *Diſſertatione Epiſtolari ad Mich. Henr. Reinhardum, qua rationem Societatis Exquirentium exponit*, Jenæ A. 1725 edita, *pag. 12.*

e) Hujus *Volumine ſecundo pag. 374 Arnoldi, pag.* 378 *Wendleri*, legitur Diſſertatio.

*Wendlerus*, ita, cum per totam Diſſertationem ne nomen quidem nec *Arnoldi*, nec *Friſchmuthi*, attulerit, ſane hoc ipſo famæ ſuæ peſſime proſpexit, &, ut in plagiariorum grege aſſignandus ei locus princeps ſit, effecit. Sed, ut, abeſſe a dictis noſtris malum animum, appareat; &, vera me ſcripſiſſe, prorſus intelligant lectores, age, vel uno tantum furtum hoc *Wendlerianum* ſpecimine probemus. Nimirum in *Arnoldina* Diſſertatione [f]) hæc lego: *Hanc ſanationibus celebrem natatoriam, quam Frontonus conceptelam appellat, Evangeliſta ſitam eſſe ait* ἐπὶ τῇ προβατικῇ, *ubi* τὸ ἐπὶ *idem ſignificat ac* παρὰ, *perinde ac apud Homerum, cum* ἐπὶ Πριάμοιο θύρῃσι, *ad fores Priami, & Thucydidem*, ἐπὶ ποταμῷ, *apud fluvium. Hallucinatus igitur eſt Nonnus, dum reddit:* ἐν ἐνύδρῳ προβατικῇ, *cum Joannes nihil aliud innuat, quam ad portam probaticam, ſive pecuariam, (e qua cingulum urbis deſcripturi Chorographi ex Neh. III peripheriæ initium ſumunt,) hanc piſcinam ſitam fuiſſe, nempe a parte auſtrali, & parum remota ab iſto angulo, qui auſtrum reſpexit & orientem.* Hæc quam feliciter in uſum ſuum converterit *Wendlerus*, vide [g]) : *Ceterum circa particulam* ἐπὶ τῇ προβατικῇ *hocce notandum, quod reſpondeat* על *apud Ebræos, & idem ſignificet ac* παρὰ, *uti apud Homerum* ἐπὶ Πριάμοιο θύρῃσι, *ad fores Priami, & Thucydidem*, ἐπὶ ποταμῷ, *pro* παρὰ ποταμῷ. *Hallucinatus igitur eſt Nonnus, dum reddit:* ἐν ἐνύδρῳ προβατικῇ, *cum Joannes nihil aliud innuat, quam ad portam probaticam ſive pecuariam, (a qua cingulum urbis deſcripturi Chorographi ex Neh. Cap. III peripheriæ initium ſumunt,) hanc piſcinam ſitam fuiſ-*

*ſe,*

f) *Cap. I* §. 25.

g) In hujus *Diſſ. Aphor.* 5.

*ſe, nempe a parte auſtrali & parum remota ab iſto angulo, qui auſtrum reſpexit & orientem.* Plura exempla afferre, idem fere eſt, ac integras Diſſertationes huc transſcribere, id quod expetere Lectorum, eorum inprimis, penes quos fidem aliquam habent dicta noſtra, puto neminem.

# VI.
# GUILIELMI CAVEI DUÆ AD OTTONEM MENCKENIUM EPISTOLÆ.

## LECTORI S. D. F. O. MENCKENIUS.

Non ingratum facturus Lectorum uni & alteri videor, ſi, quod ſupereſt puſillum ſpatium, duabus *Guilielmi Cavei*, eruditiſſimi Anglorum, ad avum olim meum, *Ottonem Menckenium*, exaratis, Epiſtolis implevero. Commendare has viris doctis partim Auctoris ſui nomen, quod omni tempore fuit maximum, partim elegantia ſermonis, & earum copia narrationum, poteſt, quas homines rei curioſi literariæ legere cum voluptate ſolent. Cum hoc *Caveo* interceſſit olim avo meo amicitia ſane haud vulgaris, culta multorum annorum literario commercio, unde ad utrumque ii redundarunt fructus, quos ſolent homines, ad publica magis, quam privata, commoda intenti, maxime expetere. Dignæ autem, quæ edantur, illæ *Cavei* Epiſtolæ pleræque omnes videntur, inprimis ſi lectorum habeatur ratio, & ab his, quæ uſum omnibus communem ſpondent, domeſtica nonnulla, quæque ad unum pertinere ſive *Caveum*, ſive *Menckenium*,

*ckenium*, videntur, cum cura reſecentur. Id ſi negas in prioribus his, ceterarum velut præcurſoribus, factum eſſe diligenter ſatis, quod familiares hic quædam formulæ legantur, prolixiſſimi amoris teſtimonium præbentes; ita te æquum velim, ut pietati erga avum meum id condones, &, qui tuas laudes legere cum voluptate ſoles, patienter ſubinde alienas legas. Sed hac etiam ex parte minus tibi moleſtæ erunt, quas deinde dabimus; ſi quidem dari aut e re tua duxeris, aut commodum bonis literis exiſtimaveris.

## EPISTOLA I.

Arg. *Commercium literarium Menckenio offert. De libris novis certiorem facit, addito ſimul judicio. De Henrico Hickmann notitiam ei impertit.*

OTTONI MENCKENIO GUIL. CAVEUS.

Rogatus nuper a Cl. D. *Cluvero*, ut ad te ſcriberem, nolui nec honori meo, nec humanitatis erga te officio, deeſſe, gratiſſimam captans occaſionem, memet in favorem tuum & familiaritatem inſinuandi. Amicitiam igitur tuam libentiſſime amplector, &, ſi ita tibi viſum fuerit, ut de libris rebusque literariis commercium literarum inter nos nonnunquam habeatur, me habebis paratiſſimum. Quidam his, alii illis, delectantur, ἐμοὶ δὲ (ut cum *Juliano* loquar) βιβλίων κτήσεως ἐκ παιδαρίε δεινὸς ἐντέτηκε πόθος. Paucis abhinc menſibus ciſtulam librariam ad te deſtinavi, nempe meo nomine Chartophylacem Eccleſiaſticum, (vitiis typographicis nimis ſcatentem,) cum pauculis aliis honoris & obſervantiæ teſtimonium; reliquos rogatu meo ſubminiſtravit, qui ſuis ſumtibus libros excudit, Bibliopola meus, homo ſane ingenuus. Horum omnium

noti-

notitia an in *Acta* tua transferri debeat, penes te ſit judicium. Non enim omnes ſive publica luce, ſive tuis ſtudiis, dignos exiſtimo. Nec eſt, quod de gratiis agendis ſis ſollicitus. Fecimus, quod par erat. Quantum tibi debeat eruditorum orbis, nolo impræſentiarum dicere, ne tibi verba in os dare videar. Communem te certe benefactorem merito agnoſcit reſpublica literaria. Chartophylacem meum ſuperiori æſtate in lucem emiſi, majoris operis breve compendium. Modo enim vitam & vires dederit ὁ ἐπὶ πᾶσι, Scriptorum Eccleſiaſticorum hiſtoriam quandam literariam meditor; quam, etſi non omnibus numeris abſolutam, juventutis tamen φιλαρχαίου ſtudiis non inutilem fore ſpero. Verum, quoniam valetudine fruor haud ſatis commoda, nolo in promiſſis faciendis nimis eſſe liberalis, θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται. Nihil fere his diebus apud nos prodiit notitia tua dignum. Neſcio, an videris *Geor. Bulli* Defenſionem Nicænæ fidei adverſus Sandium, Oxoniæ A. 1685 editam, qua Catholicorum cauſam optime agit. Nuperis etiam annis, ſed Anglice, prodiit *Guil. Hoellii* Inſtitutio Hiſtoriæ generalis, qua totius orbis res geſtas, omnium ætatum & imperiorum acta, ordine commodo, & ſumma perſpicuitate, deſcribit ab O.C. ad ann. Chr. 1117, 3. Voll. in fol. Opus ingens, & quantivis pretii. *Henr. Dodwellus* edidit librum de Jure Laicorum ſacerdotali, cui *Grotii* Diſſertationem de Cœnæ adminiſtratione &c. & *Petavii* Reſponſionem præmiſit. Prelum etiam ſubiit, ſed necdum evulgata, ingens Epiſtolarum Cel. *Uſſerii* (maximam quidem partem Anglice ſcriptarum) Collectio, cui doctiſſimi Præſulis vita præfixa eſt. *Origenis* libellum περὶ εὐχῆς Græce & Latine ex Theatro Sheldoniano

doniano nuper dedit Antiſtes Oxonienſis. Sed nolo te hac vice onerare. *Acta* tua *Eruditorum* doctis omnibus hic probantur. *Henricus Hickmann* (de quo quæris) eſt natione Anglus, patria Wigornienſis, in Aula S. Catharinæ apud Cantabrigienſes primo educatus, inde a Viſitatoribus Parlamentariis Oxoniam translatus, & Collegii D. Magdalenæ ſocius factus, & in Eccleſia S. Aldadi in eadem urbe Eccleſiaſtes. Vertentibus Britanniarum fatis, redeunte *Carolo*, cum animum haberet ab Eccleſiæ Anglicanæ politia alieniorem, Collegio excluſus, vitam egit privatam; poſt annos aliquot in Belgium ſeceſſit, ibique Lares fixit, ubi, opinor, hodienum vivit. Sed de his plus ſatis. Plura alias, ſi hæc tibi non ingrata eſſe intellexero. Vale, Vir doctiſſime, meque in amicorum album recipere ne dedigneris. Islingtoniæ prope Londinum 12 Cal. Mart. 168$\frac{5}{6}$.

## EPISTOLA II.

Arg. *De valetudine ſua multum conqueritur. Statum rei literariæ in Anglia deſcribit. Pearſonii afflictiſſima valetudine dolet. De libris nonnullis ſcitu jucunda refert. Quid librorum meditetur, docet.*

### OTTONI MENCKENIO GUIL. CAVEUS.

Recrearunt me admodum literæ tuæ, ſane quam ſuaviſſimæ, ſummæ erga me humanitatis & candoris teſtes ſatis luculenti. Gratulor mihimet Viri tam eruditi, tam facundi, tam benevoli, amicitiam, quam omni officio demereri non deſiſtam; & utinam facultates non deeſſent voluntati pares! Nemo certe tuis, nemo amicorum, commodis lætius, aut lubentius, inſerviret. Verum me telluris inutile pondus reddidit fracta ac pæne proſtrata valetudo. Ab ipſis fere hujus anni Calendis Januariis valetudine ſatis afflicta uſus ſum; ſed, ex quo priores ad te dederim, in longe deteriorem ſortem lapſus ſum. Ceterorum enim, quibus affligor, malorum cumulo hoc etiam adjecit Deus, tantam nempe

oculo-

oculorum imbecillitatem, ut nec legendi ſcribendive tædium ſuſtinere, vel lucem ſolarem, in oculos incurrentem, ferre, queam. Ex ſpirituum defectu, & nimia nervorum opticorum ſiccitate, oriri exiſtimo; quodque ſeneſcentis naturæ indicium eſt, licet in homine quadrageſimum octavum ætatis annum nondum ſupergreſſo, humor chryſtallinus videtur inverſus. Quippe objecta e longinquo facile diſcernere poſſum; juxta poſita, & paulo diutius ſpectata, viſum obruunt, & dolorem quendam oculis incutiunt. Quam vereor, ne ullas in hoc caſu ſuppetias tulerit ars medica; quam parum præſtare poſſunt *ἰατρῶν παῖδες*. Interim ad ſummi Numinis arbitrium memet compono. Fiat voluntas Domini. Juſta ſunt omnia ejus judicia, & ſapienter ordinata; quibus proinde, æquum eſt, ut humillime acquieſcamus. Verum nolo te querelis meis onerare. Neque enim tanti ſunt ſtudia mea, ut ulla mei apud doctos ratio habeatur. Hac vice nihil fere apud nos occurrit notitia tua dignum. In eo, quo jam verſamur, rerum ſtatu ſilent Muſæ. Omnes implent angulos, omnia exercent prela, futiles controverſiæ, ſcriptiunculæ libellorum nomine haud dignæ. Felix veſtra Germania, in qua meliores literæ reviviſcunt, & unde tot bonæ notæ libri in dies oriuntur. Hiſtoria, quam memorâs, *Pearſoniana* eheu! inter deſiderata eſt, & vereor, ne ſemper ſit futura. Dudum meditatus eſt Vir optimus, & ad ſtuporem doctus, novam Epiſtolarum *Ignatii* editionem, & ad eas uberiores Diſſertationes, atque in his accuratam primorum ſedis Romanæ Pontificum ſucceſſionem ad certiores, quam hactenus, calculos redactam, & hujusmodi alia. Si quid abſolverit, ſpecimen potius eſt, quam juſta operis pars, ad umbilicum unquam perducendi. Morbo enim correptus per novem aut decem menſes proxime elapſos, in mortis confinio jacuit, dubium, vivos inter, an mortuos, cenſendus. Caput præcipue morbus obſedit, & adhuc hoſtis ille tenet, immenſum illud ingenii & eruditionis gazophylacium. En miſerrimam humanæ fragilitatis ſortem! & quam merito queſtus eſt olim Medicorum Princeps de arte longa, vita brevi. Epiſtolæ *Uſſerianæ* impreſſæ quidem ſunt, ſed adhuc ſuppreſſæ, non ob aliam, quantum intelligo, cauſam, quam

quod

quod ex iis una, eaque non ipſius *Uſſerii*, res politicas tangat, id eſt, occultas quasdam Pontificiorum iſthoc tempore machinationes libere nimis exponat. At hoc tibi in aurem dictum ſit. Spero, tandem e carceribus evaſuras; utpote quæ in magnum reipublicæ literariæ commodum procul dubio cedent. Ejusdem *Uſſerii* liber de Eccleſiarum Britannicarum primordiis cum amplis additamentis denuo prelo ſubjicitur, nec non Paralipomena de Eccleſiarum ſucceſſione & ſtatu. An vobis notæ ſunt Origines Britannicæ, quas ſuperiore æſtate in lucem emiſit *Eduardus Stillingfleet*, vir ſupra communem ſeculi ſortem eruditus? Nec video in *Actis* veſtris recenſeri Opera Anglica *Joannis Lightfoot*, linguæ Hebrææ apud Cantabrigienſes paucis abhinc annis Profeſſoris, in unum corpus collecta duobus ingentibus Vol. in fol. anno 1684. Denique, meipſum quod attinet, an aliquid in poſterum in literis tentaturus ſim, incertus ſum, deficientibus oculis. Hiſtoriæ Literariæ, cujus in prioribus ad Te mentio, curam abjeci. Forſan Chartophylacis novam, & locupletiorem, editionem ſuo tempore adornaturus ſum. Quam in rem ſi quid tibi occurrat notatu dignum, impertire ne dedigneris. De libris meis a te in *Acta* relatis, eſt, quod gratias habeam; tuum autem de illis judicium, eſt, quod mihi gratuler. Quanti certe judicium tuum fecerim, antequam ad te ſcribendi vel ulla ſubiret animum cogitatio, norunt, qui mecum de rebus literariis confabulari ſolent. Unicum, quod neſcire videris, te monebo: me ab anno 1674 Vitas Apoſtolorum edidiſſe, quæ quarta jam vel quinta vice (prima enim, quæ non memoratur, editio *Jeremiæ Taleti*, Dunenſis apud Hibernos Epiſcopi, libri de vita Chriſti tanquam Tomus ſecundus habebatur) prelum ſubierunt. Noviſſima, quæ anno abhinc uno, vel altero, prodiit, editio plura additamenta hinc inde continet. Appendix ad vitam S. *Petri* integra acceſſit. Hunc librum ad te tranſmittendum *Moſi Pitt*, Londinenſi Bibliopolæ, commiſi. Magnopere ſane gaviſus ſum, ex meis quidpiam ſupereſſe, quod ἀντιδώρου λόγῳ tibi offerre poſſim. Vale, Vir eruditiſſime, diu Eccleſiæ, & reipublicæ literariæ, bono ſalvus, una cum Collegis tuis; quibus meo nomine ſalutem impertias. Dab. Islingtoniæ 6 Id. April. MDCLXXXVI.

✲ ✲ ✲

# MISCELLANEA
# LIPSIENSIA
# NOVA,

AD INCREMENTVM

SCIENTIARVM,

AB HIS,

QVI SVNT IN COLLIGENDIS

ERVDITORVM NOVIS

ACTIS

OCCVPATI,

PER PARTES PVBLICATA.

*VOLVMINIS PRIMI PARS SECVNDA.*

LIPSIAE,

APVD IO. FRID. GLEDITSCHIVM,

M DCC XLII.

# I.

# JOANNIS CHRISTOPHORI HARENBERGII COGITATA DE INOPIA PLUVIÆ IN ÆGYPTO, AC MALIS, INDE EXORIRI SOLITIS,

## AD ILLUSTRANDUM LOCUM DEVT. XI, 9, 10 ſeq.

---

## SYNOPSIS.

§. I. *Infrequentia pluviæ, in Ægypto frequens, oſtenditur ex Scriptoribus ſide dignis.* §. II. *Omnis incolarum ſpes poſita eſt in Nilo exuberante.* §. III. *Siccitas & calor Ægypti efficit morbos & mala corporis.* §. IV. *Inprimis ventus calidiſſimus, ſlans ab Auſtro, & nocentiſſimus.* §. V. *Ex illa ſiccitate indoles ingeniorum profluit ſingularis, & vitioſa.* §. VI. *Morbi corporis, præcipue lepra, apud Ægyptios ex aquis corruptis oriuntur.* §. VII. *Morborum Ægyptiorum catalogus ex* Devt. XXVIII, 27, 28, 60. §. VIII. *De elephantiaſi,* שְׁחִין מִצְרַיִם, §. IX. *De tumoribus ſcrotorum, morbo Ægyptiaco, ex Nili aqua orto.* §. X. *De ſcabie fera,* גרב, *ex aqua & lacte:* §. XI. *Deliria, melancholia, & cæcitas, Ægyptiorum familiares morbi.* §. XII. *De diſcri-*

*mine inter* נֶגַע *&* צָרַעַת. §. XIII. *De inſalubri Ægyptiorum cerevisia.* §. XIV. *De pluvia Palæſtinæ prima & ſecunda*, יורה *&* מלקוש.

# I.

Ut ſupremus Judæorum legislator, Deus ter optimus maximus, Iſraelidas doceret obedientiam, & ipſos frænis beneficentiæ paternæ flecteret, terram eis promiſit præſtantiorem Ægypto, melle ac lacte abundantem, & inprimis aqua, ex pluviis collecta, affluentiſſimam, quam recentem incolæ bibere, ac ſanas corporis vires, ejus beneficio retinere, poſſent. Ægyptus, regionum fertiliſſima & amœniſſima, animis Iſraelidarum infixa erat; Ægyptus Judæis, duce *Moſe* inde egreſſis, ob oculos ſemper verſabatur; Ægyptum Judæi crebra cogitatione repetebant, ejusque fructibus ſeſe victitaſſe, haud citra tacitam oblectationem meminerant. Vid. *Num. XI*, 5. Hiſce deliciis, quas reliquerant ipſi, ſolum vertentes, Deus opponit ſalubritatem cœli, aquæ, & ſoli ipſius, Palæſtinis familiarem. Delicias Ægypti Deus poſtponit pulchritudini ac amœnitati illius regionis, in quam ipſe Judæos jamjam erat introducturus. Id inprimis oſtendit, eis repræſentans malum, quod Ægyptios premat, ex inopia aquæ pluvialis ac recentis exortum. Simul vero indolem & naturam Palæſtinæ, commemorabili aquarum recentium munere divitem ac ſpectatam, eis commendat, ac illis in præmium animi obſecuturi, dictoque audientis, prolixe eam pollicetur. En verba ipſa,

divini-

divinitus enuntiata inciſo decimo: הָאָרֶץ אַתָּה בָא־שָׁמָּה לְרִשְׁתָּהּ לֹא כְאֶרֶץ מִצְרַיִם הִוא אֲשֶׁר יְצָאתֶם מִשָּׁם Quæ ita in Latinum transferenda ſermonem exiſtimo: *Regio illa, quam adiiſti occupaturus, non eſt regio, qualis eſt Ægyptus, ex qua exiiſtis.* Si quæris, quænam illa ſint momenta, quorum reſpectu Palæſtina ſit præferenda regioni Ægypto; tum ex *inciſo undecimo* rationem deducere licet, ubi Palæſtina vocatur regio, montibus vallibusque varie diſtincta, & ſic ſita, ut cœlum pluat aquis, quas incolæ in cibum parandum, ac potum conficiendum, poſſint adhibere. In Palæſtinæ primis beneficiis numeranda erat pluvia affluentior, quæ poſt factam ſementem inclinante autumno incidebat, ac ea, quæ paulo ante feſtum Paſchæ diem irrigabat terram, quarum prior vocatur יוֹרֶה, poſterior autem מַלְקוֹשׁ *v. 14.* De utraque diſſeram deinceps copioſius. Ægyptus e contrario ignorat propemodum pluviam. Si qua menſibus hibernis incidit pluvia, ea eſt infrequentiſſima, & breviſſimæ moræ patiens, nec totam Ægyptum, ſed oram duntaxat maritimam, afficit levamento. Cum anno 1517 in Ægypto plueret, *Selimo* caput regni *Alcaharam*, ſeu *Cairo*, obſidente, Ægyptii ad eam pluviam, veluti ad rem inſolentem & prorſus inuſitatam, perculſi ſtupebant, adeo, ut is, qui ea expoſuit, addat [a]): Ὥρα δὲ κρίματα Θεοῦ. Ὄντων ἐν τοιούτοις καὶ ὕδωρ χρείαν ἔχοντες, ἔβρεξε βροχὴ μεγάλη, καὶ ἐχόρτασαν καὶ ζῶα καὶ ἄν-



a) In *Martini Cruſii Hiſtor. polit. Turco-Græciæ Lib. I pag. 43.*

θρωποι. Ἐθαύμασαν δὲ καὶ οἱ ἐντόπιοι, λέγοντες, ὅτι τοιαύτην βροχὴν οὐκ ἴδομεν, οὔτε ἡμεῖς, οὔτε οἱ πατέρες ἡμῶν. *Adſpice vero judicia Dei. Cum in eis eſſemus locis, ac aqua opus nobis eſſet, pluit copioſe, ac exſaturati inde fuerunt & jumenta & homines. Mirabantur etiam incolæ, perhibentes, talem pluviam haud vidimus nec nos, nec patres noſtri.* Eadem ratione divinus exſtitiſſe effectus exiſtimabatur illud eventum, cum milites *Alexandri Magni*, ad templum Jovis Ammonis proficiſcentes, pluvia & imbre recrearentur [b]). *Theophraſtus*, cujus verba dabimus Latine, eam, Ægypto familiarem, inopiam aquæ diſtinctiſſime ſic expoſuit [c]): *Ad mare, quod rubrum vocatur, in Arabia paulo ſupra Coptum — — — non niſi quarto quintoque anno pluit, & tunc quidem impetuoſe & brevi tempore.* Idem in alio loco [d]): *In Ægypto, — — ubi terra nullis aut raris imbribus madet, roribus omnia coaleſcunt. Paulus Lucas*, qui miſſu juſſuque glorioſiſſimi *Ludovici XIV*, Galliarum Regis, Ægyptum ipſe inviſit ac luſtravit, hiſce teſtimoniis ſuffragatur, differens inter alia [e]): *Roſettæ nonnunquam pluit, quamvis alias pluvia in Ægypto ſit admodum rara, ac ad Cairam vix unquam cadat. Seneca* de ætate ſua in hunc modum

b) *Arrianus de Expeditione Alexandri M. Lib. III pag. 159, Curtius Lib. VI Cap. VII n. 13.*

c) *Hiſt. plant. Lib. IV Cap. 8.*

d) *Loco laudato Lib. VIII Cap. 6.*

e) *Reiſen in die Türckey, Syrien, das gelobte Land wie auch Ober- und Nieder-Ægypten P. I pag. 209 edit. Hamburg. A. 1721, 8.*

modum ſcripſit f): *Unum Ægyptus in Nilo ſpem ſuam habet. Proinde aut ſterilis annus, aut fertilis, eſt, prout ille magnus influxit aut parcior. Nemo aratorum adſpicit cœlum.* Cujus teſtimonio adjungam verba *Thevenoti*, qui, propria edoctus experientia, hæc g) prodidit memoriæ, quæ in Latinum dabo converſa: *Hic fluvius* (Nilus) *omnem Ægypti fertilitatem affert. Si is unico anno inundationem ſuam Ægypto denegaret, fames ingrueret, idque non minus eventurum eſſet, ſi is intra ſexdecim pedes, vel ad viginti ac quatuor pedes, excreſceret. Quodſi contigerit prius, tum inopia & infœcunditas imminet, ſin vero acciderit poſterius, metuitur fames, ſiquidem undæ incumbunt regioni juſto diutius, adeo, ut ſementis tempus ea ratione impediatur. Si ipſe riparum crepidinibus rurſum coercetur, relinquit terram, cœno pinguiori ac nitroſo repletam, quod ita eſt benignum, ut ſatietas, quam effundit ſolum uber, ſementes perimeret, ni incolæ agros conſternerent ſabulo. Inconcinnum eſt dictu, ibi numquam pluere — — nam pluit interdum copioſe tum Alexandriæ, tum Roſettæ, at Cairæ minus affluenter, quippe quæ altiori loco eſt poſita; præcipue autem quotannis pluit per duos dies menſis Decembris continuos.* Conferri poteſt ſcriptor recentiſſimus, genere & ſcientiis clariſſimus, natione Lot[illegible] dictus *de Maillet*, Conſul quondam co[illegible] Gallicorum Alexandriæ, cujus Com[illegible] paucos annos Ven. Abbas *Maſcrier*



f) [illegible]ſt. Lib. IV Cap. 2.

g) [illegible]evant Tom. I Lib. II Cap. 71 pag. 788 ſeq.

[illegible] de l' Egypte Lettr. I pag. 16.

crier in ordinem redegit, publicamque emiſit in lucem, quippe qui non ſolum ea, quæ ex ſcriptoribus fide dignis attulimus in medium, confirmat, ſed etiam illis complura momenta adjungit, ſcitu jucunda, & lectori ſeſe approbatura.

II. Ex aqua conſtat cibus potuſque hominum. Quapropter, eam corpora quoque & ingenia eorum diverſo modo afficere, dubium non eſt. Juvat proinde Nilum & Ægypti paludes inviſere, ut hac ratione loco noſtro ſenſus eo dilucidior concilietur. Nilus, Græcis Νεῖλος, cognomen obtinuit a נחל, *alveo*, *flumine*, ſiquidem ita ob excellentiam videtur dictus. Æthiopes alicubi eum vocarunt *Sirin* [i]). Nonnulli interpretum hanc Æthiopum propriam denominationem convenire putarunt cum fluvio שִׁיחוֹר, *Schihhor*, cujus meminit *Jeremias II*, *18*. At liceat monere, loco vocis *Sirin* apud *Plinium* in Codicibus quibusdam legi *Girin*; liceat addere, Nilum ab Ægyptiis & in Ægypto haud dictum fuiſſe *Sirin*; liceat monere, fluentum *ſchihhor*, ex *obſcuritate* denominatum, eſſe *lacum Sirbonis*, cujus aquas ii, qui in Ægyptum migrabant, tranſeuntes bibebant, hauſtas ex fontibus, in vicinia effoſſis. Idem fecerant Iſraelidæ, ex Ægypto exeuntes, eo eventu, ut paulo poſt aquam amaram deplorarent. Si quis enim *Moſen Deut. XXVIII*, *68*, attente expenderit, is profecto perſpiciet, tramitem, quem Iſraelidæ tunc perſecuti ſunt, juxta id mare exſtitiſſe, quod naves, ex Phœnice & Syria venientes, Ægyptum peti-

i) *Plinius Hiſt. Nat. Lib. V Cap. 9*, *Solinus Cap. 45*.

petituræ, legebant. De fontibus ac inundatione Nili anniverſaria nihil dicam. Id in præſens repeto, quod Ægyptus irrigationem ac fœcunditatem ſuam Nilo debeat, de quo eleganter & ſolide ſcripſit Generoſiſſimus ille Conſul, *de Maillet* dictus [k]). Nilo ſuo quiddam divini ineſſe, crediderunt olim Ægyptii. Eam ob cauſam Numinibus venerandis illum annumerarunt. Hinc ille vocatur *Jupiter Ægyptius*, Ζεὺς Ἀιγύπτιος [l]), numisque inſtar Dei expreſſus deprehenditur [m]). *Pindarus* eum vocat Νεῖλον Κρονίδην, *Nilum, Saturni filium*, ſeu *Jovem* [n]). Addit ejus Scholiaſtes nonnulla, quæ ad cultum, Nilo ab hominibus exhibitum ac divinum, pertinent. Ipſe ſic commentatur: Τέμενος γὰρ Νείλȣ Διὸς τὴν Λιβύην Φησὶν, ἤτοι τὸν Νεῖλον ἀντὶ τȣ̃ Διός Φησιν. Ἐπειδὴ παρὰ τοῖς Ἀιγυπτίοις τιμᾶται ὡς Θεός. Καὶ παρὰ τὸ Ὁμηρικόν. Ἂψ δ' εἰς Ἀιγύπτοιο διϊπετέος ποταμοῖο. ἢ Κρονίδην τὸν Νεῖλόν Φησιν, ὡς Παρμενών· Ἀιγύπτιε Ζεῦ Νεῖλε - - -. *Statuam enim Nili Jovis Libyam appellat, aut Nilum loco Jovis dicit. Siquidem penes Ægyptios Nilus colitur in modum Dei. Et ſecundum illud Homericum:*



k) *Lettre II pag.* 37 *ſeq.*
l) A *Parmenone* Byzantino apud *Athenæum Dipnoſoph. Lib. V pag.* 203.
m) In *Theſauro Numiſmatum antiquorum cum Commentariis Jacobi Oiſeli Tab. XXXIV n.* 9. *Jacobus Bari* in literis, ad *Hadrianum Relandum* datis, inſertis hujus *Palæſtinæ pag.* 938. In *Triſtani Numiſm. Tom. I pag.* 307, ac *Auctario ad Thomaſini Votum Cecropii*, alibique.
n) *Pythior: ſ. m.* 169. 2.

ticum: rurſus vero ad Ægyptium a Jove effluentem fluvium. *Aut Cronidam, hoc eſt, Saturni filium, Nilum vocat, ut Parmenon: Ægyptie Jupiter, Nile* - - . *Solinus Cap.* 45 eadem de Nilo confirmat, diſſerens hunc in modum de Ægyptiis: *Illi etiam hoc majeſtatis dant Nilo, ut portendat futura, argumentantes, quandoquidem Pharſalico bello non fuerit egreſſus quinque ulnas.* Sunt ſua commoda Nilo, in agros fœcundandos redundantia; nec minus e contrario ille incommodis afficit accolas permultis. Aqua, quam nubes effundunt, ſalubrior aquis Niliacis eſt ad potum, & ſalubrior eſt ad rigandos agros. Aqua Nili non irrigat montes, nec colles reddit fructiferos, nec campos, procul a Nilo ſitos, attingit *). Miro labore, & gravibus impenſis, veteres Ægyptii in exſtruendis machinis ac canalibus fuerant defuncti, ut inundantis Nili aquas latius diducerent ac derivarent. Sed injuria temporis, ac crudelius imperium, in eos exercitum, machinas illas ſic exedit ac devaſtavit, ut vix amplius appareant veſtigia. Aqua, e nubibus effuſa, labores hoſce non requirit,

*) *Strabo Lib. XVII pag.* 786: Νεῖλος τοῦτ' οἰκήσιμον αὐτῷ τὸ μέρος ἀπολιπὼν μόνον τὸ καλυπτόμενον ἐν ταῖς πλημμυρίσι, τὸ δ' ὑπερδέξιον καὶ μετεωρότερον τοῦ ῥεύματος πᾶν, ἀοίκητον ἑκατέρωθεν διεξιὼν καὶ ἔρημον διὰ τὴν αὐτὴν ἀνυδρίαν. *Nilus ſolum hanc partem habitabilem reddit, quæ ejus exundationibus tegitur; quicquid editius eſt, & fluento ipſius ſublimius, id ab utraque parte deſertum, & ob aquæ penuriam cultoribus vacuum, tranſit.* Et *pag.* 789: Ἡ χώρα ὑπὲρ τῶν ὀρῶν ἐπὶ συχνὸν ἀοίκητός ἐστι. *Regio montana plurimum eſt inhabitabilis.*

rit, utpote quæ edita montium ac præruptos colles æque irrigat atque valles reductas. Nilus pariter nocet, ſive abundantius exæſtuet, ſive parcius ſtagnet, quandoquidem parca exuberatio non ſatis fœcunditatis affert, propenſior vero aquæ exundantis copia diuturno humore culturam agri hortique moratur. Maximi ejus exitus ad cubitos XVIII conſurgunt, juſtiſſimi ſexdecim cubitis temperantur. Nec in quindecim cubitis abſunt proventus fructuarii. Sed, quicquid eſt intra illos, id famem facere, commemorant. Quem in finem menſuras exundantis Nili, Νειλομέτρια, jam olim Ægyptii exſtruxerunt, ut de anni fœcunditate judicium poſſent antecapere. Nili enim aqua eximio fertilitatis ac fœcunditatis honore excellit. Jam *Trogus* affirmavit, in Ægypto ſeptenos uno utero ſimul gigni. Quod ibi minus mirum, cum fœtifero potu Nilus non modo terrarum, ſed etiam hominum, fœcundet arva o). *Seneca* incomperta fuit cauſa hujus fœcunditatis, ita judicanti p): *Quorundam cauſa non poteſt reddi*, verbi cauſa, *quare aqua Nilotica fœcundiores fœminas faciat, adeo, ut quarundam viſcera, longa ſterilitate præcluſa, ad conceptum relaxaverit*. *Theophraſtus*, eandem fœcundandi virtutem aquis ineſſe Theſpiis, memoriæ prodidit q). Aqua igitur illa Nilotica, benigno ſole & ſale cocta, Iſraeliticas adjuvit in Ægypto fœminas, ut ipſæ, adſpirante Deo, prolem Judaicam mirifice amplificarent. Fœcun-

 ditatem

o) *Solinus Cap.* 3.
p) *Nat. Quæſt. Lib. III Cap.* 25.
q) *Hiſt. Plant. Lib. IX Cap.* 20.

ditatem illam Niloticam celebrant quoque Generoſiſſimus *de Maillet* [r]), & *Thevenotus* [s]), quorum poſterior cauſam fœcunditatis repetit ex ea, quam ſol per longiſſimum Nili decurſum efficit, aquarum excoctione. Prior vero docet, decimam aquæ Niloticæ partem eſſe limum nitroſum, diutiſſime excoctum & præparatum, ſuſpicatus, ex combuſtis cannis in Abeſſinia quamplurimis gigni cineres, ac inde ſales fieri, fœcunditatis cauſam [t]). *Æſchylus* [u]) aquam Nili tum ob ſaporem gratum, tum ob fœcunditatis virtutem, vocavit εὔποτον ῥέος, *fluentem undam ſuavem & opportunam potu.* Hiſce rationibus moti adductique Ægyptii, ſpes ſuas non in nubibus, non in cœlo, non in pluvia, poſuerunt, ſed anxia deſideria ſua in unico Nilo collocarunt, qui, dum exuberat, ſpeciem maris per locum, Delta vocatum, omnino præbet, ac *mare* ideo in ſacris literis vocatur [x]). *Diodorus Siculus*, Nilum olim vocatum fuiſſe *oceanum*, memoravit [y]). Verba ejus hæc habe: *Fluvio antiquiſſimum nomen erat Oceames, quod Græce ſonat Oceanus.* *Thevenotus* [z]) ſuccincte: *Quand il eſt debordé, il ſemble une petite mer.* Illuſtris *de Maillet* eadem comprobat

r) *Deſcription de l' Egypte Lettre I pag. 16.*
s) *Voiage au Levant P. I Lib. II Cap. 70 pag. 783.*
t) *Deſcription de l' Egypte Lettre II pag. 50, 51.*
u) In *Prometheo vincto pag. 49.*
x) *Eſ. XVIII, 2, Geographus Nubienſis P. III Clim. 3, Theodorus Haſæus de* צלצל כנפים *Faſc. II Diſſ. VIII Tom. VI Bibliothecæ Bremenſis.*
y) *Biblioth. Hiſt. Lib. I Cap. 19.*
z) *P. I Lib. II pag. 782.*

bat [a]): *Le Nil, aiant reuni tant de force, eſt plus ſemblable à une mer, qu' à un ſimple fleuve*, id eſt, *Nilus, cum recepit tantum virium, mari, quam flumini ſimplici, eſt ſimilior.*

III. In terris, in quibus pluviæ exiſtunt frequentes, calor æſtivus temperatur, ac obex morbis permultis ponitur. In Ægypto contra ea æſtiyum tempus eſt calidiſſimum, multisque fœcundum morbis. Cauſa eſt in promtu. Deſunt ibi pluviæ, quibus aer & humus refrigerentur. Calorem illum intenſiſſimum ediſſerit *Thevenotus*, locis non unis [b]). Ipſe exponit copioſe æſtum illum, quem ægre in oppido Alcaharæ toleraverat, tradens, homines, eo miſerrime afflictos, ægre quid agere; nec ipſos per æſtatem dormire poſſe, ſiquidem linteum lectorum arenis obruatur ferventiſſimis, ac potus, ad gradum & menſuram calentis intra arterias ſanguinis, calefiat, unde ſtomachus, extrinſecus denudatus, debilitetur, & ad febres ac dyſenteriam inclinetur; unde porro multis oculi hebeſcant, ac ipſa lumina ex æſtu & ſubtiliſſimo ſabulo, paſſim volitante, ſoleant amitti. De tempeſtate turbinis arenoſi periculoſiſſima, quam ſiccitas gignit, egerunt bene multi, ac ea pleni ſunt libri, plenæ ſunt calamitoſorum querelæ, plena ſunt Ægypti æquora, ſabulis conſtrata. Dabimus unum & alterum teſtimonium, quo id, quod tradidimus, extra controverſiam poſſit poni. *Strabo* [c]) de turbine arenoſo, qui in ſacris literis

a) *Deſcription de l' Egypte Lettre II pag. 41.*
b) *Tom. I Lib. II Cap. 71 pag. 780, Cap. 80 pag. 831 ſeq.*
c) *Lib. XVII pag. 807.*

teris סוף & סופה dici ſolet, hæc habet, quæ in Latinum converſa ſuppeditare lubet: *Memphi eſt etiam Serapium in loco valde arenoſo, adeo, ut arenæ cumuli a ventis exaggerentur. In iis erant ſphinges, quorum aliæ uſque ad caput obrutæ videbantur, aliæ ex dimidio apparebant. Quibus ex rebus periculum conſiderari poteſt, ſi ad templum eunti turbo incidiſſet.* *Thevenotus* hoc malum expertus eſt, qui [d]), ex oppido Alcahara urbem *Sues* petiturus, per ſolitudinem arenoſam cum turma iter inierat. Cum enim ipſe cum ſociis itineris anno 1658 d. 19 Jan. in eo eſſet, ut circa meridiem ſeſe in viam daret, ante biduum iter ingreſſus; ſubito coorta eſt vehementiſſima tempeſtas, procellam æſtumque ſabulis arenisque miſcens, quæ propemodum ſubruiſſet ac ſepeliiſſet peregrinantium tentoria. Nulla ibi arbor, nullum culti ſoli occurrebat veſtigium. Aquam, qua ibi utuntur, non largitur coelum, ſed ii, qui itineribus ſeſe accinxerunt, utribus, in dorſa camelorum impoſitis, devehunt. Turmæ non niſi maximæ, quas vocant *caravanas*, camelis utribusque & alimentis probe inſtructæ, ſolitudinem illam, quæ Memphin inter & Heliopolin, ac inde uſque ad ſinum Arabicum inſtar æquoris deſerti interjacet, tentant. In Tabulis geographicis *Ptolemæi*, *Pauli Lucæ*, ac Perilluſtris Domini *de Maillet*, ibi ſeſe aperiunt campi, perpetuo altoque obruti ſabulo, colliculis paſſim nudis ſterilibusque triſtes, nullis domiciliis

d) *Tom. I Lib. II pag. 24 & 511. Strabo* appellat ventum illum loco laudato denominatione vulgata λαίλαψ. Ægyptiis ille vocatus fuit *typho*.

ciliis conſtantioribus conſpicui. Judicent alii, an recte Iſraelidas, ex Ægypto demigrantes, per hosce deducamus campos, in quibus nullæ urbes, nulla Rameſſa, nullum Magdolum, nullum templum Jovis, ſeu *Baalzephon*, exſtiterunt.

IV. Sed & alia quoque peſtis Ægyptum aeremque Ægypti infeſtat, ventus nimirum ab auſtro ortus, mortales ſæpius æſtu ſubtiliſſimo ſuffocans & enecans. Sunt Ægyptiis dies quinquaginta admodum noxii ac peſtiferi, quos, ventis malignis moleſtos, noſtra ætate vocant *Hhamchin*, id eſt, חמשין. Initium eorum a ſeptimo Aprilis inchoandum, decurſus circiter XVI Junii terminatur. Intra hoc tempus auſtri ſpirant æſtuoſiſſimi, copioſiſſimam advehentes arenam, tam ſubtilem, ut ipſa in conclavia, ſcrinia, & arcas, irrepat. Fervent illi venti adeo, ut ſubtilitate ſua flagranti hominibus fere reſpirationem intercludant, ac multos perimant viatorum. Ii etiam, qui domi ſeſe continent, ſibi tum a morbis metuunt calamitoſiſſimis, uſquedum medio admodum Junii roſcidæ guttæ, ut Ægyptii credunt, ex aere delabi ſolent, quibus reſpiratio generi animantium, ob gravitatem aeris accedentem, redditur facilior, multiplexque multorum morbus lenitur ac relevatur [e]). Guttas illas roſcidas fictionibus inſerit Perilluſtris Dominus *de Maillet*, mali vero allevationem ac reſpirationis facilitatem ortum ducere ex auſtri in boream converſione, docet [f]).

In

e) *Thevenot Tom. I Lib. II Cap.* 80 *pag.* 837.
f) *Deſcription de l'Egypte Lettre II pag.* 58 *ſeq.*

In aliis Orientalium ac Americanorum regionibus calidis auſter ille æſtivus & peſtifer, de quo diximus, circa meridiem excitatur, fremitque horis tribus, ante ac poſt meridiem elapſis. Balſoræ in Arabia ad ſinum Perſicum furere ſolet nothus ille ſæviſſimus menſibus Julio, Auguſto, & Septembri g); in Perſide autem Junio ac Julio h). *Thevenotus* i) hunc ventum efficaciſſimum ita deſcribit: *Sammiel eſt ventus fervidus, qui æſtate furit a Moſulo ad Suratum uſque, ſed terra tantum, per amnes, & maria haud æque; ac e veſtigio, qui ventum hunc reſpirando intra ſeſe trahit, concidit exanimis & mortuus, quamvis interdum ſint, quibus tantum temporis ſuppetit, ut, ſeſe introrſum adduri, poſſint ſignificare. Simul ac quis afflatu hujus venti collabitur exſanguis, ipſe nigrore totus, veluti atramento, ſuffunditur; ſi ejus brachium, aut crus, aut aliud membrum contrectes aliquod, caro, oſſibus ſponte ſua reſoluta, inter ejus adhæret manus, qui ipſum ſtuduit allevare.* Malabaribus k), Bactrianis l), & Americanis m), hic ventus eſt damnoſus, morborum fœcundus, ac peſtifer. *Sammiel* ita dicitur ex Arabico *Samm*, quæ vox *ventum* denotat *fervidiorem*. *Muhammedes* vocat materiam illam, ex qua diaboli a Deo fuerint conditi,

g) *Thevenot P. II Lib. III Cap. 10 pag. 562-564.*
h) *P. II Lib. II Cap. 16 pag. 410.*
i) *P. II Lib. I Cap. 12 pag. 182-184, Cap. 13 pag. 191.*
k) *Ziegenbalg* in *ausführlichen Berichte von der Küſte der Malabaren Continuat. III pag. 117, 118.*
l) *Curtius Lib. VI Cap. 4.*
m) *Camerarius Hor. Subſec. Cent. II Obſ. LXX pag. 408 ſeq.*

diti, *nâr eſſamûm*, hoc eſt, *ignem vento ejusmodi fervente agitatum* n). Ebræi ventum illum vocant מטרח, *mactatorem*, ac commemorant, ferventiſſimum hunc auſtrum pridie Pentecoſtes juxta montem Sinai fremuiſſe ita, ut is omnes Judæos, niſi ipſi lubente animo legem admiſiſſent, fuiſſet peremturus o). Talmudici doctores vocant p) ventum hunc שוטח, *vaſtatorem*, eique effectus, perſonis tribui ſolitos, aſſignant. Per *ſpiritum & ignem*, quo Apoſtoli erant luſtrandi ſecundum Chriſti vaticinia, *Nonnenius*, Eccleſiaſtes Bremenſis, ſymbolum ab hoc vento deſumtum intellexit q); quam recte ita fecerit, nunc non diſputo. Eventus Pentecoſtalis ſatis ſuperque, opinor, oſtendit, quinam prædictionis illius fuerit ſenſus, ac quomodo illa ſit interpretanda. Fremitus ſonitusve venti illius peſtilentis plerumque exiſtit validiſſimus, nec alio remedio depelli ſolet ac profligari, quam aqua, quam is ore tenet, qui inter ſtrepitum humi, obvolutus pallio, procumbit. Aqua fervoris eſt pabulum r). *Paulus Lucas* de turma facientium iter Meccanum ita diſſerit s): *Ingruente auſtro, plerumque exoritur ignis ſuffocans, & ſic calidus, ut ſæpius intra diem unicum quadringenti, immo quingenti, pereant mortalium.*

n) *Alcoran. Sur. XV v. 27.*
o) *Jo. Buxtorfii, Synagoga Judaica Cap. XX pag. 442. Minhagim f. 37, 2.*
p) *Buxtorfius* in *Lexico Talmudico* ſub voce *Schoteb.*
q) *Nicolaus Nonnen* in *Muſeo Brem. Vol. I P. III pag. 408 ſeq.*
r) *Thevenot P. II Lib. III Cap. 10 pag. 562. ſeq.*
s) Loco laudato in *III Itinere Orientali P. I pag. 286*

*valium. Quiſque tunc trahit introrſum aerem, igni & pulvere miſtum, ut labore opus ſit intolerabili, ne ſpiritus animusque ipſum deſtituat. Non ſuppetit remedium, præterquam quod quisque pallio ſeſe involvit, in humum ſeſe projicit, ac ſtrophiolum, crebro aceto madefactum, naribus admovet.* Armeni ventum illum, ex meridiana plaga flantem circa meridiei tempus, vocant [t]) *Badiſamur*, quibus Perſæ tradiderunt remedium, ut, capite per pallium convoluto, ad quadrantem circiter horæ immoti procumbant, qua auſter ille deſævire conſuevit. Palæſtina, huic peſtilenti auſtro non erat obnoxia. Deus enim, Judæis eum ſeſe immiſſurum, minatus, ſignificavit, plagam ac luem illam Palæſtinæ haud eſſe epidemiam. Eventus quoque is fuit extraordinarius, quem *Elias* fuit expertus, eum, ſonitu venti horridi invaleſcente, caput pallio obvolveret *1 Reg. XIX, 11, 13. Ventum urentem* commemorat *Jobus XXVII, 20 ſeq.* Vocatur quoque hic auſter *ventus in meridie vaſtator Pſ. XCI, 6*, quod olim me oſtendere [u]) memini. Præterea auſter, tempore Nili exundantis ſpirans, invehit febres, peſtem, & morbos quoscunque [x]). Cauſa proxima deducenda eſt ex corruptione & putredine aquarum, quam auſter ille inducit & efficit. Hanc ex Nilo incommodam temperiem Palæſtina non ſentit, mari quippe

t) *Thevenot P. II Lib. III Cap. 16 pag. 410.*

u) In *Bibliotheca Bremenſi Claſſ. VII Faſc. IV Art. 5 pag. 630 ſeq.*

x) *De Maillet en Deſcription de l' Egypte Lettre II pag. 57.*

quippe præcincta & aquis abundans fluviorum ac aquarum pluvialium, roriſque copia nocturni, ex ſeptentrionalibus montibus advecti. Deus per boream morbos Ægyptiorum rurſus mitigat & avertit, qui, ex contrapondio aeris, ad vacuum per Nili decurſum diſpoſiti, ortus, ſalubritatem aeri affert [y]). Statos hoſce boreales ventos & anniverſarios, menſibus Julio & Auguſto, per quatuor admodum hebdomadas in Ægypto, Italia, & alibi, refrigeria præbentes, vocamus vulgo *eteſias*. *Plinius* de eis hæc præcipit notanda [z]): *Eteſiæ noctu deſinunt flare, & a tertia diei hora oriuntur. In Hiſpania & Aſia ab Oriente flatus eſt eorum. In Ponto ab aquilone - Reliquis partibus, a meridie*. De eteſiis *Aldus Manutius*, *Pauli* filius [a]), aliter ſentit, refutans illud *Plinii* de flatu eorum orientali in Hiſpania & Aſia, ubi eos ab occaſu flare comprobat ex *Ariſtotele* [b]), *Cicerone* [c]), *Cæſare* [d]), ac *Tacito* [e]). Huc inprimis ſpectat *Strabonis* locus [f]): *Incipiente æſtate etiam eteſiæ Alexandrinis a borealibus partibus flant & a pelago.* *Diodorus Siculus* hæc confirmat, ita diſſerens [g]): *Prætereo, quod evidens ſit, non magis ab arcto,*

y) Idem *l. c. pag. 56 ſeq.*
z) *Hiſt. Nat. Lib. I Cap. 49.*
a) *De Quaeſitis per epiſtolam Lib. I §. 6 pag. 257, Tomo IV Gruteri.*
b) *Meteorol. Lib. II.*
c) *Lib. II Epiſt. 15, Lib. VI Epiſt. 7, 8, ad Atticum.*
d) *Lib. III de Bello civ. Cap. 107.*
e) *Lib. XVII init. Annal.*
f) *Geograph. Lib. XVII init. pag. 791, Lib. II pag. 97.*
g) *Lib. I Cap. 39.*

*arcto, quam occaſu, eteſias ſpirare. Nec enim ſoli boreæ aut aparctiæ* (ſeptentrionales venti), *ſed & argeſtæ* (capri), *ab occaſu æſtivo flantes, nominis eteſiarum ſunt participes.* Animadvertiſſe juvat, columnam nubis & ignis beneficio miraculi divini Iſraëlidis, in ſolitudine Arabica hærentibus, loco tentorii optimi ac refrigerii impendiſſe & imminuiſſe, ut ipſi a vento illo auſtrali & ſæviente, nec non a peſte & turbine arenarum, eſſent immunes.

V. Ex illa aquarum in Ægypto inopia, ac æſtu ita aucto, intelligitur cauſa, cur Ægyptii ad ſingulas actiones, deſtinationes, & motus, fuerint fervidi, ideoque leviſſimi ac ignei exſtiterint ingenii, ad libidines & calliditates projecti, breviores ſtaturæ & vultus ſubfuſci. In Palæſtina temperies cœli ſalubrior, fructus pulchriores, ac corpora ad temperantiam accommodatiora, præcipue ubi ſupremus legiſlator ea, quæ intenſiorem æſtum, vel frigus immodicum, corporibus inducere valent, per leges diæteticas procul eſſe juſſerat. De Ægyptiis *Ammianus Marcellinus* h): *Homines Ægyptii plerique ſubfuſculi ſunt & atrati, magisque mæſtiores, gracilenti, & aridi, ad ſingulos motus excandeſcentes, controverſi & repoſcones acerrimi.* Et paucis interjectis: *Nulla tormentorum vis inveniri adhuc potuit, quæ obduratum ullius pectus latrociniis, invitum, illicere potuit, ut proprium nomen dicat. Curtius* Ægyptios vocat i) *vanam gentem, & novandis, quam gerendis, aptiorem rebus.*

*Theve-*

h) *Lib. XXII pag. mi.* 427.
i) *Lib. IV Cap.* 1 §. 3.

*Thévenotus* graviora eis exprobrat vitia [k]), hunc maxime in modum: *Les gens du païs generalement - - ſont tous baſannés, ils ſont três mechans, grans coquins, lâches, pareſſeux, hypocrites, grans pédéraſtes, larrons, traitres, fort avides d'argent, capables de tuer un homme pour un maidin; en fin ils ſont parfaits en tous vices, ils ſont poltrons au dernier degré.* In *Pharaone*, Judæorum flagello, crudelitas, avaritia, mobilitas ingenii, ac durities animi effrænata, eminebant, quem ideo Deus ſignificabat ſeſe *duriter* eſſe *tractaturum*. Obiter annoto, interpretes fere omnes hæc ita accepiſſe, quaſi Deus, obduraturum ſeſe mentem *Pharaonis*, prædixerit. Sed hi fere ſunt, qui & perfectionibus Dei, & indoli vocis, vim inferre videntur. *Hirtius* [l]) Ægyptios appellat *fallacem gentem, ſemperque alia cogitantem, alia ſimulantem*. Sigillatim vocat Alexandrinos [m]) *homines ingenioſiſſimos & acutiſſimos*. Indoles illa ferventiſſimorum ingeniorum ex ſubtiliſſimo celerrimoque ſucci ætherei nerveive motu eſt repetenda, hic vero ex æſtu, qui homines ac alimenta, quibus ii utuntur, excoquit. Exinde oritur idearum varietas, facilitas, & volubilitas, veneris appetentia inſatiata, & promta inventionum facultas. Ex eodem fonte emanat æſtuans ambitionis venenum, cujus vehementia eſt mater obſtinationis ac pervicaciæ. Deeſt ingeniis ejusmodi patientia & mora; quare calliditas



k) *P. I Lib. II Cap. 73 pag. 792.*
l) *de Bello Alexandrino Cap. 24.*
m) *Ibidem Cap. 3.*

ditas & verſatile ingenium ſupplent uſum judicii profundi. Spectant huc ea præcipue, quæ *Joannes Bodinus* de ingeniis vitiisque gentium auſtralium [n]) diſſeruit. Simulandi diſſimulandique artificia, Ægyptiis uſitata, attingit *Hirtius* [o]). Libido Ægyptiorum venerea ſemper fuit tanta, ut ipſi cum beſtiis quoque olim coierint. *Strabo* [p]) notat coitus mulierum Ægyptiarum, cum hircis inſtitutos, *Mendes*, inquiens, *ubi Pan colitur & hircus animal, &, ut Pindarus* [q]) *ait, hoc in loco hirci cum mulieribus coeunt*. Penem *Oſiridis* ab *Iſide* divinis honoribus fuiſſe affectum, eumque, ſatis ſordidum craſſumque, initiationibus & ſacrificiis fuiſſe cultum, quis ignorat [r])? Panes etiam & Satyri eandem ob cauſam in veneratione erant apud Ægyptios. Quocirca etiam imagines ipſorum in fanis plerique dedicaverant, arrectis ita membris, ut hirci naturam imitarentur. Hanc enim pecudem ad coitum ferri procaciſſime, tradebatur. Adde, quod flamines Ægyptii iſti Deo, pudendo ſcilicet, primum initiarentur [s]). Liceat etiam animadvertere, Deum interdixiſſe Ebræis cultu uſuque flagitioſo ejusmodi hircorum, ac eundem Mendeſiorum probra fuiſſe deteſtatum.

n) In *Methodo ad facilem hiſtoriarum cognitionem Cap. V pag 105 ſeq. & 142. edit. Lugd. 1591, 12.*

o) *De Bello Alexandrino Cap. 24.*

p) *Lib. XVII pag. 802.* Conf. *Herodotus Lib. II Cap. 46.*

q) *Aelianus de Animalibus Lib. VII Cap. 19.* Vide *Bocharti Hierozoicon Lib. II Cap. 53 pag. 641 ſeq.*

r) *Diodorus Siculus Lib. I Cap. 22.*

s) Idem *Lib. I Cap. 88.*

rum [t]). Deus ita per *Moſen* ad Iſraelitas: *Neque ſacrificent in poſterum victimas ſuas* לשעירים *hircis, in quorum cultu ſcortationibus ſeſe commacularunt*. Miror, qui fieri potuerit, ut Judæorum ac Chriſtianorum interpretes ſacri hic dæmonas ſilveſtres, Faunos, Satyrosque, intelligere per *hircos*, שְׂעִירִים, potuerint. Nam vox שָׂעִיר *hircum* notat *hirſutum* & *ſilveſtrem Lev. IV*, 24, *XVI*, 5, 7, שְׂעִירָה vero *capram Lev. IV*, 28. Hircorum cultum, Ægyptiis amatum, & *Pindarus* & *Strabo* memorarunt, non omiſſa in eo frequentata & evenienti ſcortatione. Immerito itaque Anonymus quidam [u]) per שעירים intelligendos ſuaſit dæmonas, vel ſacerdotes, in ſilvis oberrantes, piloſisque veſtibus obſitos. Alexandrinorum translationem, quæ alicubi δαιμόνια habet, ſignificans generatim *idola*, non moror. Ea enim, quantum ad dæmonas & genios attinet, imbuta fuit Magorum Platonicorumque conſultis. Iidem in *Pſ. XCI*, 6, per *vaſtationem, quæ circa meridiem contingit*, קטב ישוד צהרים, intellexerunt δαιμόνιον μεσημβρινὸν, *dæmonem meridie infeſtum*; ex opinione videlicet Magorum, qui, media nocte & die dæmonas, exiſtimabant, maxime oberrare, & metuendos eſſe [x]). Idem de Targumiſtis eſt judicandum, qui ubique ſuos crepant dæmonas [y]).

 VI. Sa-

t) *Lev. XVII*, 7.

u) *H. T. F. T.* in *Bibliotheca Bremenſi Claſſ. VIII Faſc.* 2 *Art.* 5 *pag.* 305 *ſeq.*

x) *Lucianus* in *Dialogo LXX*, qui *Menippo* & *Philonidæ* inſcribitur.

y) *Antonius van Dalen de Origine idololatriæ Cap. V* § 3.

VI. Salubres & pluviales aquæ in Palæſtina ſanos exhalarunt vapores. At in Ægypto longe deterior erat vaporum ex infecta putrique aqua conditio. *Strabo* de Ægypti miſerabilibus aquis ac vaporibus hæc habet [z]): *Ceteræ urbes, quæ ad lacus ſitæ ſunt, gravem & æſtuoſum aerem in æſtivis ardoribus ſentiunt. Nam propter exhalationes, a ſole factas, cœnum in lacuum labris concreſcit, unde, lutoſo humore in vapores reſoluto, aer morbidus attrahitur, quod eſt peſtis initium. Thevenotus* idem confirmat [a]), tradens, Niliacas undas, in campis reſiduas, fœtoris eſſe moleſtiſſimi, afflatuque ſuo, cœnis & merdis injectis aggravato, argentum denigrare, tabulasque & picturas proxime accolentium corrumpere, adeo, ut ipſe miratus fuerit, qui fiat, ut quotannis ibi non peſtis aliqua ex illa vaporum corruptione oriatur. Ex hac aeris pernicie, quam aqua [b]) corrupta auget, oriuntur varii morbi, Ægyptiis proprii, vitiligo, lepra, morbus Neapolitanus, elephantiaſis, ac peſtilentia. Corporis enim perſpiratio æqualis, ſanitatem conſervans, in Ægypto facillime impeditur, adjuvante malum cute denſiori, & per æſtum indurata, nec non ſtomacho extrinſecus denudato, ac eam ob cauſam frigido. Exinde atra bilis Ægyptiorum corpora explet & conſtringit. *Joannes Bodinus* [c]) egregie: *Habent auſtrales ex atra bile, quod lepra laborant, qui propterea morbus Punicus a vete-*

z) *Lib. XVII pag. 793.* Conf. *pag. 830.*
a) *To. I Lib. II Cap. 22 pag. 502.*
b) *Leo Africanus* in *Deſcriptione Africa pag. 450.*
c) *Loco laudato Cap. V pag. 138.*

*a veteribus appellatur: non propter ruborem, cum auſtralis lepræ, judicio Moſis & Plinii, nihil habeat ruboris. Sed quoniam illinc originem habet. Illinc etiam morbus Arabum, qui ἀλφὸς a quibusdam, ab aliis λευκὴ & vitiligo, appellatur. Nam ante Pompejum Magnum nullos Italia, teſte Plinio* d), *viderat leproſos, quem morbum Ægypti peculiarem eſſe tradit. Argumento ſit, quod Moſes, omnium antiquiſſimus ſcriptor, leges de leproſis infinitas, Græci ac Latini nullas, tulerunt. Et quidem in eo conſentiunt Leo Afer & Alvareſius. Nam alter ædes infinitas in utraque Mauritania leproſis conſtituit; alter, leproſos Abyſſinorum cum populo verſari, ſcribit, ut vulgaris morbus eſſe videatur.* Illud itaque calumniæ & obtrectationis plenum eſt, quod Ægyptii, Judæos a ſeſe ob vitiliginem pulſos fuiſſe, referebant e). Operæ pretium fuerit, unum & alterum Ægypti morbum curatius exequi, poſteaquam diximus, humores malignos aeris pernicioſi eſſe cauſam, aerem vero illum denuo per reſpirationem, cibum, ac potum, in corpora ac ſanguinem mortalium reſorberi, unde variæ ſtaſes ac ſtagnationes humorum, intra corpora circulantium, ſoleant exoriri. *Paulus Ægineta* f) diſtincte & ſolide hæc ita expoſuit: Ἄριστος ἀὴρ ἐστιν ὁ ἀκριβῶς καθαρός. εἴη δ' ἂν οὗτος ὁ μὴ ἐκ λιμνῶν ἢ ἑλῶν ἀναθυμιάσεως ἐπιθολούμενος. μήτε ἐκ τινὸς βαράθρου δηλητήριον αὔραν ἀναπέμποντος.



d) *Lib. XXVI Cap. 1.*
e) *Tacitus Hiſt. Lib. V Cap. 3. Juſtinus Lib. XXXVI Cap. 2.*
f) *Lib. I Cap. 49 pag. m. 13.*

οὕτω δὲ καὶ ὅστις ἐκ τινὸς ὀχετοῦ, ἐκκαθαίροντος μεγάλην πόλιν, ἐπιθολοῦται, μοχθηρός ἐστιν. Καὶ μὴν καὶ ὅστις ὁ μιχλώδης ἐστὶν, οὐκ ἀγαθός. ὥσπερ τε καὶ ὅστις ἂν ἐν κοίλῳ χωρίῳ πανταχόθεν ὄρεσιν ὑψηλοῖς περιεχόμενος, μηδεμίαν αὔραν δέχεται. Οἱ μὲν οὖν οὕτω μοχθηροὶ πᾶσαν ἡλικίαν ὁμοίως βλάπτουσι, καὶ πᾶσαν κρᾶσιν. ὥσπερ οἱ ἄριστοι ὠφελοῦσιν. *Optimus aer ille eſt, qui exquiſite eſt purus. Sit vero talis, non qui ex ſtagnis & paludibus ope vaporum turbidus eſt redditus & craſſus; nec ex quodam barathro, quod auram exhalat nocentem. Ita etiam, quicunque ex quodam aquæductu, qui magnam urbem expurgat eluendo, fit craſſior ac turbatior, perniciosſus eſt. Sane etiam aer graviter olens eſt minus bonus. Sicuti quoque ille, qui in cavo loco undique montibus altis coercetur immobilis, nullam novam accipiens auram. Ejusmodi igitur aeris ſpecies omnem ætatem æque affligunt, ac omne ſanguinis temperamentum. Contra vero venti, quo ſunt puriores ac meliores, eo impenſius ſanitati conducunt.*

VII. Ex aqua impura exitioſus aer, ex utrisque varia morborum genera in Ægypto exiſtebant. Palæſtina e contrario ſalubri aqua, ventis puris, aere puro, erat prædita. Id ipſum pateſcit ex comminationibus, in Iſraelitas a Deo congeſtis, quæ leguntur in *Devt. XXVIII, 27, 28, 60*, ſecundum Vulgati verba: *Percutiat te Dominus ulcere Ægypti, & partem corporis, per quam ſtercora digeruntur, ſcabie quoque & prurigine, ita, ut curari nequeas. Percutiat te dominus amentia & cæcitate ac furore mentis, & palpes in meridie, ſicut*

*ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas - - & convertet in te omnes afflictiones Ægypti, quas timuiſti, & adhærebunt tibi.* Addatur *inciſum triceſimum quintum*, in quo hæc leguntur: *Percutiat te dominus ulcere peſſimo in genibus & in ſuris, ſanarique non poſſis a planta pedis uſque ad verticem tuum.* Alexandrinos Interpretes juvat conſulere, qui in Ægypto Pentateuchum *Moſaicum* in Græcum converterunt, ac in definiendis Ægyptiorum morbis peculiaribus fide ſingulari videntur digni. Ipſi reddunt

* שחין מצרים ἕλκος Αἰγύπτιον, *ulcus Ægyptium:*

vocem לעפלים εἰς τὴν ἕδραν, *in ſede*, ſeu *anor*

porro גרב ψώραν ἀγρίαν, *ſcabiem feram:*

deinceps חרס per κνήφην, *pruriginem*, a κνά-ειν, κνέειν, *pruritum excitando*:

ac tandem שחין רע per ἕλκος κακὸν, *ulcus moleſtum & inſanabile*.

VIII. Ut procedamus ordine, inveſtigandus eſt morbus, qui Ægyptiis eſt privus & peculiaris, nec alibi olim mortales infeſtavit. Demonſtrabimus duo momenta: unum, quod *ulcus leproſum* Ægyptios invaſerit, ac *elephantiaſis* ſit appellata, Ægypti peculiare malum; alterum, quod morbus hic Ægyptiis exſtiterit proprius. Audiamus itaque teſtes. Citabimus ad teſtimonium ex veteri ævo *Lucretium*, cujus hæc ſunt verba [g]):

*Eſt elephas morbus, qui propter flumina Nili*
*Gignitur Ægypto in media, neque præterea uſquam.*



g) *Lib. VI pag. 608 edit. Lutet. 1570. 4.*

Producemus *Plinium* in ſcenam, cujus teſtimonio [h]) nihil eſt clarius, nihil pulchrius, *Diximus*, inquientis, *elephantiaſin ante Pompeji Magni ætatem non accidiſſe in Italia, & ipſam, a facie ſæpius incipientem, in nare primum veluti lenticula: mox invaleſcente per totum corpus, maculoſa, variis coloribus & inæquali cute, alibi craſſa, alibi tenui, dura, ceu ſcabie aſpera: ad poſtremum vero nigreſcente, & ad oſſa carnes imprimente, intumeſcentibus digitis in pedibus manibusque. Ægypti peculiare hoc malum, &, cum in Reges incidiſſet, populis funebre.* Eadem fere leguntur apud *Marcellum Medicum Cap. 19, & Cornelium Celſum Lib. III Cap. 25. Heſychius* nimis conciſe: Ἐλεφαντίασις εἶδος λέπρας, *elephantiaſis lepræ ſpecies. Sammonicus Cap. X* eam recenſet, ac pro remedio præcipit *ceruſſam & chartam, quam gens Ægyptia mittat.* Hæc de elephantiaſi allata deſcriptio quadrat omnino ad illud *Ægypti ulcus*, שְׁחִין מִצְרַיִם, cujus *Moſes* meminit. Elephantiaſios enim eſt proprium, ut *carnes* ſurarum *ad oſſa imprimantur, genua* intumeſcant, digitique in pedibus manibusque turgeant, & *morbus invaleſcat per totum corpus. Jobus* luculento nobis eſt exemplo, quantum doloris hic morbus afferat [i]). Ipſe enim pruriginem teſta ſenſim attrita mulcebat, quam digitis unguibusque tangere ſeu irritare non audebat. Ipſe, cutem ſuam nigrore obductam eſſe, conquerebatur [k]). Ipſe docebat, cutem ſuam eſſe duram

&

h) *Hiſt. Nat. Lib. XXVI Cap. 1.*
i) *Job. II, 7, 8.*
k) *Job. XXX, 30.*

& aſperam [l]), cujus ſquamas prurientes teſtæ applicatione fricabat. Si in medium afferimus ea, quæ *Cornelius Celſus* memoriæ prodidit, morbus & *Jobi* & Ægypti dilucebit melius. En teſtimonium *Celſi* [m]): *Totam corpus afficitur, ita, ut oſſa quoque vitiari dicantur; ſumma pars corporis crebras maculas crebrosque tumores habet: rubor harum paulatim in atrum colorem convertitur. Summa cutis inæqualiter craſſa, tenuis, dura, mollisque, quaſi ſquamis quibusdam exaſperatur, corpus emacreſcit, os, ſura, pedes, intumeſcunt. Ubi vetus morbus eſt, digiti in manibus pedibusque ſub humore conduntur, febricula oritur, quæ facile tot malis obrutum hominem conſumſit.* Commendat deinde loco remediorum evocationem ſiccarum ſudationum ac frictionem, quam *Jobus* quoque adhibuit. *Serenus Sammonicus Cap. X* elephantiaſin fere pro inſanabili morbo reputat, ita canens:

*Eſt elephas morbus, triſti quoque nomine dirus,*
*Non ſolum turpans infandis ora papillis,*
*Sed cito præcipitans funeſto fata veneno.*

*Thevenotus* ſpeciem hujus morbi vidit Alcharæ, quam ita ediſſerit [n]): *Morbi poplitum ſunt Cairæ nocentiſſimi, ibique videre licet poplites ad prodigium tumidos. Paulus Ægineta* morbum elephantis fuſe perſequitur. Dabo ejus verba [o]) in Latinum a me converſa: *Recte puto Cappadocem Aetium*

l) *Job. XVI, 16.*
m) *Lib. III Cap. 25.*
n) *P. I Lib. II Cap. 80 pag. 834.*
o) *Lib. IV Cap. 1.*

*tium dixiſſe: majorem morbis oportere eſſe remediorum virtutem, & ideo non curari poſſe elephantiaſin. Non enim inveniri remedium hac valentius. Si enim cancer, qualis eſt elephas, quidam hærens in una particula, inſanabilis eſt, ſi inſtar cancri in toto corpore hæret? ſiquidem atra bilis, in qua hoc malum conſiſtit, geminam habet originem. Hac enim ex melancholico & feculentiori, quaſi paludoſo, ſanguine, aut ex flava bile, ambabus ſupra modum uſtis, exiſtit. Quantum ad prim attinet, ſubrubros elephantes mitiores aliquando, ſeu, ut verius dicam, magis malignos, prima illa differentia atræ bilis efficit. Quantum ad poſterius, hi etiam maligniores ſunt, exulcerantes omne corpus, & partium ſummarum tumores producunt. Hac poſterior differentia ex flava bile, admodum aduſta, oritur.* Idem *Ægineta* de quinque elephantis ſpeciebus [p]) alibi ex profeſſo agit, quod ipſum quoque facit *Cornelius Celſus* [q]), ſigna addens de eo, an curari elephantiaſis poſſit, nec ne. Ipſe ſic commentatur: *Incidi cutis debet, aut acu pungi. Si ſanguis exit, quod fere fit* in alba & rubra vitiligine, *remedio locus eſt. Si humor albidus, ſanari non poteſt. Nam λευκή*, quæ ab ἀλφῷ, ſeu alba, differt, *vix unquam ſaneſcit, ac, ſi quid ei vitio demtum eſt, tamen non ex toto ſanus color redditur.* Recte idcirco ulcus Ægyptium dicitur elephantiaſis; nam ea Ægypti peculiare fuit malum, a Nili [r]) craſſis & paludoſis humoribus, undisque lacuſtribus, exortum,

p) *Lib. VI Cap. 2.*
q) *Lib. V Cap. antepen. pen. & ult.*
r) *Galenus Lib. II Cap. 11.*

exortum, quod præterea nuſquam alibi facile oriri & incidere conſuevit. Iſraelitæ, in Ægypto commorati, feces hujus morbi partim & ipſi contraxerant. Sed *Moſes* tanta circumſpectione malo huic eradicando inter ſuos conſuluerat, ut pauci remanerent inter Judæos, qui cum hoc morbo conflictarentur. Lepram enim & elephantiaſin permiſcere ac confundere non licet. Adde, quod Deus diſtincte promiſerat, ſeſe Iſraelitas a morbo Ægypti immunes praeſtiturum eſſe, ea tamen lege, ut ipſi legibus Numinis ſupremi obtemperarent. Vid. *Exod. XV*, *26.* Nomen Ægyptiacum יַלֶּפֶת reſtat *Lev. XXI*, *20. Jallepheth* omnino eſt ipſe morbus *elephas*, Ægypto adhuc familiaris.

IX. Pergimus ad tumores, qui in partibus pudendis excreſcunt Ægyptiis, ac לְעֳפָלִים accidere ſolent, hoc eſt, *ſcrotis.* Firmabimus primo ſignificatum, ac deinde calamitatem morbi ipſius, ſcrotis ex inſalubri aqua penes Ægyptios moleſti, recenſebimus. Vocem עֳפָלִים denotare ſcrota, teſticulos continentia, patet ex vocibus affinibus ac cognatis. Verbum עֻפְּלָה animi ejus eſt index, qui turget, tumet, effert ſeſe, & ſuperbiam exſerit, *Hab. II*, *4.* Ii, qui efferunt animum ac turgent, dicuntur וַיַּעְפִּלוּ *Num. XIV*, *44.* Vox עֹפֶל collem clivumve deſignat *2 Reg. V*, *24*, eo, quod colles ſunt quaſi terræ tumores, ac eo, quod clivi ſunt partes in altum quaquaverſum turgentes. Præterea interpretes in eo conveniunt, quod circa clunes morbus ille, de quo diſſerimus, exiſtere ſoleat. Philiſtæi, qui hoc morbo laborabant *1 Sam. VI*, *4*, *5*, percuſſi ac afflicti dicuntur

אָחוֹר,

אָחוֹר, *retro*, circa ὑστέρων *Pſ. LXXVIII*, 66. In *1 Sam. V*, 9, leguntur hæcce: יִשָּׂתְרוּ לָהֶם עֳפָלִים, quæ ita in Latinum converto: *intumuerunt ipſis ſcrota.* Alii vocem שתר putant eſſe per literarum permutationem ex סתר ortam, ideoque translationem ſuam ſic inſtituunt: *In occulto abditoque loco prorumpere coacti ſunt tumores.* Alii aliter. Addo, quod *Moſes* hunc morbum annumeret malis eis, quæ Ægyptios ſoleant urgere. Quo ipſo recordor calamitatis, in Ægypto notiſſimæ, quam *Thevenotus* ita expoſuit [s]), cujus verba dabo Latine: *Reſtat alia lues vehementer ſæviens, inflatio videlicet ſcrotorum, quæ citra mendacium expanduntur in craſſitudinem, quæ caput hominis adæquat, immo ſuperat. Oritur ipſa ex Nili aqua. Paululum ex ea per octiduum afflictus ſum, ſed, eo elapſo, impune malum abiit. Ut Ægyptii medeantur huic malo, ſcrota inflata ſcalpello aperiunt acutiori, curantes aquam emittendam, quæ intus latet.* Eadem fere habet *Leo Afer* [t]), quem ii, quibus plura ſcire vel conferre lubet, adeant, neceſſum eſt. An ex morbis ani, quos *Cornelius Celſus* [u]) recenſet, nonnullos hic addere debeam, incertus hæreo. Plerique per *apholim* intelligunt hæmorrhoidas, morbumque menſtruum, quibus ſanguis ſuperfluus διὰ ὑστερῶν exoneratur. Hæc opinio Phariſæis antiquis, Maſoretis, ac plerisque interpretibus, perplacuit, quos ingenio ſuo abundare facile patior. Illos vero, qui

s) *P. I Lib. II Cap.* 80 *pag.* 833.
t) In *Deſcriptione Africæ pag.* 459.
u) *Lib. VI Cap.* 18.

qui ſic ſentiunt, largiri ac concedere oportet, hæmorrhoidas eſſe morbum non peculiarem Ægypti, non extraordinarium, nec inſalubrem, adeo, ut nondum ſuppetat ratio, qui hæmorrhoides malis Ægypti potuerint annumerari. *Celſus* de hæmorrhoidibus x): *In quibusdam parum tuto* ſanguis ille *ſupprimitur, qui ſanguinis profluvio imbecilliores non fiunt. Habent enim purgationem hanc, non morbum, ideoque curati quidam cum ſanguinis exitum non haberent, inclinata in præcordia ac viſcera materia, ſubitis & graviſſimis morbis correpti ſunt.*

X. Sequitur גרב, ψώρα ἀγρία, *ſcabies fera*, Alexandrinis interpretibus indubie ſatis cognita. Pentateuchus certe translatus eſt in Græcum accuratius a Judæis peritis, ut jura ipſorum innoteſcerent, ſecundum quæ ipſi erant judicandi. Reliqua verſio eſt recentior, & minoris momenti. Id ſunt faſſi *Humphredus Hody*, *Lambertus Bos*, *Antonius van Dalen*, aliique, qui hanc ſpartam ornarunt. Vox Græca, morbum denotans, ex ſermone Ægyptiorum indubie eſt depromta. Reſpondet ei Ebraica צרע, quæ in Græcam ψώρα abiit, lepramque malignam deſignat. *Paulus Ægineta* ſuccincte ea tradidit, quæ ſcire noſtra intereſt y), hunc in modum: Τέτων τῶν παθῶν ἑκάτερον τραχυσμὸς τῆς ἐπιφανείας ἐςὶν μετὰ κνησμȣ̃ καὶ ἀποτήξεως σώματος, ἐκ μελαγχολικȣ̃ χύμȣ τὴν γένεσιν ἔχων. Ἀλλ' ἡ μὲν λέ-

pra

x) Loco laudato.

y) *Lib. IV Cap. a pag. m. 132.*

τρως διὰ βάθους ἐπινέμεται τὸ δέρμα κυκλοτέρως, μετὰ τοῦ φολιδοειδεῖς ἀφεῖναι λεπίδας. ἡ δὲ ψώρα, ἐπιπολαιοτέρα τε ἐςὶ καὶ ποικίλως ἐσχηματισμένη καὶ πιτυρώδη ἀφίησι σώματα, ἐφ᾽ ὧν δεῖ φλεβοτομίαν παραλαμβάνειν, πληθωρικωτέρου σοι φαινομένου τοῦ σώματος. Ἐι δὲ μὴ, πάντως γοῦν κάθαρσιν, διὰ τῶν μέλαιναν ἐκκενούντων χολήν. - - καὶ τὰ διὰ λαπάθους σμήγματα καὶ τὰ πλείονα τῶν πρὸς ἐλεφαντιῶντας σμηγμάτων, κοινῶς ἐπί τε λέπρας καὶ ψώρας ἁρμόζει. Quæ verba ſic in Latinum converto: *Horum malorum, lepræ & ſcabiei feræ, utrumque eſt quædam exaſperatio ſummæ cutis cum pruritu & deſtillatione humorum corporis, ex chymo atrabilario originem ſumens. Quantum quidem ad lepram attinet, ea ob profunditatem abſumit cutem rotundius, ſimulque ſquamatos relinquit cortices. Scabies autem fera diverſa magis varieque figurata eſt, & furfuracea reddit corpora, quibus venæſectio adbibenda eſt, ubi corpus tibi ſpiſſo ſanguine viſum fuerit abundare. Si is vero deſit, adbibenda eſt omnino expurgatio ope eorum medicaminum, quæ atram bilem evacuant - - item ſmegmata lapathorum, & alia ex ſmegmatis contra elephantiaſin adhiberi ſolita, quæ æque conveniunt lepræ ac ſcabiei feræ.* Impetiginum varietatem egregie exequitur *Cornelius Celſus* [z]). Varias ſcabiei feræ ſpecies recenſet *Julius Pollux* [a]). *Plutarchus* de *Iſide* ac *Oſiride*: Τῶν τὸ γάλα πινόντων

ἐξανθεῖ

z) *Lib. V Cap. antepenult. pag. 210 ſeq. edit. Salingiaci 1538, 8.*

a) In *Onomaſtico Lib. IV Cap. 25 pag. 220.*

ἐξανθεῖ τὰ σώματα λέπρῃσι καὶ ψώρῃσι τρηχυτῆτας, *eorum, qui lac in* Ægypto *bibunt; corpora infeſtantur efflorеſcente lepra, ac ſcabiei feræ aſperitatibus.* *Theophraſtus* addit aliam quoque cauſam b), diſſerens de quibusdam limoſis aquis, ac addens; *Homines, qui eis abluuntur, leproſi fiunt.* Quanto magis illi, qui in Ægypto undam emorientem Niliacam biberunt, lepra & ſcabie fuerunt infecti? Humores enim paludoſi, ſpiſſi, ac limoſi, malignas corpori bibentium inſinuant particulas, ex quibus ſtagnatio & ſpiſſitudo ſanguinis ac lymphæ oriuntur, humorumque ad extima corporum expulſio. Id & ipſe agnoſcit *Hippocrates* c), docens, humores ſalſos & paludoſos, æſtu ſolis cumprimis accedente majori, *lepris* & *alphis* tumorem accendere, maxime vero ὄνυξι λεπροῖσι, *digitis leproſis.* Digna haud minus lectu ſunt ea, quæ idem *de aere, ventis, & locis*, ſcribit, ſiquidem, expenſa eorum indole, ad exponendam diverſitatem ingeniorum, morum, & morborum, ipſe progreditur.

XI. Quis vero neſcit, deliria ex melancholia vehementiſſima originem trahere? Melancholiam in Ægypto adjuvat ac profert potus inſalubris. Quare, quin potius idem deliriorum dici poſſit progenitor, dubitandum non eſt. Multis itaque furioſis Ægyptus abundavit. Sed nec cæcorum ibi eſt penuria. Nam, teſte *Thevenoto* d), cæcitas

b) *de Cauſis plantarum Lib. II Cap. 8.*
c) *de Uſu humorum pag. 113.*
d) *P. I Lib. II Cap. 80 pag. 832.*

citas, vel cæcitatis metus, Ægyptiis, ingraveſcente æſtate ac æſtu, incumbit, eosque detinet. Fallitur *Plinius*, qui de Ægypto prodidit memoriæ, e): *non ſentit auſtros.* Perilluſtris enim *de Maillet* f) docet, auſtros, in Ægypto intumeſcentes, aquis Nili corrumpendis, unde febres ac peſtes oriantur, favere. Addit idem de tempeſtate auſtris fœcunda: *C'eſt le tems de maladies, c'eſt alors, que regnent les fiévres, & que la peſte fait en Egypte tous ſes ravages. Mais les vents du Nord n'ont pas plûtôt commencé à ſouffler, que toutes ces maladies diſparoiſſent.* Æſtus ille immodicus, ex auſtro ac corruptis aquis enatus, accendit aerem & inficit, exuritque arenam ſubtiliſſimam, ventorum ludibrium verſatile, quæ, oculis injecta, cæcitatem ſæpius affert ac continuat. Atque hanc ob cauſam multi Ægyptiorum ſunt cæci, ac, æſtu ſæviente, nonus fere quisque doloribus oculorum tentatur exquiſitiſſimis, conjunctis cum ejulatu & vociferationibus nocturnis ac diurnis. O igitur terque quaterque beatos, qui ſalubri aqua ac clementiori aeris temperie gaudent! Commemorabile, meritoque prædicandum, eſt illud Dei beneficium, quo is Palæſtinæ vivos fontes aquasque ſaluberrimas, tum ex pluvia, tum ex rore, collectas, indulſit. Quo beneficio Judæi ſi caruiſſent, illius magnitudinem potius intellexiſſent carendo, quam illud expenderunt fruendo. Feliciores autem ſunt illi, qui ex alveo illo g) myſtico, a ſolii divini fulgentiſ-

e) *Hiſt. Nat. Lib. II Cap. 46.*
f) *Deſcription de l' Egypte Lettre II pag. 57.*
g) *Apoc. XXII, 1, Ezech. XLVII, 1, Zach. XIV, 8.*

gentiſſimis penetralibus profluente, bibunt! Animum proinde eo applicemus neceſſe eſt, ut uſum gratiæ divinæ, ac paternas ipſius recreationes & conſolationes, continuo ſentiamus, quæ cum aquis conferuntur *Pſ. XXXVI, 9, 10, Jo. IV, 14, VI, 27, VII, 38, 39.* Noſtrum enim eſt, aquas cum gaudio haurire ex fontibus ſalutis, *Eſ. XII, 3.* Quod ſi fecerimus, animum ad puritatem conformabimus; cæcitasque mentis ac lues peccatorum, lepris ulcerique maligno ſimillimæ, a nobis procul erunt profligatæ ac ſepoſitæ. Is eſto noſter labor, ea eſto noſtra occupatio, id eſto exercitium noſtrum. Hæc enim eſt illa ars divina, quæ efficit, ut ſit mens ſana in corpore ſano.

XII. Antequam vero ad alia progrediamur, diſcrimen, quo diſtant voces נֶגַע & צָרַעַת, eſt expendendum. Vox enim poſterior luem latius patentem ac nocentiorem deſignat, quam prior. Notat illa variarum, in lepra confluentium, rerum conjunctionem & complexum; hæc haud æque. Lues leproſa vocabatur צרעת, 1) ſi cutis rubra albeſceret, ut color ex albo rubroque mixtus effloreſceret; 2) ſi cui crines capitis vel barbæ decidiſſent ex parte, ex parte autem remanſiſſent, ac ſic caput vel barba appareret partim glabra, partim capillata; 3) ſi color diverſus aut variatus exiſteret in veſtibus leproſis, vel leproſis ædibus [h]). Quare nemini obſcurum eſt, impetiginem ſcabiei feræ intelligi per נגע צרעת, *Levit. XIII, 47, XIV, 3, 32,* in qua variæ res incommodæ ac no-



h) *Maimonides* in libro *de Lepra Cap. XVI* §. 10.

xiæ concurrunt. *Celſus* ſpecies illas ita enumerat [i]): *Impetiginis ſunt ſpecies quatuor. Minime mala eſt, quæ ſimilitudine ſcabiem repræſentat. Nam & rubet, & durior eſt, & exulcerata eſt, & roditur. Diſtat autem ab ea, quæ magis exulcerata eſt, & varis ſimiles puſtulas habet, videnturque eſſe in ea quaſi bullulæ quædam, ex quibus, interpoſito tempore, ſquamulæ reſolvuntur, certioribusque temporibus revertitur. Alterum genus pejus eſt, ſimile papulæ fere, ſed aſperius rubicundiusque, figuras varias habens. Squamulæ ex ſumma cute deſcendunt, roſio major eſt, celerius & latius procedit, certioribusque nonnunquam temporibus & fit & deſinit, rubrica cognominatur. Tertia etiamnum deterior eſt; nam & craſſior, & rarior, eſt, & magis tumet, in ſumma cute finditur, & vehementius rodit. Ipſa quoque ſquamoſa, ſed nigra procedit, & late & tarde eminus ſerpit. Iis temporibus aut oritur, aut deſinit, neque ex toto tollitur. Nigræ cognomen eſt. Quartum genus eſt, quod curationem omnino non recipit, diſtans colore. Nam ſubalbidum eſt, & recenti cicatrici ſimile, ſquamulasque habet pallidas, quasdam ſubalbidas, quasdam lenticulæ ſimiles, quibus demtis, nonnunquam profluit ſanguis. Alioqui vero humor ejus albidus eſt, proceditque latius. Hæc vero omnia genera oriantur in pedibus & manibus, atque ungues quoque infeſtant.* Tandem ipſe ultimo *Capite* vitiliginem ἀλφον & λευκην ita diſtinguit: *Αλφος vocatur, ubi color albus eſt, fere ſubaſper & non*

i) *Lib. V Cap. antepen. pag.* 210 *ſeq.*

*& non continuus. Λευκη magis albida eſt, & altius deſcendit, in eaque albi pili ſunt & lanugini ſimiles.* Albam noſtrates vocant *den bæſen Schörf.* Tanta & tam multiplex calamitas ex aqua Ægyptiorum inſalubri exoriebatur! Licet vero mala hæc ſatis eſſent gravia & funeſta; ipſa tamen prorſus diſſidebant [k]) a lue venerea, quam quippe Hiſpani ex India occidentali in Europam primi intulerunt.

XIII. Nec eſt, quod credas, cereviſiam Ægyptiorum corporibus fuiſſe ſalutarem. *Paulus Ægineta,* ſuæ ætatis Medicorum princeps, eam [l]) negat eſſe ſanitati convenientem, ſiquidem illa ſit non ſatis ſimplex, ſed guſtatu aſpera, & quaſi ex putredine conflata, nec non ob acidam naturam frigida, ideoque *κακόχυμος*, hoc eſt, *inſalubris.* Ægyptii eam vocabant *zythuin* [m]). *Diodorus Siculus* illam ita deſcribit [n]); *Κατασκευάζουσι δὲ ἐκ τῶν κριθῶν Αἰγύπτιοι πόμα, λειπόμενον οὐ πολὺ τῆς περὶ τὸν οἶνον εὐωδίας, ὃ καλοῦσι ζῦθον. Conficitur ab Ægyptiis potus ex hordeo, quem zythum vocant, odoris ac ſaporis jucunditate non multum vino cedens.* Judæi zythum appellant זיתום המצרי, *ſeton Ægyptiacum.* Dabo exemplum & unum & alterum. Talmudici doctores inter alia ſic præci-



k) *M. Aſtruc dans Traité des Maladies Veneriennes. Paris 1740, 12.*
l) *Lib. VII pag. 237.*
m) *Theophraſtus de Cauſis plantarum Lib. VI Cap. 15.*
n) *Lib. I fol. 31.* Conf. *Lib. III f. 207, Lib. IV f. 211, Athenæus Lib. I in fin., Lib. X pag. 418, 447.*

præcipiunt o): שוין שבוחשין את המשתות, בשבת ושותין זיתוס המצרי *Par jus eſt eis, qui potiones in ſabbato miſcent ac eis, qui zythum bibunt Ægyptiacum.* Eadem repetuntur in libro *Schabbat Cap. XXIV §. 1.* In feſtis Paſchatos diebus haud licuit Judæis bibere zythum aut cerevifiam. Doctores enim ipſorum ita tradunt p): *Abſit a Paſchate zythus Ægyptiacus.* Periculum ſuberat, ne fermenti quid zytho ineſſet, quippe a quo intra dies Paſchatos erat cavendum. Quærunt in Gemara q): *Qualis eſt zythus Ægypti?* מאי זיתוס המצרי. Reſpondiſſe traditur R. *Joſeph:* תולתא שערי תולתא קורטמי ותולתא מלחא, *tertia pars* ejus eſt *hordeum, tertia cartamum, tertia bitumen.* Cartamum alias a Judæis vocatur כּוּרְכְּמָא, *Curkema.* Noſtri vocant *Gurckemai.* Denominationis ratio derivanda eſt ex voce *crocum.* Deſignat enim crocum ſilveſtem, quem alias *cnicum* appellant. Vocem *kortemai* R. *Salomo Iſaacides* r) expoſuit per duas voces notiores מריקא קרוג, *moricam & crocum.* *Bartenorius* per eam docet eſſe intelligendum כרוכום סרברי *crocum ſylveſtrem*, addens, eum ab Arabibus vocari *carthom*, תקרא בערבי קרטום. *Golius* s) vocem קרטם & מריק reddidit *crocum ſilveſtrem.* *Benjamin Muſaphiah* in *Aruch* diſtincte: *Cartamus Arabibus & Latinis eſt planta, cujus flos ſimilis*

o) *Berachoth Cap. VI §. 1.*
p) *Pſachim III §. 1.*
q) *Pſachim f. 42, 2.*
r) In *Peſach f. 42, 2.*
s) In *Lexico Arabico f. 1888, 2218.*

*ſimilis croco, cui nomen croci ſilveſtris, cui ſemen inſtar hordei, cui facultas ineſt medica.* Semen vero iſtud, aut granorum cartami vel cnici crocive ſilveſtris complexus, magnitudine ferme hordeum adæquat. Grana ſecundum folliculos candida ſunt maximam partem, ſed nucleus interior ſub folliculis eſt niger, grandis, & amarus. *Theophraſtus* t) addit, cnicum odoris eſſe expertem. Cnecum inter veſca poſuit *Athenæus* u). *Theophraſtus* de cartamo, ſeu cnico: Καρπὸν δὲ ἔχει μέλανα καὶ μέγαν καὶ πικρόν. *Corpus cnici eſt candidum, caput rubrum. Heſychius:* Κνηκὸν τὸ κροκίζον χρῶμα ἐπὶ τοῦ ἄνθους, ὅτε δὲ ἐπὶ καρποῦ τὸ λευκόν. *Cnicum eſt flore croceo, ſeu flavo, fructu candido. Dioscorides:* Ἄνθος κρόκῳ ὅμοιον, σπέρμα λευκὸν καὶ πυῤῥόν, ἐπίμηκες. *Flos cnici croco ſimilis, ſemen candidum & rufum* extrinſecus, *oblongum.* Hæc cartami grana, commolita omnino, & cortice nudata, exemplo hordei, in maſſa zythi Ægyptiaci admodum fuerunt celebrata. Tandem tertia zythi pars erat מלחא, *bitumen* x) *ſodomiticum*, ſalis in ſeſe continens pluſculum, ſed copiam pinguedinis majorem. Hinc puritas, robur, & integritas, conſtitit zyho, quem *Herodotus* vocat y) *vinum, ex hordeo factum. Pocula Peluſiaci zythi* cum præſtantiſſimis comparavit cereviſiis *Columella* z).

O 4 Inven-

t) *De Cauſis plantarum Lib. VI Cap. 13.*
u) *Lib. IV pag. 131.*
x) De eo copioſius egit Ven. *Hermannus von der Hardt* in *Ephemeridibus philologicis Diſcurſ. XI pag. 139 ſeq.*
y) *Lib. II pag. 57.*
z) *Lib. X pag. 406 ed. 1595. 8. Commelin.*

Inventionem zythi *Baccho* [a]) tribuerunt Ægyptii, nec non Oſiridi [b]). Poſt *Herodoti* ætatem in Ægypto [c]) vitis quoque fuit culta. Non ex palmis [d]) modo Ægyptii pararunt & ex myxis [e]) vinum, ſed ex ipſis quoque vitibus. Obiter emendo locum *Plinii Hiſt. Nat.* XIV, 7, ubi legitur: *In Ægypto hoc naſcitur tribus generibus uvarum ibi nobile, thaſia, æthalo, peuce.* *Pintius* addit, Codices omnes, tam antiquos, quam impreſſos, agnoſcere *thaſium & alopecen.* Alopece caudas vulpium referebat, uti conſtat ex *Lib. XIV Cap. 3.* Opinor idcirco, vocem *ſebennytico* eſſe transpoſitam, ita legens: *ſebennytica, thaſia, alopece.* Ita locus eſt in ſalvo. Sed mittimus vinum Ægyptium, & id unum adjungimus, Ægyptios noſtra ætate zythum adhuc coquere [f]), eumque, injecta *Datura*, ad conciliandam ebrietatem [g]) componere. Sacerdotes Ægyptiorum olim ab hoc potu & vino ſeſe abſtinebant [h]). Pocula, e quibus plebs haurit zythum, ex ficu *Adami*, alias *Mauz* dicta, confecta eſſe novimus, ſi fides eſt habenda *Paulo Luca pag. 202.* Sacerdotes autem olim ex æneis bibebant poculis, teſte *Athenæo Lib. VI pag. 231.*

Plura

a) *Diodorus Lib. IV f. 211.*

b) *Lib. I Cap. 17, 20.*

c) *Diodorus Lib. I Cap. 36, 70, Plinius Hiſt. Nat. Lib. XIV Cap. 7.*

d) *Plinius Lib. XIII Cap. 14.*

e) *Idem Lib. XIII Cap. 5, Theophraſtus Lib. III Cap. 12.*

f) *Paulus Lucas pag. 201.*

g) *Idem pag. 178, 179.*

h) *Hieronymus Tom. III Opp. f. 35, b, edit. Froben.*

Plura qui de zytho ſciendi deſiderio flagrant, conſulant neceſſe eſt Ven. *Hermanni von der Hardt* librum *de Baccho, vini & cereviſiæ Ægyptiacæ repertore*, editum Helmſtadii A. 1715, 8, ac *Joannis Henrici Meibomii Commentationem de Cereviſiis, potibus, & ebriaminibus extra vinum aliis*, Helmſtadii excuſam A. 1684, 4.

XIV. Reſtat tandem tractatio de pluvia, Palæſtinis gratiſſima, eaque gemina, quarum prior vocatur πρώϊμος ὑετὸς, & poſterior ὄψιμος, *Jac. V, 7.* Operæ pretium fuerit de gemina Palæſtinorum meſſe diſſerere, ut, quanta pluviæ illius utriusque fuerit utilitas, intelligatur. Sementis prioris tempus incidebat in autumnum, inchoari ſolitæ medio menſis Tiſri; ad finem perductæ, vergente ad exitum menſe Cisleu. Fruges, quarum ſementis facta erat in autumno, eæ ad maturitatem adſpirabant menſe Niſan, ac elapſo Paſchate demetebantur, poſtquam in ipſo die feſto farina hordei prima in honorem Dei eſſet oblata, ac eidem in altari exteriori conſecrata. Intra menſem Abib ſeu Niſan, cujus pars reſpondet Martio noſtro, ſementis fiebat frugum æſtivarum, quarum in numero præcipuum erat triticum. Ipſæ circa Pentecoſten maturuerant, &, ea præterlapſa, medio menſis Sivan demeti, ac in horrea colligi ſolebant i). Cum vero Ægyptus fuerit Palæſtinæ ad auſtrum, occidenti confinem, vicina & contermina, adjungere lubet ſementes, fruges, & meſſes



i) *Conradi Ikenii Antiqu. Ebraic. P. III Cap. 10 §. 16 pag 580.*

Ægyptiorum. Legumina in Ægypto erumpunt tertio a ſatu die [k]). Hordeum ibi a ſexto a ſatu menſe, frumenta ſeptimo, metuntur [l]). Far olim ex olyra conficiebatur. Far vero denotavit & cibum, & triticeam ptiſanam; molitum ejus & deglubitum granum inſerviebat conficiendis inde pultibus, panibus, & hominum cibis. Triticum Ægyptium eſt mediocris ponderis ac bonitatis. Panis & cibus antiquiſſimus fuit ex hordeo factus, deinde vero ptiſana. Ex tritici ſemine Ægyptii conficiebant *tragum*, hoc eſt, *ptiſanam triticeam* [m]). Amylum [n]) fiebat ex omni tritico & ſiligine, ſed optimum e trimeſtri. Inventum fuit illud in inſula Chio, ideoque Ægypto antiquiſſimæ ignotum. Ægyptus præterea proferebat zeam, olyram, & tiphen [o]). *Cyllade*, panis Ægypti, fiebat ex olyra & oryza, teſte *Phavorino* [p]). Similaginem Ægyptii adornabant e tritico ſuo. *Zea*, Græcis ζεῖα, confinem habet tritico virtutem, nec omnino calefaciens, nec penitus refrigerans [q]). Germani eam vocant *Spelz*, ſeu *Dinkel*; Itali & Hiſpani *ſpeltam* vocant. Duo ejus genera recenſet *Dioſcorides* [r]), alterum, quod

k) *Plinius Hiſt. Nat. XVIII*, 7.
l) *Plinius l. c. Theophraſtus Hiſt. Plant. VIII*, 3, 4.
m) *Paulus Ægineta Lib. VII pag.* 256: Τράγος σιτώδης. Παραπλήσιος ἐστι ζεῖα, δύσπεπτός τε μᾶλλον καὶ κοιλίας μαλακτικός.
n) *Dioſcorides II*, 93.
o) *Plinius XVIII*, 8.
p) *Athenæus X pag.* 418.
q) *Idem III p.* 115, *Paulus Ægineta VII pag.* 267.
r) *Lib. II Cap.* 80.

quod appellant δικοκκόν, id eſt, gemini & duplicis grani, habens ſemen duobus utriculis conjunctum. *Ezechiel* Propheta zeam vocavit [s]) כֻּסְּמִים; *Moſes* vero [t]) כֻּסֶּמֶת, interpres Chaldæus כּוּנָתָיָא ex כּוּנְתָּא. Alexandrini vero in loco *Moſis* per ὄλυραν *ſiliginem* fuerunt vocem illam interpretati, peccantes non in re ipſa, ſed in voce. Nam Talmudicis כונתא eſt *ſpelta* [u]), ipſique translatores Alexandrini in loco *Eſaiæ XXVIII, 25*, vocem כסמת, quam Chaldæus ibi per כונתין expreſſit, ζέαν vertunt. Ipſi tamen, quaſi fluctuantes & incerti, apud *Ezech. IV, 9*, loco zeæ poſuerunt rurſus *olyram*. Vox ipſa Ebraica deſcendit ex כסם, *tondendo*, *Ezech. XLIV, 20*, eam quidem ob cauſam ita denominata, quod plurima frumenti genera in Ægypto circa Kalendas Apriles falce ſuperius demetebantur, ne ſeges deinde luxuriata negaret proventum. Antequam vero triticum & ſpelta in calmos ire cœpiſſet, grando eis nocere non poterat. Hordeum exeunte Martio, ut fere in Palæſtina, erat maturum, pridem culmos nactum. Quare id a grandine potuit affligi, novem diebus ante, quam Iſraelitæ ex Ægypto emigrarent [x]). Dies vero ille emigrationis fuit dies XIV menſis Niſan ſeu Abib [y]), cui tempori convenit *ſignum arietis* מזל טלה [z]), & æquinoctium;

s) *IV, 9.*
t) *Exod. IX, 32.*
u) *Buxtorfius* in *Lexico talmudico pag. 1060.*
x) *Exod. IX, 31.*
y) *Exod. XII, 18, XIII, 4.*
z) *Midraſch megillath eſther f. 130, 2.*

nocivum ſemale. Olyra eſt ſiligo, *Rocken*. *Tiphen* Germani ignorant, quam *Theophraſtus* deſcripſit plenius. a). Ægyptus porro ſimilaginem e tritico ſuo conficiebat, Italicæ nequaquam parem. Qui far non habebant, zea utebantur b). Farinam tritici puriſſimam ac præſtantiſſimam vocabant *ſimilaginem*, in ſiligine eam appellabant *florem* c). Siligo, ſeu olyra, in Ægypto erat proventu facilis fertilisque. Far eſt ſine ariſta; item ſiligo, excepta ea, quæ laconica appellatur. Adjiciuntur his genera, *bromos*, *ſiligo exceptitia*, ariſtis carens, & *tragos*, externa omnia ex Oriente invecta, oryzæ ſimilia. Tempus metendi hordei triticique Ægyptiis & Palæſtinis fere idem. Ut vero ſementis in Palæſtina ſecunda tempeſtate ac feliciter procederet, Deus eam pluvia continentiori irrigabat, una in autumno benigna, altera autem vernali d). *Pluvia πρώϊμος*, ſeu *matutina*, *prior*, denominationem ab initio anni civilis Judæorum obtinuit. Annus enim civilis ab menſe Tisri, in autumnum incidente, inchoabatur. Pluvia illa prior nonnullis hebdomadibus continenter ſolebat agros Palæſtinæ recreare, cœpta plerumque in menſe Marchesvan. Si tum ea moraretur ſpes hominum, Judæi jejunia inſtituebant, ut illam precibus lachrymisque a Deo expeterent, quemadmodum ex Codice talmudico *Taanith* cuivis facile pateſcit. *Pluvia* autem *ſerotina* in ſeriorem anni tempe-

a) *Hiſt. Plant. VIII*, 1.
b) *Plinius Hiſt. Nat. XVIII*, 8.
c) *Plinius XVIII*, 9.
d) *Deut. XI*, 14; *Jer. V*, 24.

tempeſtatem incidebat, ſcilicet in veris primordia, ac menſem Abib [e]). Ad utramque hanc pluviam reſpicit *Jacobus V, 7*, patientiam hunc maxime in modum inculcans: *Fratres, eſtote patientes usque ad adventum Domini. Ecce, agricola exſpectat pretioſum terræ fructum, ac patienter perſiſtit*, ἕως ἂν λάβῃ ὑετὸν πρώϊμον καὶ ὄψιμον, *usquedum obtinuerit pluviam matutinam ac ſerotinam*. Alexandrini interpretes eisdem vocibus, utramque Ebræorum vocem, ac utramque Palæſtinæ pluviam, יורה ומלקוש denotaturi, utuntur *Jeremiæ V, 24*. Recognoſce, obſecro, mecum hæc, Lector, verba: Φοβηθῶμεν δὴ Κύριον τὸν Θεὸν ἡμῶν, τὸν διδόντα ἡμῖν ὑετὸν πρώϊμον καὶ ὄψιμον, *revereamur ſane dominum Deum noſtrum, qui nobis dat pluviam matutinam & ſerotinam*. Iidem *Deut. XI, 14*, eandem pluviam vocant ὑετὸν τῇ γῇ δοδέντα καθ᾽ ὥραν πρώϊμον καὶ ὄψιμον. In contextu autem Ebraico leguntur rurſus duæ illæ voces יורה & מלקוש. Conf. *Hoſ. VI, 3, Joel II, 23, Zach. X, 1.* [f]). Utriusque hujus pluviæ beneficio ager ita rigabatur, ac ſementis ad ſpes lætiſſimas procreſcebat in Palæſtina, ut, quatuor menſibus elapſis, plerumque meſſis ipſa eſſet præſto. Unde inter Judæos proverbium adhiberi verſarique ſolebat: *Intra tempus quatuor menſium meſſis apparatur* [g]). Videntur ipſi Judæi ea ſententia demonſtraſſe id, quod vulgo

e) *Joel. II, 23.*
f) *Io. Chriſtoph. Wolfii Curæ philologicæ & criticæ ad Jac. V, 7.*
g) *Jo. IV, 35.*

vulgo dicimus, *rei cuique obeundæ ſuas eſſe moras.* Syrus interpres in *Jac. V, 7,* pluviam illam priorem & poſteriorem vocavit ܡܛܪܐ ܒܟܝܪܐ ܘܐܠܩܫܐ *primam & alias quaſcunque prævertentem, ac denique tardantem.* Vox enim בָּכִיר enata eſt ex Arabum בכר بَكَرَ, quo ipſi *antevertere* ac *prævenire aliquem* ſignificant. Unde etiam Ebræi, Chaldæi, & Syri, *filium primo genitum* appellant בְּכוֹר, בּוּכְרָא & ܒܘܟܪܐ. Filius enim ille reliquos fratres ſuos partu & ætate antevertit. Qua ex vocis origine Syri jus primogenituræ vocant בּוּכְרוּתָא [h]) Pluvia autem ܠܩܫܐ, מַלְקוֹשׁ *ſerotina* fuit denominata ex ܠܩܫ *tardando, morando* [i]). Pluvia enim illa ſerior, paſchali circiter tempore incidere ſolita, non minus fuit utilis & ſalubris, quam prior illa, anni initio confinis. Illa enim granis hordei diducendis ac fœcundandis erat apta, terramque ad novam ſementem præparabat. Qui uſus geminus tanti erat faciendus, ut pluvia ſerior, ac ante Paſcha deſtillans, pro præſtantiſſima ac utiliſſima haberetur. Unde illuſtrantur illa *Salomonis,* qui favorem Regis cum denſiori nube, pluviam illam ſeriorem advehente, comparat, ita tradens [k]): בְּאוֹר פְּנֵי מֶלֶךְ חַיִּים וּרְצוֹנוֹ כְּעָב מַלְקוֹשׁ׃ *ſi Rex fronte*

h) *Ebr. XII, 16.*

i) *Carolus Schaaf* in *Lexico Syriaco Concordantiali pag. 299.*

k) *Prov. XVI, 15.*

*fronte ſerena, facieque gratiæ plena, quem excipit, ex ea exoritur gaudium & vitæ conſervatio: ac favor ejus eſt ſimilis nubibus denſioribus, quæ pluviam illam ſeriorem advehunt.* Syrus interpres indolem hujus pluviæ non ſatis intellexit, dum voci מַלְקוֹשׁ ſubſtituit *pluviam priorem* ܒܟܝܪܐ, ac eo ipſo Cel. *Schaafium* invitus in errorem deduxit, ut hic crediderit, pluviam, reliquas antevertentem, בְּכִירַיָּא, hoc loco eandem eſſe ac ſeram & ſerotinam *l. c. pag. 644*, quod contradictionis eſt plenum, ac eapropter nullo modo veriſimile videtur.

---

## II.

## IOANNIS CONRADI SCHWARZII,
S. THEOL. DOCTORIS, ET GYMNASII COBVRGENSIS DIRECTORIS,

# OBSERVATIO DE ΘΕΟΔΡΟΜΟΙΣ IGNATII.*

## I.

Tam multa jam a multis de *Ignatii* vocabulo *θεοδρόμων* diſputata ſunt, ut labore illius conſiderandi ſuperſedere poſſe videantur alii. Sed, quando

* Egit jam olim, etſi tecto nomine, Cel. Autor de hoc argumento in *Actis Erud. A. 1731. Menſ. Oct. pag. 455 ſeq.*: ſed, quæ nunc dedit, illis multo ſunt elaboratiora, & majori exquiſitæ variæque eruditionis apparatu inſtructa.

quando nova diligentia & circumſpectio veritati nihil officit, nec operæ illorum, qui maxime hic deſudandum ſibi putarunt, ullo modo incommodet; non continuo repellentur, ſi qui etiamnum ſententiam ſuam dicere velint. Non enim, opinor, tam eſt ſpectanda temporis anteceſſio, quam veritatis ſtudium ac defenſio. Et, quanquam plurima de aliena θεοδρόμων conſideratione diſſerere poſſumus, brevitatis tamen gratiam conſectari maluimus.

II. Qui θεοδρόμοις ſignificationem legatorum Chriſtianorum ad creationem Epiſcopi remotioris cujusdam eccleſiæ affinxerunt, operæ fortaſſis pretium feciſſent, ſi compoſitionem etiam vocabuli noſcitare contendiſſent. Ea enim illos a conſilio ſuo fortaſſis revocaſſet. Intellexiſſent enim, hominem ad illuſtriorem Epiſcopi deſignationem mittendum θεηδρόμον potius appellandum fuiſſe, quam θεοδρόμον. Non enim ad Deum decurrebat, ſed ad θέαν, quisquis legationem iſtam obiret. Deus enim, cum usquequaque ſit, non alibi demum & foris quærendus erat, neque a Chriſtianis illis primis quærebatur. Neque enim credibile eſt, homines ſanos id ipſum in Deo ſuo probaſſe, quod in Diis gentium reprobabant, & reprobare neceſſe habebant, niſi primis Chriſtianorum præceptis ac notionibus adverſari vellent. In quo nos illud etiam veremur, ne ſanctiſſimis & ſimpliciſſimis hominibus ambitio quaedam tribuatur, nec neceſſaria, nec profutura. Incurriſſent enim hujusmodi legationes in oculos & voculas hominum, de Chriſtianis male jam ante per ſe ſentientium,

tium, &, quod peſſimum erat, jure incurriſſent. Nemo enim non videbat, in tales legationes ſumtus fieri majores minoresve, prout eccleſia quæque longius abeſſet, aut propius. Sumtus autem ſocietatum præſertim inviſarum non neceſſarii publice & recte improbantur. Jam igitur apparet, meditationem neglectam eſſe cumprimis neceſſariam & veritati exoptatam. Non minoris momenti eſt prætermiſſio quæſtionis, quæ ad perveſtigationem pertinet, cum ſubiti ortus, tum præproperi interitus, qui in hoc vocabulo, ſapienter excogitato, certe mirabilis eſt. Etenim citius id pæne exolevit, quam effloruit. Quod tanto quidem mirabilius videtur quibusdam, quanto ſubſequentium temporum mores vehementius id flagitarint, qui ſe vetuſtatis memoria & ſpecie honeſtare non obliviſcebantur, ſi ullo id facere poſſent modo. Nos vero, qui, tales *Ignatio* curſores in mentem veniſſe, negamus, vocabuli hujus ortum & interitum facile demonſtrare poſſe ſperamus. Illud enim ex ipſa rerum ſuarum ratione & conſcientia conflaſſe videtur *Ignatius*. Cum enim vir ſanctiſſimus ad ſupplicium properaret, per quod aditum ſibi ad Deum parari noverat; idem properandi ſtudium, qua erat humanitate, omnibus omnino Chriſtianis liberaliter tribuebat. Alii vero, quorum alia fuit conditio, aliis et magis communibus utebantur vocabulis, ſi quando Chriſtiana vita nominanda eſſet. Illa quidem multorum nominum commode inventorum fuit ſors, ut ex tempore concinnata magnæ aliquamdiu eſſent admirationi, invaleſcere tamen ad communem

 omnium

omnium uſum non poſſent. Multa hujus generis exempla literatorum epiſtolæ ſuggerunt, ut hac nobis opera defungi ſupervacaneum hic fuerit. Potius ergo dolemus, quod, quæ ab uno ſolo, aut ſaltem pauciſſimis eruditis, confictæ ſunt, vocabulorum quorundam ſignificationes, eæ a nonnullis tam avide arripiuntur, ut ſuum erga veritatem officium prodere ſibi videantur, ſi eas non admirentur ac defenſitent. Vir quidem literatiſſimus, qui de poteſtate vocabuli, cujus vim hic quærimus, primus diſputaſſe creditur, pro eximia ſua modeſtia conjecturam ſe tradere non diſſimulavit, quam alii ſubito pro veritate univerſis obtrudendam putarunt. Hi vero eccleſiæ primitivæ ſtatum diligentius ponderare debuerant, novitate ſuſpectum, ſanctimonia morum invidioſum, vitæ communis ſimulationes peroſum, ac proinde omnibus communiter odioſum. Simplicitate igitur & prudentia opus erat; omnia contra, quæ vel minimam ambitioſi officii ſpeciem haberent, curioſe fugienda. Pravi enim homines, & naturæ ſuæ deditu, vera etiam & neceſſaria officia ſiniſtre interpretabantur, &, uti vel ex *Luciano*, *Antonino*, & *Juliano*, conſtat, ambitioſis ſtudiis adſcribebant. Ipſum quidem Epiſcopi munus in cœtu Chriſtiano, quamvis eſſet magni momenti, acris ingenii, perpetuæ diligentiæ, contemtum tamen erat, & humile, & cavillationibus obnoxium; cum vulgo precaria ejus haberetur auctoritas, onus prægrave, fructus exiguus. Etenim, ſi qui ſapientiores ſibi viderentur, nihil temere ſuſcipiendum judicabant, quod ſacris publicis & religioni veteri quoquo

modo

modo repugnaret. Multa autem in religione Chriſtiana deprehendebantur, quæ veteri Deorum exiſtimationi ac cerimoniis officiebant. Talibus autem rebus admiſceri, atque etiam ducem ſe præbere, periculoſum erat profecto, & gravibus pœnis reprimendum cenſebatur. Non igitur aut Chriſtianus cœtus, Epiſcopum deſignaturus, aut Epiſcopus ipſe deſignandus, externorum Epiſcoporum adventum, vel Legatorum ullorum adſpectum, deſiderabat. Cœtus enim recte facti conſcientia nitebatur; novus Epiſcopus inveteratæ probitatis fama & electione, tanquam certo conſtantiæ, ac virtutis teſtimonio. Nihil igitur opus erat legationibus externorum Chriſtianorum, nec novo legationum iſtarum nomine. Magni honores ambitioſis legationibus condecorantur; exigui, ſua exiguitatis conſcientia contenti, nihil tale neque exſpectant, neque expetunt. Epiſcopi nomen, ut alienæ humilitatis curam importabat, ita ſuæ ſtudium flagitabat: cum præſertim, Epiſcopi apud veteres Græcos qui appellarentur, ſæpe ad exigua munera & leviores curas adhiberentur. Id quod cum alii, tum nos in Commentariis linguæ Græcæ curate oſtendimus. Contemtio igitur, quæ nomini huic ſæpe alias adhæſerat, inſpectionem Chriſtianam ſubito & magnifice exornare non poterat. Quamobrem ex poſteriorum temporum magnificentia vetuſtatis ſimplicitas non fuerit fingenda, nec novum legationis & congratulationis nomen.

III. Nos igitur, ne forte operam et oleum perdere videamur, primum omnium ponimus, Epiſtolas *Ignatii*, ſi non omnino & univerſe, at

ſaltem maxima ex parte, ſanas eſſe & germanas. Qua de re cum alii, tum etiam *Tillemontius* in *Memoires pour ſervir à l' Hiſtoire Eccleſiaſtique Tom. II Part. II not. VI, VIII, pag. 450 ſeq. 454 ſeq. Ittigius* in *Diſſertat. de Patribus Apoſtolicis §. LXXXVI, LXXXVII, LXXXVIII, Caveus* in *Hiſtor. Literar. Sec. II pag. 27, Ant. Pagi* in *Critic. Tom. I pag. 109,* & multi alii, diſputarunt.

IV. Deinde ſatis conſtat, in Epiſtola *Ignatii ad Philadelphenos Cap. II* θεοδρόμους Chriſtianos eſſe. Verba ſunt illa: Πολλοὶ γὰρ λύκοι ἀξιόπιστοι ἡδονῇ κακῇ αἰχμαλωτίζουσι τοὺς θεοδρόμους, ἀλλ' ἐν τῇ ἑνότητι ὑμῶν οὐχ ἕξουσι τόπον. *Multi enim lupi ſpecie probi prava voluptate curſores divinos capiunt; ſed eis veſtra concordia nihil relinquet loci.* Omnino Chriſtiani belle dicuntur θεοδρόμοι. Etenim vita eorum & omnis ratio jam multo ante ab ipſis Jeſu diſcipulis hac ſimilitudine ſignificari cœpit, *1 Cor. IX, 24, 25, 26, Philipp. III, 14,* & *2 Tim. IV, 7.* Eandem viam tenuerunt etiam diſcipuli Apoſtolorum. Sic enim *Ignatius Epiſt. ad Polycarp. Cap. I* ſcribit: Παρακαλῶ σε ἐν χάριτι ᾗ ἐνδέδυσαι, προσθεῖναι τῷ δρόμῳ σου, καὶ πάντας παρακαλεῖν, ἵνα σώζωνται. *Rogo te, qua indutus es, gratia, ut curſum tuum perſequare, & omnes ad ſalutis viam advoces.* Hæc item translatio multas alias veteribus Chriſtianis peperit formulas dicendi. Quorſum refero illam *Ignatii ad Epheſ. Cap. III:* ὅπως συντρέχητε τῇ γνώμῃ τοῦ Θεοῦ, *ut comites ſitis menti divinæ.* Ac mox *Cap. IV:* ὅθεν πρέπει ὑμῖν συντρέχειν τῇ τοῦ ἐπισκόπου γνώμῃ. *Quare decet*

vos

*tas eundem, quem Epiſcopus, curſum tenere.* Satis adhuc liquet, quid intuitus ſit autor nominis θεοδρόμου. Sed ejusdem vocabuli, Chriſtianis tam honorifici & tam proprii, ratio etiam ex ea vocabuli δραμεῖν poteſtate repeti poteſt, quæ cum Latina *ſcandere* vel *adſcendere* convenit. Ea reperitur in *Agatharg. pag. 54 edit. Henr. Stephan.*: Ἅμα τῷ ἡλίῳ μετὰ τέκνων καὶ γυναικῶν ἐπὶ τὰ δένδρα πάντες ἀναβαίνουσι, σπουδῇ καταλαβεῖν ζητοῦντες τοὺς ἄκρους κλῶνας·—τοιαύτην δὲ ἐκ τοῦ παντὸς βίου πεποίηνται τὴν ἕξιν, ὥστε καὶ τὰ τῆς ἀναδρομῆς ἄπιστον ἔχειν τὴν θεὰν, καὶ τὴν συντονίαν οὐ χειρῶν μόνον καὶ δακτύλων καὶ ποδῶν, ἀλλὰ καὶ τῶν μερῶν τῶν ὑπολοίπων ἁπλῶς. *Prima luce una cum liberis & uxoribus univerſi arbores adſcendunt, ſolerter ſummos ramos comprehendere ſtudentes: — talem autem ex omni vita conciliarunt ſibi habitum, ut adſcenſionis incredibile etiam præbeant ſpectaculum, & contentionem non manuum modo & digitorum & pedum, ſed etiam omnium reliquarum partium, habeant.* Sed hæc quidem controverſiam non habent.

V. Omnis controverſia in *Cap. VII Epiſtolæ ad Polycarpum* verſatur. Verba repræſentabo: Ἐπεὶ δὲ ἡ ἐκκλησία ἡ ἐν Ἀντιοχείᾳ τῆς Συρίας εἰρηνεύει, ὡς ἐδηλώθη μοι, διὰ τὴν προσευχὴν ὑμῶν, κἀγὼ εὐθυμότερος ἐγενόμην ἐν ἀμεριμνίᾳ Θεοῦ, ἐάνπερ διὰ τοῦ παθεῖν, θεοῦ ἐπιτύχω, εἰς τὸ εὑρεθῆναί με ἐν τῇ ἀναστάσει ὑμῶν μαθητήν. πρέπει, Πολύκαρπε θεομακαριστότατε, συμβούλιον ἀγαγεῖν θεοπρεπέστατον, καὶ χειροτονῆσαί

τινα, ὃν ἀγαπητὸν λίαν ἔχετε καὶ ἄοκνον, ὃς δυνήσεται θεοδρόμος καλεῖσθαι, τοῦτον καταξιῶσαι, ἵνα πορευθεὶς εἰς Συρίαν, δοξάσῃ ὑμῶν τὴν ἄοκνον ἀγάπην εἰς δόξαν Χριστοῦ. *Cum eccleſia mea Antiochena propter preces veſtras, ut audio, pace fruatur, & ego ſancta quadam ſecuritate (ſi quidem per cruciatus mortis Deo potiar, ut in reſurrectione mortuorum veſter inveniar diſcipulus,) hilariore jam ſim animo; convenit, Polycarpe beatiſſime & ſanctiſſime, ut ſanctiſſimum cogas concilium, & quendam apprime dilectum & impigrum, qui* θεοδρόμος, *Dei curſor, vocari queat, deligatis, atque rogetis, ut in Syriam profectus, impigrum amorem veſtrum cum Chriſti gloria illuſtret.* Hic θεοδρόμος non dicitur *carus ille & impiger*, quia in Syriam erat decurſurus, ſed quia Chriſtianus, hoc eſt, ſpectata probitate ac morum ſanctitate cœtui Chriſtianorum carus, & ad communia cœtus negotia obeunda paratiſſimus, erat. Quis enim magis θεοδρόμου nomine dignus eſt, quam qui omni Chriſtianorum cœtui carus eſt, & ejus deſideria domi ac foris libenter & impigre explet? Hic talis enim Chriſtiani nomen & θεοδρόμου dignitatem officiis, cura, circumſpectione, providentia, ſuſtinere cognoſcitur. At, inquies, *Ignatius* ait, ὃς δυνήσεται θεοδρόμος καλεῖσθαι. Ergo non eſſe jam θεοδρόμον, ſed fore. Fateor, ita dubitari poſſe, ſi quis Græcæ linguæ ſit imperitus. Sed Græce intelligentes id unum ſignificari norunt, quod noſtra verſio ſignat. Atque omnibus ſatis liquet, καλεῖσθαι hic item pro εἶναι poni. Id quod cum in Vetere ac Novo Teſta-

mento,

mento, tum Atticorum ſcriptis, tum Latinis libris, creberrimum eſt & obvium.

VI. Si θεοδρόμος unquam vel tabellarii, vel legati, nomen fuiſſet; mirum certe videretur, qui factum tum ſit, ut confeſtim id exoleſceret. Sed, cur de Chriſtianis ſubito id uſurpari deſierit, ratio in promtu eſt. Chriſtianum enim nomen, a Chriſto magiſtro petitum, magis erat bonis ejus cultoribus proprium, magis vulgo notum, magis præclara illa Chriſtianorum virtute & egregiis facinoribus illuſtre. Chriſtianum eſſe, Chriſtianum dici, omnibus ornamentis honeſtius, omni voluptate jucundius ac dulcius, omnibus theſauris pretioſius, habebatur ab iis, qui tanti nominis dignitatem conſiderate appetierant, vim ejus experiendo ſenſerant, jacturam ejus unam omnium calamitoſiſſimam metuebant. Adde, quod Chriſtianorum nomen & antiquius erat, & vehementius increbuerat; cum θεοδρόμων appellatio inter ipſos Chriſtianos propter novitatem & translationis obſcuritatem inſolentius eſſet. Neque *Ignatii* Epiſtolæ pro temporum illorum conditione ſatis cito diſpergi & divulgari poterant, ut Chriſtianum nomen, ſubſtituto θεοδρόμων vocabulo, de veteri poſſeſſione detruderent; cum præſertim ex *Act. Cap. XI* ſatis appareat, Chriſtianorum appellationem a Chriſto propter multitudinem diſcipulorum ejus Antiochiæ coortam eſſe, ſicut Athenis Epicureorum, Peripateticorum, Platonicorum, Stoicorum, nomen tum demum celebrari cœptum eſt, cum eximia quædam & civium Athenienſium & externorum multitudo hortos Epicuri, Peri-

 patum

patum, Academiam, Porticum Variam, longo tempore frequentaſſet. Sola quidem Judæorum contumacium & Chriſto infeſtorum invidia nomen Chriſtianum primum confinxiſſe neutiquam videtur, cum iſti ipſi Judæi, qui Antiochiæ verſarentur, maximam partem Græce locuti ſint, nec *Act. XI, 20,* Judæis priſcæ religioni deditis opponantur, ſed potius ob linguæ Antiochenæ communitatem ita appellentur, ut aliqua ſaltem nota eſſet, per quam a Judæis pervicacibus & obſtinatis ſecernerentur.

VII. Ipſæ quoque rationes, quas *Ignatius* affert, ut perſuadeat, aliquem ad Antiochenos mitti, ſatis oſtendunt, non fuiſſe tum in Eccleſiis uſitatum munus hujusmodi tabellariorum. Etenim ad *Polycarp. Cap. VII*, Χριϛιανὸς, inquit, ἑαυτȣ͂ ἐξȣσίαν ȣ̓κ ἔχει, ἀλλὰ θεῷ σχολάζει, *Chriſtianus ſui poteſtatem non habet, at Deo vacat.* Non ergo finis miſſionis erat, ut Epiſcopi creationi aliquis e vicina Eccleſia intereſſet. Nam ea gloriola quædam fuiſſet, & e civitatum conſuetudine petita. Illis temporibus oneri erat ἐπισκοπὴ & ſancta, ad quam ob tenuitatis propriæ conſcientiam & arrogantiæ fugam nemo pæne adſpiraret. Ergo ſplendori nihil dabatur, nihil arrogantiæ & ſuperbiæ. Nam ſplendoris, auctoritatis, celebritatis, cauſa intereſſe cœpiſſe Legatos aut Epiſcopos Epiſcoporum electioni, ex eo ſuſpicari licet, quod res ea Conſtitutionibus Apoſtolicis cohoneſtanda fuit viſa, Saltem inter poſteriorum & priorum temporum conſuetudinem tanta fuit, quanta maxima fingi poteſt, diſtantia. Id quod ex morum

diverſitate

diverſitate clarum eſt. Quodſi Apoſtolica auctoritate Epiſcopi Epiſcoporum electioni interfuiſſent; *Ignatius* ad eam rectius & honeſtius provocaſſet. Ultimis quidem, quam primis Apoſtolorum temporibus, Epiſcopi Epiſcoporum creationi commodius intereſſe potuerunt & frequentius.

VIII. Altera *Ignatii* ratio de mittendis Antiochiam tabellariis ea eſt, ut caritas *Polycarpi* & ejus eccleſiæ erga Antiochenam celebraretur. Id enim ipſa, quæ ſupra attulimus, verba ejus teſtantur. Accedit tertia, ut de pace gratularentur, quam Deus Antiochenis reddiderat. Iter erat Smyrna Antiochiam longius. Quo magis caritas Smyrnæorum erga Antiochenos ex itinere illo apparebat. Ac tranquillitas Antiochiæ poſtulabat utique ab Epiſcopo curioſo, ut eam gratularetur ſuis. Requirebat is igitur ſapienter nuntium & interpretem & ſui & Smyrnæorum amoris, hominem gratioſum, adamatum, liberalem, & facilem, qui hiſce virtutibus ſuis & moribus & ſtudiis legationem ſuam commendaret. Plerique enim homines ad profundendam gratiam, quam ad colligendam, ſunt accommodatiores. Hos tales & tam ineptos in tali officio devitare, non exiguæ erat ſapientiæ. Hæc, quæ dico, etiam ex *Ignatii Epiſtola ad Smyrnæos Cap. XI* élucent. Πρέπει, inquit, εἰς τιμὴν Θεοῦ χειροτονῆσαι τὴν ἐκκλησίαν ὑμῶν θεοπρεσβευτὴν, εἰς τὸ γενόμενον ἕως Συρίας, συγχαρῆναι αὐτοῖς, ὅτι εἰρηνεύουσιν, καὶ ἀπέλαβον τὸ ἴδιον μέγεθος, καὶ ἀπεκατεστάθη αὐτοῖς τὸ ἴδιον σωμάτιον. Ἐφάνη μοι οὖν ἄξιον πρᾶγμα πέμψαι τινὰ τῶν ὑμετέρων

μετ᾽ ἐπιϛολῆς, ἵνα συνδοξάσῃ τὴν κατὰ Θεὸν αὐτοῖς γενομένην εὐδίαν; καὶ ὅτι λιμένος ἤδη ἐτύγχανεν τῇ προσευχῇ ὑμῶν. *Convenit honorandi Dei cauſa, ut Eccleſia veſtra deligat Legatum ſanctum, qui in Syriam usque de iſto eventu gratuletur, quia tranquillitatem recuperarunt & propriam magnitudinem & corpuſculum proprium. Mihi quidem res hæc digna eſt viſa, propter quam veſtrorum quispiam cum epiſtola mittatur, ut tranquillitatem, quæ a Deo iis contigit, & portum, quem precibus veſtris tenent, concelebrent.* In hoc ſermone etiam illud ad judicandum inſigne eſt, quod de *reparata magnitudine* & *corpuſculo* memoratur. Corpuſculum videtur cœtus eſſe Chriſtianorum, qui propter Imperatoris ac Præſidis Romani vexationem dilapſi, & poſt eam repreſſam ac ſedatam reverſi fuerant. Corporis autem hujus Chriſtiani caput temporaneum & quaſi ſubdititium (ſi loqui ſic licet, nam Chriſtus unus eſt verum & germanum ac perpetuum Eccleſiarum univerſarum caput,) fuerat *Ignatius*, quo demto, magnitudini corporis quiddam deerat. Juſtam autem magnitudinem tum corpori Chriſtianorum Antiochenorum redditam eſſe, ſcribit *Ignatius*; novus jam Epiſcopus creatus intelligitur. Ergo ad deligendum eum Θεοπρεσβευτὴς ille Smyrna proficiſci non poterat. Omnino nullum usquam veſtigium finis illius, ut quispiam electioni Epiſcopi Antiocheni intereſſet, annotari poteſt in Epiſtolis *Ignatii*.

IX. Nequidquam igitur de Θεοδρόμοις disputatur, quicquid in mentem venerit quibusdam

Θεοδρόμοι

Θεοδρόμοι ſunt Chriſtiani, non quatenus ad externas Eccleſias mittuntur, ſed quod ab anguſta illa via, quam Jeſus *Matth. VII, 14*, memorat, ne latum quidem unguem decedunt, recta & ſtrenue ad cœleſtem patriam decurrentes. Fruſtra igitur quæritur, tabellarii, an nuntii, an legati, fuerint. Sic a Theologis non quæritur, utrum Apoſtoli emtores panum, an apparatores Paſchæ, an comites Chriſti, an vicarii doctores Evangelii, an piſcatores, fuerint. Sed quæritur, num diſcipuli Jeſu, qui iidem Apoſtoli vocari cœperant, a Jeſu ad emendos panes, ad apparandam Paſcham, ad docendum Evangelium, interdum etiam ad piſcandum, adhibiti ſint. Pariter ergo hic etiam, circumſcriptis quæſtionibus aliis de officiis & nuntiis Chriſtianorum, quæ multa & varia fuerunt, ſimpliciter quærendum eſt, utrum ii Chriſtiani, qui ab Eccleſiis Aſiæ ad Antiochenos Orontis accolas mittendi eſſent, tabellarii fuerint, an legati. Verum hæc quæſtio non habebat dubitationem. *Ignatius ad Philadelph. Cap. X* ita ſcribit: Πρέπον ἐςὶν ὑμῖν, ὡς ἐκκλησίᾳ Θεȣ̃, χειροτονῆσαι διάκονον ἐις τὸ πρεσβεῦσαι ἐκεῖ Θεȣ̃ πρεσβείαν. Quæ legatio nec contemtiſſima fuit, nec honoratiſſima. Sumtuoſa tamen in tanto itinere. Quare confeſtim laudibus eam commendabilem efficere conatur. Imo *Polycarpus* ipſe legationem obire dubitat *Cap. XIII Epiſt. ad Philipp.*: Ἐγράψατέ μοι, inquit, καὶ ὑμεῖς καὶ Ἰγνάτιος, ἵνα ἐάν τις ἀπέρχηται ἐις Συρίαν, καὶ τὰ παρ᾽ ὑμῶν ἀποκομίσῃ γράμματα· ὅπερ ποιήσω, ἐὰν λάβω καιρὸν εὔθετον, ἔιτε ἐγὼ, ἔιτε ὃν πέμπω πρεσβεύσοντα,

βεύσοντες, καὶ περὶ ὑμῶν. *Scripſiſtis ad me & vos & Ignatius, ut, ſi quis in Syriam proficiſcatur, etiam veſtras literas deferat. Quod faciam, opportunum tempus nactus, vel ego, vel quem legatum miſero, etiam pro vobis.* Temporis hic opportunitatem exſpectat *Polycarpus.* Si ad Epiſcopi novi electionem abiturus fuiſſet, utrum ſic ſecum addubitaſſet? Maturari electio illa debebat, quod capite & doctore, & monitore, & conſolatore, & caſtigatore, & hortatore, & tutore, nulla diutius Eccleſia carere poteſt. Maturitatem igitur profectionis poſtulabat tempus illud, & dubitandi moram excludebat. Rurſus igitur dilucide apparet, *Polycarpo* haudquaquam propoſitam fuiſſe curam ſpectandi & honeſtandi electionem Epiſcopi, bono *Ignatio* ſucceſſuri. Satis grave, & honeſtum, & utile, imo neceſſarium, munus erat legati ejusmodi, ut afflictam Eccleſiam conſolaretur, miſerorum rationibus conſuleret, auxilium & opem polliceretur, conſtantiam ſuaderet, malis ingruentibus & ingraveſcentibus mederetur. Quod ipſum aut conatos eſſe, aut etiam effeciſſe, ſuſpicor, Epiſcopos illos, quos jam Antiochiam confluxiſſe, *Ignatius* prædicat *Philadelphenſibus Cap. X.* Neque vero illud, quod πεζοὺς mitti vult *Ignatius Epiſt. ad Polycarp. Cap. VIII,* quidquam cauſæ huic officit. Nam olim vel potentiſſimarum civitatum legati pedibus longinqua itinera emetiebantur, ſervis, qui munera & veſtes legatorum ferrent, comitibus. Poſſim *Demoſthenis* & *Pauli* exemplum afferre, ſi neceſſe foret. Sed redeo ad legatos illos *Ignatii.* Ii, pro modeſtia, quæ Chri-

ſtianos

ſtianos eumprimis decet, pauperiorum Eccleſiarum Epiſtolas ad Antiochenos ſimul perferebant, ſi in tranſitu eas Eccleſiæ ipſis dediſſent perferendas. Erant igitur hactenus etiam tabellarii.

# III.

# JO. CHRIST. HARENBERGII ORIGINES HILDENESHEMII, BENNOPOLIOS, ET BENNEBVRGI.

## SYNOPSIS.

§. I. *Conjectura de nominis primi origine.* II. *Originatio ex ſilva Hils exploditur.* III. *Originatio ex nive ſacra, Hilgenſchnei, & nive propera, Hildeſchnei, rejicitur.* IV. *Benno Friſius repudiatur.* V. *Benno, ſeu Bernhardus, Dux Saxoniæ, Bennopolin adornavit.* VI. *Idem videtur conſtruxiſſe Benneburgum. Duces Saxoniæ tenuerunt urbis ac arcis imperium.* VII. *Termini Oſtfaliæ.* VIII. *Initia Epiſcopatus.* IX. *Baſilicæ locus olim venationi Imperatorum patuit, antequam ea fuit exſtructa, ac Hildeneshemium exſtitit urbs præfectoria.* X. *De Diplomatibus, ad Hildeneshemenſes Epiſcopos ſpectantibus, ante annum 1044.* XI. *Exponuntur rationes, cur lateant origines oppidi veteris Hildeneshemii.*

## I.

Urbis *Hildesheim*, in Saxonia inferiori ſitæ, ea ſemper fuit gloria & amplitudo, ut ipſa Imperatores, Reges, Duces, & Epiſcopos, oblectaverit, ac per Secula XIII, XIV, XV, XVI, & fœderibus paſſim initis innixa, bellis gerendis haud fuerit inepta.

inepta. Civitatum mixtarum in numero eſt ipſa omnino cenſenda. Imperialibus enim regalibusque privilegiis juribusque gaudet. Libera eſt ipſa a tributis, Epiſcopo penſitandis, ac jurisdictionem eccleſiaſticam tenet. Forma regiminis reſpondet illi, quam Imperatores Romani, iique primi, indulſerunt urbibus, ad Danubium Rhenumque poſitis, ad indolem reipublicæ Romanæ attemperatam. Fovent urbem Duces Brunſuico-Luneburgenſes, defenſores ac patroni a ſenatu populoque Hildeneshemenſi electi. Epiſcopum urbs veneratur dominum, licet ipſi ne obelum quidem pendat, ſed quotannis tantum defenſionem ſpondeat, jure armorum, præſidii, muniendi, ac fœderum, ſit inſtructa, portarumque ſingularum agat dominam. Digna eſt omnino urbs tanti ſplendoris, ut de ejus origine ſolliciti ſint ii, qui rerum Saxonicarum notitiam amant curatiorem. Origo urbis eſt antiquior fundato ibi Epiſcopatu, ſiquidem in locis vacuis & incultis ſedes Epiſcopales non ſolebant condi. Epiſcopatus Hildeneshemenſis origo in annum circiter 815 incidit, teſtibus *Annaliſta Saxone*, & *Martino Fuldenſi*, aliisque. Stetit itaque jam tum civitas Hildenesheim, quam recentior ætas appellavit *Hildeſem*, *Hillesbemiam*, *Hildeſiam*. Sigilla & Diplomata antiquiſſima perpetuo habent *Hildinesheim*, *Hildenesheim*. Erphurdianus antiquus Variloquus *ad annum 814 pag. 470* hæc habet: *Ludewicus Imperator, filius Caroli M., Epiſcopatum Hildenesheim conſtruxit*. *Annaliſta Saxo ad A. 847 pag. 193 Epponem* vocat *Hildinesheimenſem Epiſcopum*. *Wichbertus*, Epiſcopus

Epiſcopus Hildeneshemenſis, A. 894 interfuit Synodo Triburienſi, defunctus anno alio Cal. Nov. Errat *Annaliſta Saxo*, qui, eum A. 883 obiiſſe, refert. *Sigehardus*, Epiſcopus Hildeneshemenſis, A. 896 interfuit jam Synodo Triburienſi, teſte *Tritbemio* in *Chronico Hirſaugienſi* ad eundem annum. Unde intelligitur, *Walbertum* exſtitiſſe *Wigberti* vicarium [a]). Hi Epiſcopi ad unum omnes vocantur *Hildenesbemenſes*. *Annaliſta Saxo ad A. 894 pag. 231* tradidit hæcce: *Synodus magna 76 Epiſcoporum cum Abbatibus celebrata eſt Triburiæ, qui plurima decreta ſuper ſtatu ſancta eccleſiæ ſcripto roboraverunt contra pleroſque ſeculares, qui autoritatem Pontificalem imminuere tentabant, in qua Wicbertus, Hildenesbemenſis Epiſcopus, multum viguit.* Idem *Wicbertus* ad A. 888 teſtis adfuit in decreto Synodi Moguntinæ, quod de privilegiis Abbatiæ Corbejenſis & Herivordienſis inibi fuit promulgatum. In *Rabani Mauri* Epiſtola ad *Herioldum Ebbo* vocatur Epiſcopus in *Hiltbinesbaim*. Locus, in quo baſilica Epiſcopi Hildeneshemenſis fuit exſtructa, antea fuit incultus, teſte *Annaliſta Saxone ad annum 815 pag. 183.* Cœnobium S. Michaelis *Berwardus*, Epiſcopus, in loco incolis vacuo, ac beſtiis aſſervandis accommodato, conſtruxit A. 1001, ac Chriſtianæ doctrinæ

a) Adde, *Sibardum*, Epiſcopum, qui A. 928, 10 Oct. obiit, præſediſſe Epiſcopatui per annos 40, teſte *Catalogo Epiſc. Hild. pag. 153 Tom. II*, ideoque A. 888 cœpiſſe curas vicarias Epiſcopales, *Walberto* tum jam defuncto. *Wichbertus* certe nec A. 883, nec A. 884, obiit.

[illegible] effecit ſeminarium. *Tangmari* fidem appello, qui vitam *Berwardi* ſcripſit, *Cap. 43 pag. 400.* Monaſterium S. Bartholomæi in Sulta condidit *Godebardus* in loco, incolis nudo, A. 1026. Ædem S. Crucis [b]), & S. Martini fortaſſis, *Berwardus* fundavit. Civitas nova *Hildenesheim* exeunte Seculo XII [c]) coli cœpta eſt. Unde intelligitur, vetus oppidum in locis hiſce univerſis haud fuiſſe ſitum, ſed ab æde S. Andreæ ad portam Hagenſem, Almenſem, & orientalem, nec non ſaccum fuiſſe vetuſtiſſima ætate poſitum. Nomen ei obtigit nec a flumine præterlabente, Indiſtria, nec a monte vicino, nec ab Imperatore ullo, nec ab amne Treiba. Probabile idcirco eſt, oppidum florentiſſimum traxiſſe appellationem ex conditore primo, *Hildone*, vel *Hildeno* quodam. *Hildonum* ac *Hildenorum* nomina ea ætate frequentia erant. *Hildonem*, Capellanum quendam, attigit *Annaliſta Saxo ad A. 992 pag. 353. Hildewinus* ſeu *Hildenus* quidam commemoratur in *Vita Godebardi pag. 495 ſeq. Tom. I Leibn. Hilduinus*

b) Sacellum S. Crucis aliud fuit A. 996 dedicatum; aliud A. 1009 conſecratum. Illud erat extra murum urbis, in loco quondam dumis ac vepribus horrido, *im Woolde*, teſte *Tangmaro Cap.* 8, & ad aquilonarem plagam urbis, teſte Diplomate *Henrici II.*

c) Cum Diploma, ab *Henrico VII* Præpoſito Hildeneshemenſis baſilicæ datum, in lucem nondum fuiſſet protractum, credidere viri optimi, Diploma illud A. 1116 ab *Henrico V* fuiſſe profectum, ideoque initia *civitatis novæ* annis centum antiquiora putarunt extitiſſe.

dinus quidam exſtitit Epiſcopus Leodienſis, deinde Veronenſis, ac tandem Archiepiſcopus Mediolanenſis. Morem hujus originationis confirmant exempla. Bruneſvicum traxit nomen ex *Brunone*, Wolferbuttela ex *Wolfherro*, Helmſtadium ex *Helmanno*, ideo ab *Annaliſta Saxone Helmanſtadt* dictum, Volckerſſen ex *Volcwardi* domicilio, Duringesrode ex novali cujusdam Thuringi, Orckshuſen ex *Oderici* domicilio, &c. Antiquior eſt commoratio, dicta Hildesheim, ipſo *Carolo Magno*. Qui enim huic ſcriptores potuiſſent attribuere originem Epiſcopatus Hildeneshemenſis, niſi, Hildeneshemium jam ætate *Caroli Magni* exſtitiſſe, exiſtimaſſent? *Hilden* ſeu *Hildo* ille, qui loco dedit nomen, indubie exſtitit unus primorum Saxoniæ, ſeu Oſtfaliæ, vir libertatis egregiæ, & opibus præſtans. Quis enim ſibi perſuadebit, lithonem vel ingenuum fuiſſe tam locupletem, ut tot agros, & ſpatium tam egregium, oppidi fundamenta, domicilio latiori exſtruendo impendere voluerit?

II. Abeunt in omnia alia viri nonnulli, quorum doctrinam veneror, virtutesque obſervanter colo. Probatur eis originatio, ex ſilva *Hils* deducta. Si loco olim fuiſſet nomen *Hilsheim*, vel Autor quidam ſatis vetuſtus fideique plenus originationem illam docuiſſet, vela profecto ſubmitterem, nec laborarem amplius. Silva *Hils*, olim *Hilis*, diſtat ab oppido Hildenesheim ultra tria milliaria Germanica inter Leinam ac Viſurgim. Inde verſus Hildenesheimium jacet multum ſilvæ. Nusquam vero ibi occurrit appellatio citerioris, ulterioris,

 ſuperioris,

ſuperioris, inferioris, ſilvæ *Hils*, præterquam quod ſilvula quædam in præfectura *Steuerwald*, inter *Uppen* & *Wenthauſen* ad orientem urbis, dimidio milliari ab ea disjuncta, viſitur, ac amnis quidam, inde profluens, vocatur *die Ilss.* Si de oppido *Hilsheim* vel *Ilsheim* ageremus, facile ad hanc viciniorem ſilvam dilaberemur. Inficiari haud licet, viros ſummos ad hanc originationem amplectendam præiviſſe reliquis exemplo ſuo. Nominare liceat *Meibomium*, *Reutelium*, *Calværium*, *Behrenſium*, magna omnino nomina. Non agitur hic de Imperii Romani ſalute, nec Hannibal eſt ante portas, quamcunque tandem originationem delegerimus. Monemus tamen id potiſſime, ſilvam Hils olim quoque vocatam fuiſſe nomine eodem. *Hiliſesgrone* legitur omnino in deſcriptione finium Epiſcopalis diœceſeos Hildeneshemenſis *pag. 155 Tom. II Leibn.* Obverſatur continuo ob oculos appellatio *Hildinesheim*, *Hildenesheim*, nec huc usque apparet ratio, cur denominatio illa antiqua ſit ex *Hilis*, *Hils*, repetenda.

III. *Joannes Leznerus* originationi, quæ ex *feſtinante* ſeu *celeriter lapſa nive*, *Helleſchnei* Saxonice dicta, arceſſitur, inprimis favet. Ajunt vulgo, nivem, cœlitus ſolito celerius lapſam, fuiſſe documentum ædis primariæ & epiſcopalis ibi condendæ, ubi ea nunc viſitur Hildeneshemii. At nivis illius hiſtoriam ſcriptores ignorant antiqui, & originationem illam ſatis contortam hodie explodunt omnes. *Annaliſta Saxo ad A. 815 pag. 183*, reliquias ſanctæ Deiparæ Mariæ mirifico eventu firmiſſime arbori, tradidit, adhæſiſſe in eo, quo

baſilica Epiſcopalis fuit poſthæc exſtructa; loco. Sed de nive illa, quam Scriptores, Seculo duodecimo recenciores, addiderunt ex penu ſuo, ii tacet prorſus. *Conradus Botho* nivem illam fabuloſam meminit in *Chron. Brunſu. pictur. pag. 297 Tom. III Leibn.*

IV. Originem urbis Hildenesheim deducunt Scriptores, quorum merita perſtant inviolata, & a nobis ſummi fiunt, ad *Bennonem Friſium* quendam. Si ipſi genuina proferrent Diplomata, ſi ipſi ſcriptores ætate & fide commendabiles exhiberent, ſi traditionem certam & incorruptam oſtenderent, ac dubitantibus offerrent, res ipſa eſſet ad liquidum perducta, nec laboraremus. Non equidem nudius tertius ea exorta fuit de *Bennone* illo commemoratio. Exſtat in Bibliotheca Wolferbuttelana *S. Bennonis* libellus *de Dictamine, ſeu de conſcribendis epiſtolis*, manuſcriptus. In Codice, qui eum continet, exſtat præter alia etiam *Henrici Francigenæ gemma*, id eſt, libellus de conſcribendis epiſtolis, inſcriptus *Petro, divino munere Severianæ domus Canonico Sacerdoti.* Paginæ, quæ hujus libelli initium præcedit, quidam majuſculis literis hæc verba inſcripſit, ignotum, quo conſilio, qua ætate: *Benno, Bennopolitanus quondam pater, reverendo in Chriſto Domino, Annoni, Colonienſi Archiepiſcopo, Segeberto quoque, Abbati Bennopolitano, foris ciuitate ſalutem.* Epiſtola hinc ſequitur nulla. In Codice eodem habentur *S. Bennonis Expoſitiones breves ſuper Evangelia dominicalia.* Statim poſt haſce apparent hæc verba, deleta quidem, ſed quæ adhuc tamen legi poſſunt:

*Anno Domini 577 fundatur Bennopolis, nunc Hildeneshheim nuncupata, tempore Tiberii Cæſaris.* Illuſtris quondam G. G. *de Leibniz* in *Introductione ad Tom. II Scriptor. Brunſuic. pag. 35* hæc in notitiam perduxit. Hæc autem verba vocat *fabuloſa*. Anno certe 577 *Tiberius* exſtitit nullus, qui eo anno Cæſarem egerit. *Tiberius II* anno demum 578 Septembri menſe a *Juſtino* altero in conſortium imperii adſcitus fuit. Quod ipſum momentum ſolide animadvertit *Leibnitius*. Ignoratur ſcriptionis autor, ignoratur ſcriptionis tempus, ignoratur ratio, qua ad incompertum autorem relatio illa pervenit. Quis novit, an ſcriptor verborum fabuloſorum ſerio voluerit agere? Cur alter delevit verba, ſi, eis ineſſe inſignem veritatem, exiſtimavit? Verba profecto illa non videntur cuiquam potuiſſe detrimento eſſe. Id tamen haud inficiamur, Hildeneshemium olim appellatum eſſe Bennopolin. *Bernwardus* enim, Epiſcopus Hildeneshemenſis, A. 1022 in Diplomate, quo Monaſterium S. Michaeli ſacrum dedicavit, ac confirmavit, ſeſe vocavit *intronizatum Bennopolitanæ eccleſiæ* apud *Tangmarum Cap. 45 pag. 462 Tom. I Leibn.* *Joannes Legatius* in *Chronico Cœnobii S. Godehardi* Hildeneshemium æque *Bennopolin* appellavit *§. 13 pag. 418 Tom. II Leibn.* *Wernerus Rolewinck, de antiqua Saxonia* commentatus, *Lib. II Cap. 8 pag. 628* hæc ſcripſit de origine Epiſcopatus Hildeneshemenſis: *Nona eſt eccleſia Hildenſemenſis, fundata in honorem S. Mariæ Virginis. Hanc tamen Carolus in Aulica primum fundaverat, ſed, morte preventus, non complevit.*

*plevit. Filius autem ejus eam transtulit in locum, qui dicebatur Bennopolis, pretioſo miraculo præeunte, dans in primum Epiſcopum ſanctum Guntharium anno 796.* In anno eſt erratum. Quod ipſum indicio eſt, *Wernerum*, qui exeunte Seculo XV intra Cartuſiam Colonienſem egit ſcripſitque, Hildeneshemii origines ex profeſſo haud diſpexiſſe. Epiſcopatus illius originem ad Aulicam ſeu Elze retulit veterum nemo, qui ætate fideque præſtant. Teſte *Annaliſta Saxone Carolus Magnus* collocavit in loco Aulicæ *directos præfectosque ſacerdotes.* Epiſcopum ibi exſtitiſſe ea ætate, argumentis ponderoſis demonſtrari non poteſt. Collegium vero illud ſacerdotum fuiſſe ſeminarium, occaſionem, & originem condendi Epiſcopatum in confinio, quisque ſibi haud ægre perſuadebit. *Joannes Leznerus* probe pervidit, *Bennonem* illum *Friſium*, quem nonnulli recentiorum pro conditore urbis Hildeneshemii reputant, eſſe heroem commentitium, in gratiam *Freſiorum* olim effictum. Quam ob cauſam *Bennonem* illum eliminavit, ac alium cognominem circumſpexit. Incidit autem ipſe in *Bennonem*, Monachum Cœnobii S. Michaelis, e Comitibus *Woldenbergiis* procreatum, qui Epiſcopo *Berwardo* fuit ſuperſtes, & cujus vitam *Hieronymus Emſerus* A. 1512 in forma folii apud *Melchiorem Lotterum* Lipſiæ typis publicis exprimendam curavit. Exiſtimavit *Leznerus*, ab hoc *Bennone* oppidum Hildenesheim dictum fuiſſe Bennopolin, oppidanis ſcilicet perſuaſurus, Bennopolin nullam ante baſilicæ epiſcopalis primordia exſtitiſſe. At quis animum in-

ducet ad credendum, a *Bennone* ſacerdote, Monacho & Abbate S. Michaelis, Capellano regio Goslarienſi, ac Epiſcopo Misnenſi, Hildeneshemium appellatum fuiſſe Bennopolin? *Emſerus*, qui nihil eorum omiſit, quæ *Bennonis* hujus gloriam augere queunt, hic profecto tacuit, ratus, Hildeneshemium a *Bennone* quodam, conditore, eoque *Friſio*, appellationem *Bennopolis* traxiſſe. Vide ejus *Caput* I. *Caldruſius*, *Spalderus*, *Mæckerus*, & Pl. Rev. *Joachimus Berwardus Lauenſteinius*, ſtant ab *Emſero*, qui pronuntiato ſuo nil demonſtrationis adjunxit præter illam formulam vulgarem; *ut ajunt*. Nomen ſane oppidi celebratiſſimi antiquiſſimum, receptum vulgo, & tritiſſimum, non eſt Bennopolis, ſed Hildeneshemium. Nec ulla ante *Berwardum* fit mentio Bennopoleos. Sollicitavi ac evolvi monumenta univerſa, quotquot reperire & exquirere potui, viſurus, quandonam & qua occaſione Hildeneshemium appellatum fuiſſet Bennopolis. At irritum impendi laborem, nec ultra *Berwardi* Diploma progredi licuit. De *Bennone Friſio* apud ſcriptores locupletis fidei ætatisque juſtæ altum eſt ſilentium. In Archivo oppidi Hildesheim chartæ haud exſtant, Seculo XII antiquiores. In Archivo Epiſcopali pauca reſtant, Seculo illo vetuſtiora, Diplomata. Sed, licet hæc verſaveris, volveris, & revolveris, nihil tamen inde colligi poteſt, quo appellationem *Bennopolis* exquirere vel firmare queas. Fundationem Epiſcopatus Hildeneshemenſis memoriæ prodiderunt viri eccleſiaſtici, quæ quippe ipſis videbatur memoratu digna. At, qui de origine urbis ſcripſerit,

è vete-

e veteribus Seculi noni ac decimi ſcriptoribus ſupereſt nemo. Ii, qui ab Epiſcoporum partibus ſtare ſolent, contendunt, oppidum vetus Hildeneshemium fundatione Epiſcopatus eſſe recentius, atque originem ab Epiſcopis traxiſſe. Oppidani e contrario jam inde a Seculo XIII in contraria eunt omnia, exiſtimantes, oppidum Epiſcopatu eſſe antiquius. Quæ ipſa ſententia canonibus Conciliorum & conſtitutionibus eccleſiaſticis eſt conſentanea. Origo autem oppidi huc usque manet incerta. Solent ea, quæ a tenuiſſimis initiis ad gloriam & amplitudinem evehuntur, initio negligi, nec in literas redigi. Accedunt aliæ quoque rationes. Chriſtiani, in Saxoniam adſciti, annales gentium, a Chriſto averſarum, ab oculis animisque hominum removerunt. Nihil itaque ſcriptorum reſtat, a Saxonibus nondum Chriſtianis profectum. Deinde intererat ætatis ſubſecutæ, ne jura Regum in urbes, ne privilegia urbium antiqua, ne inſtituta urbium priſca, in animis hominum perennarent. Incendia & bella hauſerunt plurima literarum monumenta. Nec priſca ſic ferebat conſuetudo, ut ſingula acta in literas referrentur. Senio qui præſtabant in Collegiis, olim erant inſtar Archivorum, & Bibliothecarum. Damnum vero in poſteros inde diffuſum fuit irreparabile, quod qui fictionibus ſupplere tentarunt, non potuerunt non ab aliis convinci ac redargui novitatum.

V. *Benno II*, ſeu *Bernhardus*, Dux Saxoniæ, pagorum Scotelinge, Tilithi, Marſtem, & aliorum, Comes, videtur Hildeneshemium juſſu Regis amplificaſſe, mœnibusque latioribus cinxiſſe. Ex

ipſo videtur appellatio Bennopolios & Benneburgi exorta. Rationes conjecturæ huic ſtabiliendæ afferri ac ſuppeditari poſſunt nonnullæ, haud prorſus contemnendæ. Ducum erat, providere, ut exſtarent munimenta, in quibus præſidiarius miles degere poſſet. Ducum erat Saxoniæ, Comites Oſtfaliæ tutari, eorumque conſulere ſecuritati. *Berwardus* Hildeneshemii natus & educatus fuit: Id intelligitur ex *Compendio Vitæ* ejus *pag. 481 Tom. I Leibn.* Avus ejus erat *Adalbero*, Palatinus Comes Saxoniæ, Hildeneshemii ſolitus commorari. Filia *Adalberonis* erat *Berwardi* mater. Frater ejus *Tammo* exſtitit Comes, Imperatori gratus, & *ad Regis imperium inſedit paternum caſtellum*, teſte *Tangmaro* in *Vita Berwardi Cap. 38 pag. 456.* Pater ejus vocatur in interpretatione *Tangmari* Germanica *Ditericus*, nobilis Comes in Sommerſeburg. At verbum *Sommerſeburg* abeſt a Manuſcripto *Tangmariano* Wolferbuttelenſi *Cap. 38*, & id a Latinis exemplaribus univerſis abeſt *Cap. I*. Suſpicio me dudum inceſſit, *Ditericum* Hildeneshemii egiſſe, ibique paternum tenuiſſe caſtellum, ut jus diceret inibi, & per partes aliquot Saxoniæ Comes eſſet. Anno enim 1022 *Tammo* per pagum Aſtfalo tenuit præfecturam a Rege, teſte Diplomate *Henrici II* ad eum annum, apud Pl. Rev. *Joachimum Berwardum Lauenſteinium* in *Hiſtoria diplomatica Epiſcopatus Hildeſienſis pag. 268.* Unde perſpicitur, Hildeneshemium ea ætate fuiſſe præfecturam Regis in pago Flutwide. Quis vero negabit, veritati eſſe minus conſentaneum, *Bennonem*, ſeu *Bernhardum*, muni-

viſſe

viſſe ac dilataſſe urbem præfectoriam Hildenesheim? Adde, quod Berwardi ætate Hildeneshemium fuit ampliori ambitu muriſque circumdatum. Tangmarus quidem opus hoc ex parte Berwardo ſuo tribuit. At ſcriptori illi ſolenne eſt, extructiones ejusmodi Epiſcopis Hildeneshemenſibus aſſignare, quæ non juſſu ipſorum, ſed conſilio & opera tantum, effectui fuerint data [d]. Urgebant tunc barbari Saxonas latrocinando, & furorem ſuum fere Hildeneshemio intentabant, teſte Berwardi biographo Cap. 6 pag. 444. Nonne proinde fuit officium Ducis Saxoniæ, ut is oppida permuniret, & barbarorum incurſionibus clauſtra opponeret? Offert ſeſe etiam origo Bennopoleos, dictæ ex Bennone quodam. Vellicat autem illud, quod ſupra jam obſervavi, nempe Hildeneshemium a Berwardo demum Brunopolin appellatum fuiſſe, & appellationem novam demum per uſum denominationis vetuſtæ fuiſſe profligatam.

VI. Eandem ad originem refero caſtrum Bennebnrgum, quod prope Carthuſiam veterem ad occidentalem urbis plagam ſtetit, quemadmodum ſolide demonſtravit beatus D. Conradus Berthold Behrens in Vindiciis Benneburgenſibus P. LXXVIII Act. Erud. Germanic. pag. 438 ſeq., ac apud Leibnitium in Introductione ad Tomum II Scriptorum Brunſuicenſium pag. 35. Euerhardus de Lutere Seculo XIII inde oppidanis multa intulit damna. Illud in ditione oppidanorum haud



d) Vide ejus Cap. 15, 13, 6.

erat, tantum abeſt, ut id fuerit ordinatium oppidanorum caſtellum. Quam ob cauſam Senatus Hildeneshemenſis illud A. 1249 a *Bartholdo* poſſeſſore emit, deſtruxit, locumque vendidit civi ſuo *Arnoldo de Dammone*. Pagus Scotelinghe, in quo exſtabant *Hemedesduri*, id eſt, Himmelsthür, & *Hoiershem*, id eſt, Heierſſen, erat A. 1022 in præfectura Ducis *Bernhardi* ſitus. Quid itaque eſt credibilius, quam Ducem *Bennonem* ibi ſedem Comitivæ ſeu præfecturæ ita caſtello muniviſſe, ut id urbis præfectoriæ Epiſcopique foret præſidium ac barbarorum obex? Perſtitit poſthac eadem Ducum Saxoniæ in Hildeneshemium bellica poteſtas usque ad *Henricum Longum*, ex *Henrico Leone* natum. Hinc videtur innoteſcere ratio, cur *Henricus Leo* Hildeneshemium vocaverit *urbem ſuam*. Poſt *Henrici Leonis* proſcriptionem poteſtas bellica & præſidiaria, atque jurisdictio criminalis, translata fuit ad ſenatum Paleo - Hildeneshemenſem.

VII. Situm autem fuit Hildeneshemium in Oſtfalia. Ad Leinam verſus Coppenbrügke inde a Poppenburgo commorati fuerunt *Valii* in tractu Valen. Inde juxta Viſurgim *Weſtvali* habitarunt. Circa Hildeneshemium habitarunt Oſtfali. Oſterluidi, ſeu *Oſterlingi*, prope Scheppenſtadium genuinas tenuerunt ſedes, ubi reſtant loca, *Oſterling* dicta, unde videtur pagus *Derling* appellationem traxiſſe. *Nic. Hier. Gundlingius* Valiorum appellationem deduxit ex fluvio Belgio *Vahali*, Wahl. Oſterlingos ad Obacrum ſeu Ockaram flumen commoratos fuiſſe, memoriæ jam prodidit Poeta

Anonymus

Anonymus Saxo *ad A. 775.* Idem *ad Annum 772 pag. 121* hæc habet:

*Denique Weſtvalos vocitant in parte manentes*
*Occidua, quorum non longe terminus amne*
*A Rheno diſtat. Regionem ſolus ad ortum*
*Inhabitant Oſterlingi, quos nomine quidam*
*Oſtvalos alio vocitant, confinia quorum*
*Infeſtant conjuncta ſuis gens perfida Sclaui.*
*Inter prædictos media regione morantur*
*Angarii, populus Saxonum tertius. - - -*

Sumuntur ſcilicet denominationes illæ nunc latius, nunc anguſtius. Diſtinguenda tamen eſt omnino provincia ſeu regio Oſtfalia a pago tractuque Oſtfaliæ, ſeu Aſtfalo. Illa fuit latior, hic vero anguſtior. Hildineshemium ipſum pago huic annumerari unquam, Diplomata genuina, huc usque prolata, nondum ſignificarunt, niſi hic Diploma *Henrici II*, quo bona Cœnobii S. Michaelis A. 1022 confirmaſſe traditur, veniat in cenſum. Id enim oppidum ſedem præbuit Comiti Palatino, ni fallor, Comiti certe ac præfecto Regis, a cujus ſede videtur denominata *Caſtelli platea*, die Burgſtraße. Termini Oſtvaliæ ad Albim usque & Rhenum, ad Herciniam & Hammaburgum usque, patuerunt. Thuringorum ac Oſtvalorum fines non ſemper fuerunt iidem. Aichsfeldia & Scheidinga ſæpius limitem amborum accolis ſuppeditavit. In pago Oſtfaliæ, ſeu Aſtfalo, Oſtfalaha, ſita fuerunt loca, quæ Hildeneshemio ad Hannoveram, Peinam, Brunſuicum fere, & inde per caſtellum Steinbrück ad portam Hildeneshemii Vreſenſem, vergunt. *Lutea villa* tandem ubi ſita fuerit in hoc pago,

pago, varie fuit diſputatum. Pl. Rev. *Lauenſteinius* litem ſuſtulit, docens, *luteam villam*, ſeu Kohtdorf, ſitam fuiſſe in præfectura Steuerwalde inter vicum montanum S. Mauritii & villam Himmelsthür in radicibus montis Kreila. *Berwardus* eam ex parte donavit Coenobio S. Michaelis, nominatim prædium 33 manſorum cum molendino. In *Plenario S. Berwardi*, *ad A.* 1321 confecto, leguntur hæc verba: *In lutea villa habemus unam caſam, & duas curtes unter dem Kreilah.* In Diplomate *Berwardi*, Coenobitis S. Michaelis dato, leguntur hæc: *Trado* - - *villam meam Luti villam, Stemnum quoque, quantum nunc inveſtitura ejusdem eccleſiæ poſſidetur, Ekiſem, quantum ibi poſſidemus, Auveningaroth, quod noſtri juris eſt, Eganſtedi, quod ibi poſſidemus*, &c. Reſtat determinatio villæ Biſcopesrothe. Ipſa non exponi poteſt per Wisperodam ſeu Bisperodam præfecturæ Wickenſen. Pagus Aſtfalo eo usque haud patuit. Rothe ſeu Rode ſupra Derfurtum, villa deſolata, a me fuit huic adſcita. Monuit autem idem *Lauenſteinius*, pagum ibi extitiſſe Flenthigau. Non intercedam ei animadverſioni. Manet itaque ſitus villæ Biſcopesrothe adhuc incertus, æque ac villarum *Hedilenthorp*, *Tieresheim*, & *Egenheim*. Inter oppidum Hildeneshemium ac caſtrum Steuerwalde reſtat locus villæ deſolatæ *Olendorp*. Quæri poteſt, an in ea lateat villa Hedilenthorp. Reliquas pagi Aſtfalo villas determinavi in *Novis Eruditorum Actis A.* 1741 *Menſ. Mart. Part. II pag.* 173. Tandem ſuſpicio animum inceſſit, ut divinarem, villam Egenheim vocari nunc

*Einem*,

*Einem*, ſeu *Emen*, in proximo urbis ac præfectura Steuerwalde ſitum; atque Thieresheim eſſe *Sierſe* villam in præfectura inferiori ſeu provinciali Betmar, advocatiæ majori Wolferbutelanæ innexa, inveniendam. Hildeneshemium ipſum in Diplomate *Henrici II*, A. 1013 d. 2 Mart. Werlæ dato, dicitur eſſe *in page Aſtfala* ſitum. De quo Diplomate exponemus infra §. XI.

VIII. Saxonicas gentes ad defectionem ac ſeditiones facillime propendiſſe, compertum habuit *Carolus Magnus*. Ut igitur eas haberet pacatas & fidas, manſuetam Chriſti doctrinam animis eorum curavit inſtillandam, opera uſus miniſtrum ſacrorum & Epiſcoporum, quos, huic deſtinationi aptos, deligere, ac in Saxoniam emittere, ſolebat. Tramitem eundem inſtitit filius ejus, *Ludovicus Pius*. Huic inſtituto initia & origines debet Epiſcopatus Hildeneshemenſis. *Annaliſta Saxo* omnium copioſiſſime fundationem celebratiſſimi hujus Epiſcopatus expoſuit *ad A. 815 pag. 182, 183*. Operæ pretium fuerit, verba nonnulla ex eo huc transſcribere: *Karolus Magnus, Imperator, poſtquam diu infrenem & Chriſtiani nominis tunc immunem Saxoniam longo tandem bello mollitam, fidei catholicæ impreſſit ſigillo, inter cetera Saxoniæ loca, quæ Epiſcopalibus ſublimanda ſedibus decrevit, Aulicam villam, ab inſigniente eundem locum Regis aula appellatam, &, ubi Sala fluvius parvus, ſed piſcoſus, Leinæ influit, ſitam, ſede Epiſcopatus dignam judicavit, tum propter delicatam ipſius loci amœnitatem, tum propter confluam negotiandi amœnitatem, quippe cum inter Eresia, de Wiſara*

*per Leinam adſcendentes, eundem locum locupletare, publicus etiam uſitatiſſimusque viarum tranſitus celeberrimum reddere, poſſent. Quo decreto Carolus, Auliſenſis Eccleſiæ primam fundamenti petram ipſe ponens, eandem eccleſiam, quaſi primitias Saxoniæ & deſudati Chriſto triumphi titulum, fundato ſuper petram, quæ Chriſtus eſt, cæli clavigero dicavit, & ſubſequenter morato ibidem Pio Imperatore, ad primam usque cementarii ſtructuram murus ejusdem ſurrexit Eccleſiæ. Carolo autem, quoad vixit, ad promovendas ordinandasque in Epiſcopatus, & hanc, & alias, quas conſtruxit, Eccleſias, impedito, & ex negotiis bellorum, & penuria prædiorum, Aulicenſis interim Eccleſia per directos præfectosque ſibi a ſuo conditore ſacerdotes - - gubernata, adjacenti provinciæ eccleſiaſticæ legis erat magiſtra, & religionis Chriſtianæ evidens forma, loco, quem nunc Hildenesheimenſis illuſtrat Eccleſia, deformem adhuc ſitum paſſo, domeſticis adhuc paludibus obducto, ſilvis horrido, venatui tantum apto. - - Rex Ludovicus - - principalem Epiſcopi cathedram, quam prius apud Aulicenſem Eccleſiam a patre ſuo fundatam, & a ſe tantopere celebratam, honori Principis Apoſtolorum attribuere decrevit, ſacello Dei genitricis conceſſit, eique probatæ religionis Guntarium primum Epiſcopum præfecit. - - Præceptum eſt ab Imperatore Ludovico, ut omnes Monachi curſum S. Benedicti decantarent.* Monachi hi quales fuerint, indicat paulo ante commemorata *fratrum celebritas, & canonicalis religio.* Conf. *Fundat. quarundam Sax. Eccleſiarum pag. 260 Tom. I Leibn.*

*Catalogus*

*Catalogus Epiſc. Hildinesh. pag. 772 Tom. I Leibn. Chronicon Epiſcop. Hildenesh. pag. 784 Tom. II Leibn.* Locus ipſe vocatus fuit *monaſterium*, in quo Epiſcopus agebat, teſte *Chronico Epiſc. Hildenesh. pag. 743, 747, Tom. I Leibn.* Origo Epiſcopatus incidit in annum 815, quo *Guntherus* Hildeneshemium venit. Ipſe enim ac *Rembertus*, ipſius ſucceſſor, præfuerunt eccleſiæ annos viginti, teſte *Annaliſta Saxone ad A. 815 pag. 184. Rembertus* vero obiit diem ſupremum ſecundo Idus Februarii [e]) anno 836, ſeu anno 835 potius, quo [f]) *Ebbo* Hildeneshemium a *Ludovico* Imperatore fuit ad fungendum Epiſcopatu relegatus. In *Catalogo* quidem *Epiſcoporum Hildeneshemenſium*, ex Chronicis *Eggehardi*, Vragienſis Abbatis, ſumto, leguntur hæc: *Reybertus obiit 725, Tomo I Leibn. pag. 772.* At, cum *Albertus Kranzius* aliique Scriptores hoc Catalogo uſi fuerint, qui *Rembertum* A. 735 obiiſſe tradidere, inde eſt perſpicuum, in illum *Leibnitii* locum erratum librarii vel typothetæ irrepſiſſe. Firmatur ille annus *Remberti* emortualis 735 e *Chronico Hildenashemenſium Epiſcoporum pag. 442 Tom. I Leibn.* ac alio *Hildeneshemenſi Chronico pag. 785 Tom. II Leibn.* Cum vero *Rembertus*, quem alii *Rainwarium*, *Reybartum*, & *Frembertum*, appellant, paucis menſibus baſilicæ & monaſterio Hildeneshemenſi

præfuerit,

e) *Necrologium Hildeneshem. pag. 763 Tom. I Leibn.*

f) *Annaliſta Saxo ad A. 837 pag. 191, Botho Chron. picturat. pag. 298 Tom. III Leibn. Alb. Kranzii Metrop. I, 27.*

præfuerit g), cogitur inde efficiturque, *Gunthe-rium*, ſeu *Guntherum*, A. 835 obiiſſe h), quinto Julii die i). Condidit *Guntherus* templum S. Cæciliæ, duabus turribus conſpicuum, prope Mariæ Virginis ſacellum, a *Ludovico* Imperatore inchoatum, ſi Chronicis quibusdam ſit fides. Vetus ſcriptor fideique plenus k) hæc prodidit memoriæ: *Sacellum Hildeneshemenſe, a Rege Ludovico conſtructum, & Sanctæ Mariæ dicatum, perduravit in ſibi digno religionis cultu, non adjuncto ſibi alio opere usque ad Altfridum, quartum præſulem ipſius Eccleſiæ. Gunthorius enim, primus ejus Epiſcopus, Epiſcopalem Eccleſiam, in qua principalis fratrum Clerus Deo ſerviret, cum duabus turribus remotius a dicto ſacello in meridiano ejus latere conſtruxit, & principaliter in honore S. Cæciliæ Virginis dedicavit.* Sacellum itaque *Ludovicianum* ad ſeptentriones templi illius Epiſcopalis fuit ſitum, ac reſtat ejus ſimulacrum inter muros periſtyliorum ad Orientem Baſilicæ Azelinianæ, quæ adhuc exſtat. Ædes *Guntheri* illa fuit ſatis exigua. Legitur enim de eo in *Catalogo Epiſcoporum Hildeneshemenſium* l): *Hic Capellam in cimiterio ædificat.* Templum Epiſcopale, quod oculos ſpectatorum provocat adhuc, exſtruxit *Altfridus*, Epiſcopus quartus, intra annos 26, ac illud ſolenniſſime de-

dicavit

g) *Chronica Epiſcop. Hildenesh. & Abb. Monaſt. S. Michael.* pag. 785 Tom. II *Leibn.*
h) *Ibidem pag.* 785.
i) *Necrol. Hild. pag.* 765 *Tom. I Leibn.*
k) *Annaliſta Saxo ad A.* 835 *pag.* 183 *ſeq.*
l) *Tom. II Leibn. pag.* 152.

dicavit A. 872 Cal. Nov. in honorem Dei, Deiparæ Virginis, *Cæciliæ* Virginis, *Tiburtii*, *Valeriani*, *Coſmæ*, & *Damiani* [m]), adſtantibus Epiſcopis, *Rimberto Bremenſi*, *Luithardo Paderbornenſi*, *Theoderico Mindenſi*, ac Abbate Corbejenſi *Adalgario*. Perhibetur idem fundaſſe Cœnobium, virginum Deo addictarum cauſa, in honorem Dei ac *Mariæ Magdalenæ*, & quidem in loco, quem nunc aula occupat Epiſcopalis. Hymnos illæ dicuntur decantaſſe in dies infra turres baſilicæ, ubi nunc organon viſitur pnevmaticum, muſurgiæ eccleſiaſticæ dicatum. *Othwinus*, Epiſcopus decimus, Romæ reverſus, Patavio corpus *S. Epiphanii* Hildeneshemium transtuliſſe [n]), idque in ædicula nova, turrium lateri meridiano adjuncta, aſſervaſſe, dicitur. Renovavit ædiculam illam Epiſcopus XIV *Goſtebardus*, A. 1057 defunctus, ac ei auctæ adjunxit Cœnobium *Adſcenſionis Chriſti* pro Clericis, qui libros deſcriberent, pingendo ſeſe exercerent, ac præcipue Deum colerent [o]). Dolendum ſane eſt, quod ante annum 1044 ædificia baſilicæ omnia & periſtylia ſingula, templo Epiſcopali circumfuſa & adjuncta; flammis exitioſis fuerunt conſumta [p]). Poſthæc deſiit ibi Canonico-Monachiſmus,

m) *Annaliſta Saxo ad A. 872 pag. 210, Chron. Epiſc. Hild. pag. 743 Tom. I Leibn. & pag. 785 Tom. II Leibn. Annales Hilden. pag. 715 Tom. I Leibn.*

n) *Translatio reliquiarum Epiphanii pag. 257 ſeq. Tom. I Leibn.*

o) *Chron. Hild. Tom. I Leibn. pag. 744, Chronicon Engelhuſii pag. 104.*

p) *Chron. Epiſc. Hild. & Abb. Monaſt. S. Michael.*

 *pag.*

nachiſmus, & *Azelinus*, Epiſcopus, ædificia baſilicæ maximam partem immutavit, ac denuo exſtruxit.

X. Erant Imperatoribus Carolingicis atque Saxonicis ſua per Saxoniam palatia, aulæ, curtes, & ſacella, ſeu capellæ. In ſacellis ſacra fiebant, & acta publica deponebantur. Devotionem ſolebant ea ætate homines erga Deum accendere reliquiis corporum, quibus olim ſanctæ mentes fuerant indutæ. Quare non eſt mirum, Imperatores cuſtodiam ſacelli, cultus divini tractationem, acta publica, & reliquias, tradidiſſe viro fido ac ſacerdoti. Huic eam ob cauſam nomen *Capellani* fuiſſe, norunt omnes. *Caroli Magni capella aulica* ſæpius, ac ad extremum conſtanter, exſtitit in eo loco, qui inde *Aulica* fuit denominatus. Commemorandum eſt porro, Reges ac Imperatores illos aluiſſe in locis ejusmodi præfectos ſeu Comites ſuos, habuiſſe ibi diverſoria, canes venaticos, vivaria, venatores, piſcatores, miniſtros minores, vineasque ob vinum plebis euchariſticum, domicilia judiciorum q), ſeu malberga, molendina, nonnunquam monetæ officinas. Loca, paludibus rivisque paſſim diviſa, appellari ſolebant olim *broili* r), Brüchels, Brühls. Silvæ, e quibus ligna petebantur, & in quibus venationes exercebantur, dici conſueverant *foreſta*, Forſte. Palatiis curtibusque, ſeu prædiis regalibus, inſignes ejusmodi plerumque circumvicinæ erant ſilvæ. Exſtitit Hildeneshemii

præfectus

*pag. 789 Tom. II Leibn. Annaliſta Saxo ad A. 1044.*

q) *Chronici Gottwicenſis Tom. I Lib. III pag. 443 ſeq.*

r) *Jo. Georg. Eccardi Cenſura Diplomatis Carolini de Scholis Osnabrugenſis Eccleſiæ* §. 36 *pag. 24 ſeq.*

præfectus ſeu Comes Regius, ac urbs ipſa fuit e præfectoriarum genere. Exſtat inibi locus *Brühl*, major & minor. Foreſta circum eam exſtiterunt ſpatioſa, quorum partem *Henricus IV* anno demum 1062 *Helizoni*, Epiſcopo, donavit [s]). Oſtenditur locus vineæ ad ſeptentriones Cœnobii S. Michaelis, jam Seculo X vocatus *Wingarde*. Venatus fuit *Ludovicus Pius* ad Hildeneshemium. Locus enim paludibus ibi erat obductus, venatuique aptus [t]). Attulit eodem regiæ capellæ reliquias, ibique condidit ſacellum, eique adjunxit Capellanum, quem ætas ſubſecuta Epiſcopum vocavit. *Adalbero* inibi indubie poſthæc palatio Regis præfuit. Præfecturam exercuit ejus ex filia nepos, *Tammo* Comes. Unde facillime intelligitur, Hildeneshemium ea ætate exſtitiſſe urbem quodammodo Imperatoriam, ſeu regalem, ſacello adjuncto nobilitatam, Comitis jurisdictioni commiſſam. Cum vero, imperantibus *Henrico IV* & *V*, Saxoniæ proceres poteſtatem ſibi compararent majorem, eamque hæreditariam, Epiſcopis etiam libuit jura Regum magnam partem ſibi vindicare. Ex eo tempore cœpit eis ſimplicitas anteceſſorum minus probari. Ipſi enim occaſionem a Deo ſuppeditatam in uſus ſuos verterunt, bona & prædia, & homines eccleſiarum ſuarum, a præfectis & Comitibus liberarunt, ſumtus, qui Ducibus erant ſubminiſtrandi, haud amplius ſolverunt, prædia

 auxerunt,

s) *Schatenii Annal. Paderborn. P. I Lib. VI ad A. 1062 pag. 555 ſeq.*

t) *Annaliſta Saxo ad A. 815 pag. 183.*

auxerunt, Comitatus, ſeu Comitivas, ſibi acquiſiverunt, jus monetæ, venatus, & foreſti [u]), obtinuerunt, ac demum advocatos templorum paſſim ſuſtulerunt. Tandem magna ipſorum pars ad Principatum imperii fuit evecta. Lubet in præſens reſpicere ad Epiſcopos Hildeneshemenſes *§. XI.* Dolendum profecto eſt, quod Diplomata, Epiſcopis illis data, quæ vulgo circumferuntur, & a Regibus profecta exiſtimantur, ſunt ſuppoſititia uſque ad *Henrici III* ætatem. Videntur incendio, quod, præſidente *Dietmaro*, fuit baſilicæ funeſtiſſimum, Diplomata omnia, illis Epiſcopis impertita, conflagraſſe. Diploma, quod *Ludovico Pio* tribuitur, continens determinationem diœceſeos Hildeneshemenſis, caret forma diplomaticâ. Edidit illud *G. G. Leibnitius Tom. II Script. Brunſuic. pag. 155. Altfridi*, Epiſcopi, Diploma, quo Cœnobium Lammeſpringe putatur A. 872 confirmatum, ſigillo minus genuino & ſcriptura recentiori conſtat. Ediderunt illud *Chriſt. Frid. Paullini* in *Hiſtoria Collegii Virginum Visbeccenſium pag. 10 ſeq.* & *Jo. Ge. Leuckfeldius* in *Antiqu. Gandersh. Cap. 25 §. 10 pag. 287 ſeq.* Tribuitur *Ludovico Germanico* Diploma, quo initia & fundatio Cœnobii Lammeſpringenſis confirmata creduntur, annum 873 referens. Edidit illud æque *Leuckfeldius* loco laudato *pag. 290 ſeq.* Sigillum Diplomati huic adhæret, Rege illo prorſus indignum. *Ludovicus* in eo vocatur *Romanorum Rex*, qui tamen Germaniæ tantum faſces tenuit. Æra Chriſtiana ei eſt ſubnotata.

u) *Chronicon Epiſc. Verdenſ. pag. 215 Tom: II Leibn.*

notata. *Ricdagus* fundator in eo Diplomate vocatur *illuſtriſſimus Princeps.* Quæ ſigna ſingula, Diploma eſſe minus genuinum, ſignificant. *Arnulfinum* Diploma, ad A. 892 datum, & a *Jo. Ge. Eccardo* in *Hiſtor. Geneal. familiarum Saxoniæ pag. 295* editum, ad quod Ven. *Gothefredus* provocat [x]), eſt æque minus genuinum, uti ex inſpectione pateſcit. Exſtat illud in Archivo Epiſcopali Hildeneshemenſi. *Addaingas* ſcripſit architectus, denotaturus Odingas, id eſt, Oettingam, ubi *Arnulfus*, teſte *Alberico ad A. 902*, fuit ſepultus. Diploma, quod *Ecberto* Comiti A. 892 traditur eſſe datum, ab eodem *Eccardo* ex Archivo eodem editum *pag. 297*, commentitium Epiſcopum Hildeneshemenſem *Engelmarum* præfert. *Ottonis Magni* Diploma, quod exhibet annum 940, & complectitur confirmationem fundati Cœnobii Ringelheimenſis, ab *Immedo* exſtructi, eſt pariter ſuppoſititium. Evulgavit illud *Jo. Ge. Eccardus* in *Præfat.* ad librum laudatum *pag. 6.* Teſtes inibi inter vivos numeratur *Altfridus*, Epiſcopus Hildeneshemenſis. Quod ipſum eſt indicio, Diploma ſeriori ætate ab imperito homine fuiſſe confictum. *Otto III* dicitur A. 1001 eccleſiæ *Berwardi* donaſſe caſtellum Dalcheim, *in pago Haſtfala ſive Ambargau in Comitatu filiorum Ekbrathi Comitis* ſitum. Diploma, quo id ſignificatur, ediderunt *Schatenius Annal. Paderborn. P. I pag. 357*, & *Eccardus* loco laudato *pag. 296.* Nonnihil inde decerptum dedi in *Hiſt. Eccleſ. Gand. pag. 662 ſeq.*



x) In *Tom. I Chronici Gottwicenſis Lib. IV pag. 681.*

Inſpexiſſe id Diploma, & ſuppoſititiam agnoviſſe formam, ſunt duo momenta vix disjungenda. Diploma *Henrici II*, cui hæ notæ chronologicæ ſubjectæ ſunt: *Data 10 Cal. Febr. Indict. XI anno Dominicæ Incarnationis MXIII, anno vero Domini Henrici II regni XI. Actum Werla feliciter Amen*, & quod formulam compoſitionis inter *Willigiſum*, Archiepiſcopum Moguntinum, ac *Berwardum*, Epiſcopum Hildeneshemenſem, complectitur, notas ſuppoſitionis ubique prodit. Subſcripti ſunt ibi teſtes, qui non amplius fuerunt in vivis. *Dagino*, Archiepiſcopus Magdeburgenſis, jam exceſſerat e vita A. 1012, teſtibus *Annaliſta Saxone*, aliisque. *Hermannus II*, Dux Sueviæ, fato jam A. 1012 conceſſerat. Omitto alia. Ne quid dicam de loco Werla, quem Rex A. 1013, 22 Jan. haud luſtravit. Verſatus ipſe Rex eo tempore traditur in Thuringia. Venit is demum in aulam Werla tempore Quadrageſimali. Ejusdem commatis eſt Diploma *Henrici*, eodem anno Werlæ datum, quo libertas & defenſio baſilicæ Hildeneshemenſi impertitur, & quod ediderunt *Leibnitius pag. 155, 156, Tom. II Script. Brunſuic.* nec non *Jo. Chr. Lunig* in *Spicileg. Eccleſ. P. II pag. 256*, & Autor ſcripti des Stiffts *tripartita Demonſtratio pag. 225.* Dies, quo Diploma datum eſſe oportet, deficit præter conſuetudinem omnem. Fit in eo *prolis regalis* mentio, pro cujus *incolumitate* preces ad Deum ſint dirigendæ. Offert ſeſe aliud Diploma ejusdem *Henrici II*, Werlæ A. 1013 ad Nonas Martii datum, quo *actum* & peractum creditur fuiſſe id, quod Diplomate legitur expreſ-

expreſſum. Legitur illud in *Lunigii Spicileg. Eccleſ. P. II pag. 255* ex ſcripto des Stiffts *tripartita Demonſtratio pag. 223*, ac denuo in Cel. *Jo. Georgii Pertſchii Deductione ſuper jure indicendi collectas pag. 42 ſeq.* Jubentur in eo Clerici baſilicæ *miſericordiam Domini jugiter exorare pro Rege, ejus conjuge, & prole.* Quis vero ignorat, Regi nullam fuiſſe unquam prolem. Prolis mentio hic adjungitur hominibus, qui lucis uſura fruebantur. Appellatio *Hildeſſen* haud congruit illi ſeculo. Legitur illa in exemplis deſcriptis. An eadem legatur in avtographo, jam non ſatis recordor. Subſcriptio eſt hujusmodi circa ſigilli locum: *Signum Domini Henrici, Romanorum Regis.* Norunt vero univerſi, *Henricum* ante annum 1014 nondum exſtitiſſe Romanorum Regem. Acute pervidit hoc momentum Ven. *Gothefredus* y), docens, *Henricum II* dici haud potuiſſe Regem Romanorum, antequam ad diadema ipſe Imperatorium evectus fuerit. Qui argumenta diplomatica, quæ expoſuimus, transtulerit ad duas donationis *Henricianæ* tabulas, quarum prior legitur ad annum æque 1013 apud *Eccardum* loco ſæpius laudato *pag. 299*, poſterior vero apud *Schatenium* in *Annal. Paderborn. P. I ad A. 1013*, is facile odorabitur, eas ad corymbos eosdem referri debere. Per illam Rex *Henricus II* traditur baſilicæ Hildeneshemenſi donaſſe prædium in villa Ledhi, intra pagum Gudinge ſita; per hanc dicitur idem donaſſe templo eidem caſtellum Mund-

 burg.

y) *Chron. Gottwic. Tom. I Lib. II pag. 233.*

burg. Si liceat inveſtigare cauſam, cur Diplomata, templo Epiſcopali conceſſa, & ad annum fere 1042 impertita, interciderint genuina, incendii ratio eſt habenda, quod, *Thietmaro*, Epiſcopo, ibi ſuis præſidente, exortum ex improviſo, monaſterium, bibliothecam, & eccleſiæ tabularium, conſumſit. Meminit *Annaliſta Saxo* ejus incendii [z]), atque tradit, eo *monaſterium principale*, id eſt, præcipuum atque Epiſcopale, deflagraſſe haud ſecus ac alterum illud, in meridiano ipſius latere ab Epiſcopo *Godehardo* conſtructum. In Chronico, quod Epiſcopos Hildeneshemenſes & Abbates Cœnobii S. Michaelis ſimul exhibet, paucula hæc [a]) leguntur: *Sub Diethmari gubernatione periit graviſſimo ac miſerrimo incendio ſummum templum Hildeſianum, in quo hactenus omnes Canonici ſub regula Benedictina conjunctim vixerant.* Scriptor *Chronici Hildeshemenſis pag. 745 Tom I Leibn.* templum illud Epiſcopale vocavit denuo *monaſterium*, ſiquidem priſca ætate monaſterium templo ejusmodi fuit adjunctum, inibique vitam fere monaſticam Canonici, ſeu capellæ regiæ cuſtodes, vixerunt. Oblitus fere fuiſſem Diplomatis, quo *Henricus II* A. 1022 bona Cœnobii S. Michaelis dicitur confirmaſſe. Ediderunt illud Pl. Rev. *Lauenſteinius* in *Hiſt. diplom. Epiſcopatus Hildesh. pag. 267*, & Ill. *Grupius* in *Antiqu. Hannoveran. pag. 109.* Qui epilogum & clauſulam ejus Diplomatis attentius expendere ſtudent, eis

non

z) *Ad A. 1044 pag. 478.*

a) *Pag. 789 Tom. II Leibn.*

non poteſt non ſuſpicio ſuppoſitionis inceſſere. En clauſulam illam: *Scriptis confirmavimus iſtec. manu quippe ſubſcribentes propria. ſigillo noſtro inſigniri juſſimus. anno dominice incarnationis milleſimo XXII. Actum Werella, in Dei nomine. amen.* Ubinam latet *ſignum* Domni *Henrici*, Romanorum ſemper Auguſti? Cur omiſſus eſt Cancellarius, qui vice Archicapellani Diploma recognovit? Quo die Diploma fuit datum? Cur *Werella* legitur pro *Werle*? Cur nulla Indictionis fit mentio? Apographum Diplomatis illius truncatum videmur huc usque obtinuiſſe, etiam atque etiam optantes, ut accurata, & ad avtographum conformata, deſcriptio in lucem protrahatur, ſuſpicionique obviam eatur, quæ vel invitis ex clauſula ejus Diplomatis non poteſt non oboriri.

XI. Mirum eſt ſane, origines oppidi Hildeneshemii genuinas admodum eſſe obſcuras, nec huc usque in notitiam incolarum perductas. Si in cauſas tantæ caliginis inquirere licet, nobis prætermittendum non eſt, eos, qui a partibus Epiſcoporum æque ac Senatus oppidani ſteterunt, credidiſſe, id a rebus ſuis alienum fore, ſi qua diſtinctior de vetuſto ſtatu oppidi cognitio exſtaret. Ab hiſce igitur non exſpectanda eſt notitia illa. *Annaliſta Saxo*, qui Hildeneshemenſia ex ſcriptore Hildeneshemenſi, alumno S. Michaelis, deſcripſit [b]), origines Epiſcopalis primariique templi ita exponit, ut fere exiſtimes, ea ætate Hildeneshemium in rerum natura nondum fuiſſe. Laborarunt



b) Vide eum *ad A. 1044 pag. 479.*

rarunt jam Seculo undecimo Epiſcopi, ut exſtinguereturr poteſtas præfecti regii in urbem & oppidanos. Obtinere ipſi ſtuduerunt advocatiam urbis, & ad tempus voti ſui fuerunt damnati. *Tangmari* ſcriptum, quo *vita Berwardi* exponitur, ſucceſſu temporis fuit immutatum, & ex Comite Hildeneshemii ac præfecturæ pagi Aſtfala effictus fuit Comes Sommerſeburgenſis. *Capitis ſexti* maxima pars ſpirat ſtudium ſcriptoris recentioris, qui, *Berwardo* jam fuiſſe poteſtatem jurium regalium, quæ in extruendis munimentis, ac præſidiis militum alendis, ſolent exerceri, conatus fuit demonſtrare. Nec tamen legitur in *Tangmari Capite ſeptimo*, *Berwardum* urbem Hildenesheim omnem muris inſtruxiſſe, ſed *ſanctum locum ſuorum* fratrum c) ambitu murorum vallaſſe, diſpoſitis per gyrum turribus. Memoratu dignum, nulli Epiſcopo nominatim a ſuis attributam fuiſſe urbis fundationem & exſtructionem. Id certe veritati eſt conſentaneum, Epiſcopos, ſi ipſi unquam in oppidum

c) *Wolfherrus* in *Vita Godehardi Cap. 3 pag.* 489 videtur nobis obſtare, tradens hæc de *Berwardo*: *Turres munitiſſimas & etiam honorificas cum adhærente muro in orientali & occidentali parte noſtræ civitatis in tuitionem civium conſtruxit.* Sed nihil impedit, quo minus hæc ad muros Epiſcopii occidentales & orientales trahantur. Si enim *Berwardus* oppidum ipſum muris cinxit; muros is omnes ad omnes plagas ſitos, non partem muri in plaga orientali & occidentali exſtruxiſſe erat dicendus. Et quid? ſi *Bernhardus*, Dux, conſilium, & operam muniendi Hildeneshemium, mandavit ad tempus *Berwardo*?

oppidum jurisdictionem omnigenam & poteſtatem exercuiſſent, nunquam fuiſſe eam dimiſſuros. Oppidani vero Seculo XIII videntur jam Epiſcopum certis legibus veluti dominum ſuum venerati, eamque ideo conditionem, ne a Ducibus Brunſuico-Luneburgicis ſub jugum mitterentur, adinveniſſe. Finge tamen, exſtitiſſe Chronica, & oppidana, & epiſcopalia, quibus & urbis, & Epiſcopii, ſtatus vetuſtiſſimus fuerit expoſitus, & adde, hæc diſcrepaſſe a conditione utriusque recentiori. Nonne tum ſit veriſimile, ea fuiſſe ob rationes bene multas ſucceſſu temporis occultata, & ad tenebras amandata? Oppidani enim Comitibus & præfectis Regiis ratione jurisdictionis, & Ducibus Saxoniæ reſpectu rei bellicæ, præſidiariæ, & tributariæ, olim fuerant ſubjecti; Canonici vero ad regulam Benedicti ætate vetuſtiori fuerunt adſtricti, & Epiſcopi caruerant juribus regalibus, & jurisdictione territoriali. Intererat partis utriusque, hæc momenta poſteris eſſe incomperta & ignota. Incendia & bella etiam chartis bene multis ruinam & exitium attulerunt. Si quæ verior notitia ſtatus Hildeneshemii exſtat, eam e ſcriniis ac tabulariis Cœnobii S. Michaelis exſpectandam eſſe, nobis perſuademus. In hoc enim Cœnobio literæ nunquam non floruerunt, ejusque ædificia ab incendiis fuerunt liberiora. Scriptor certe *Vitæ S. Godehardi* fuit monachus S. Michaelis, quemadmodum ex ejus *Cap. 4 pag. 491 Tom. I Leibn.* perſpicere licet. Sed nec hic de Comitibus Regis, ejusque præfectis, per pagum Aſtfala quidquam habet, certo ſane indicio, eum vel data opera

opera hic tacuiſſe, vel poſteros teſtimonia, ævo ſuo minus reſpondentia, inde demiſſe ac reſecuiſſe, vel etiam inter deſcribendum omiſiſſe. Fuerat omnino operæ pretium, noviſſe, quantas ex patre *Diterico* & fratre *Tammone* ſuſceperit *Berwardus* poſſeſſiones, & quid ipſi fuerit commercii cum Duce Saxoniæ ac Regum Comitibus, Hildeneshemii commoratis. Sed altum de hiſce rebus apud *Tangmarum* & *Wolfherrum* eſt ſilentium. Quis itaque ſe poteſt tenere, quin affirmet, homines recentioris ætatis originem & ſtatum vetuſtum Hildeneshemii voluntaria oblivione contriviſſe, ac a poſterorum notitia removiſſe?

---

# IV.

# IO. GEORGII WALTHERI, A. M.

## EMENDATIO LOCI HERODOTEI *LIB. I CAP. LXXII*, EJUSQVE ET ALIORUM, INPRIMIS DIONYSII ALEXANDRINI, QUI ASIÆ VETERIS DESCRIPTIONEM IN SUPERIOREM ET INFERIOREM ILLUSTRANT, EXPLICATIO.

Cum ſuperiori proximo anno *primum Specimen Animadverſionum* mearum *in B. Chriſtophori*

*ſtophori Cellarii Orbem antiquum*, idque *de Aſiæ veteris diviſione*, occaſione data, ederem, etiam *Herodotei Lib. I Cap. 72* loci, Aſiæ, antiquiſſimis temporibus in ſuperiorem & inferiorem diviſæ, rationem fere continentis, injecta eſt mentio. Sed, quod nec tempus erat, nec ſpatium, datum ad omnia & ordine, & in lumine, ponenda, amicorumque accedebat adhortatio, ut de iis pluribus alio in loco exponerem, viſum eſt hic diſceptare eam rem, atque ea, quæ tunc referſi in oratione, explicare. Quemadmodum vero argumento illi occaſionem dediſſet & *Æſchyli* locus, de primis agens Aſiæ Monarchis in *Perſis verſ. 761-788*, & quem alibi ſum pluribus diſceptaturus, etſi opus eſſet hic iterum altius repetere, tamen neceſſarium non putem. Unusquisque, vel a limine ſalutans res Aſſyriorum, Babyloniorum, Perſarumque, me etiam nihil monente, facile intelliget, eum, qui ad has res tractandas accuratam Aſiæ diſtributionem, illis ipſis uſurpatam antiquiſſimis temporibus, attulerit, melius in iſto, ſalebrarum pleno, negotio verſaturum. Atqui hujus veteris Aſiæ diſtributæ ratio fere, uno *Herodoto* duce, e tenebris erui poteſt, ceteris eam rem vel ſilentibus, vel obſcurantibus mirum in modum. Non enim leviter ſunt ejus rei apud antiquiſſimum hunc Græcorum Hiſtoricum, ut apud reliquos, veſtigia preſſa, ſed tam alte fixa, ut dirimere controverſiam videantur. In alia omnia quidem abiit magni nominis Geographus *Cellarius*, atque, *Herodotum* in deſcribenda Aſia ſibi non conſtare, ſed potius triplicem inferre Aſiæ ſuperioris inferio-

ſeriorisque notionem, auctor eſt. Jam Aſſyriam eſſe *Herodoto* ſuperiorem, Babyloniam inferiorem Aſiam; jam ſupra & infra Halym fluvium poſitas regiones; jam Aſiæ, quam minorem dicunt, maritima & mediterranea. Verum feci ea, quam dixi, diſputatione periculum, ut iſtam maculam, inveteratam in tanti nominis Hiſtorico, delerem, locaque, ſollicitata ab *Cellario*, ita vindicarem, ut ſibi optime conſtans Aſiæ veteris diviſæ cognitio *Herodoto* aſſereretur. Primus locus erat: Τὰ μὲν νῦν κάτω τῆς Ἀσίης Ἅρπαγος ἀνάςατα ἐποίεε, τὰ δὲ ἄνω αὐτῆς αὐτὸς Κῦρος, πᾶν ἔθνος καταςρεφόμενος, καὶ ὐδὲν παριείς. *Inferiorem Aſiam ſub poteſtatem redigebat Harpagus, cum interea ſuperiorem ipſe Cyrus, omnes nationes, nulla excepta, ſubigendo, domaret. Herod. I, 177.* Doctiſſimus *Cellarius Orbis antiqui Tom. II pag. 8, Herodotum*, putat, hoc loco Ioniam, Cariam, Lyciam, maritimas oras, quas *Harpagus* ſubegiſſet, vocaſſe τὰ κάτω τῆς Ἀσίης, inferiora Aſiæ; mediterranea circa Sardes, & viciniam, ubi *Cyrus* ipſe egiſſet, τὰ ἄνω αὐτῆς, ejus ſuperiora. Hinc comprobavi liquido ex ipſa temporum rerumque adumbrata ab *Herodoto* ſerie, Sardibus jam captis *Cyrum* ſtatim magnis itineribus in Perſiam contendiſſe, atque, *Mazare* & *Harpago* Lydiam pacante, jam aut in Perſia fuiſſe, aut bellum intuliſſe Babyloniis, ut adeo Aſia inferior Lydorum comprehendiſſet imperium, ſuperior vero Medorum Aſſyriorumque. Alter locus erat *Herodoti I, 95*: Ἀσσυρίων ἀρχόντων τῆς ἄνω Ἀσίης ἐπ᾽ ἔτεα εἴκοσι καὶ πεντακόσια, πρῶτοι ἀπ᾽ αὐτῶν Μῆδοι ἤρ-

ξαντο

ξαντο ἀπίςασθαι. *Ab Aſſyriis, annis quingentis viginti ſuperiorem Aſiam obtinentibus, primi Medi deficere cœperunt. Cellarius*, quod Aſſyriorum imperium ante Medorum defectionem exiſtimat in Mediæ ſaltibus hæſiſſe, & Tigris ſuperioris, auctor eſt ad hunc locum, inferiorem Aſiam in Babylonia ab *Herodoto* poni. Superiorem & inferiorem regiones potiſſimum dici, vel montium reſpectu, vel fluminum, vel marium. Montoſas vero eſſe regiones Aſſyriam & Mediam cum aliis, quæ Caſpium mare proſpiciant; Babyloniam vero depreſſam planam, & campeſtrem, &c. Hæc, & reliqua, etſi eruditiſſime diſputantur a præſtantiſſimo Viro, tamen huc non pertinere oſtendi, quod non tam quæratur, quid eſſe poſſit hoc in loco inferior Aſia, quam quid reapſe, *Herodoto* auctore, ſit. Niſi igitur in arena ſine calce decurrere vellemus, aperiendum eſſe aditum ad ejus inventionem eruta magnitudine imperii Aſſyrii *Herodotea*, quam *Cellarius* magis ingenio, quam *Herodoto*, duce inferret. Idcirco operam dedi, ut omnem de Aſſyrii imperii finibus diſputationem ex ipſo *Herodoto*, nullis aliis in conſilium adhibitis, explicarem. Potiſſimum vero, tribus *Herodoti* locis *Lib. I Cap.* 101, *Cap.* 95, & *Cap.* 102, explicatis, in unumque collatis, liquido, quod putem, oſtendi, ante Medorum defectionem Babylonios in Aſſyriorum poteſtate fuiſſe, ut adeo Aſia ſuperior *Herodotea* præter Aſſyriam Mediamque ſimul Babyloniam comprehendiſſe putanda ſit. Quod cum agerem, monui, *Herodotum* interdum Ἀσίην, etiam non addito ἄνω, uſurpare de Aſia ſuperiore;

ſuperiore; cujus rei auctoritas hoc in loco adjiciendæ eſt. Scythas, quos aliquoties *Lib. I*, & ſemel *Lib. IV Cap. 4*, dixerat Aſiæ imperaſſe, loco *Lib. IV Cap. 1* oſtendit ſuperioris modo Aſiæ, τῆς ἄνω Ἀσίης, dominos fuiſſe. His adeo præmiſſis, nos ad eum ipſum, quem in præſentia pluribus diſceptare animus eſt, locum conferamus: Hujus ſummam difficultatem multi & viderunt, & aggreſſi ſunt tollere; quorum facile princeps eſt limatiſſimi & incomparabilis vir ingenii, *Jo. Fridericus Gronovius*, in quo vis criticæ artis & ejus quaſi menſura conſtitiſſe videtur. Voluit autem loco medicinam ferre, uncis verba, ἔςι δὲ αὐχὴν ἔτος τῆς χώρης ταύτης ἀπάσης, includendo, ut filius ejus *Jacobus Gronovius* ad *Herodotum pag. 818* nos docuit. Ipſe vero *Herodoti* editor hic clariſſimus non tantum ſiſtit verba *Herodoti* male reddita, ſed etiam nullo lumine, ut infinita alia in hoc præſtantiſſimo Auctore impedita loca, perfundit in annotationibus ſuis. Neque ejus rationem habuere Viri ceteroquin excellentiſſimi, *Jacobus Palmerius* in *Exercitationibus in optimos Græcos Auctores*, *Georgius d' Arnaud* in *Lectionibus Græcis*, *Petrus Horreus* in *Obſervationibus criticis*, *Paulus Leopardus* in *Emendationibus & Miſcellaneis*, *Ludovicus Carrio* in *Emendationibus*, *Philippus Beroaldus* in *Annotationibus*, *Joannes Brodæus* in *Miſcellaneis*, atque alii, qui tamen videntur in expediendo *Herodoto* verſati eſſe. Ipſe *Chriſtophorus Cellarius*, cujus ingenium ſubtile in Orbe antiquo ſuo, ſicut ſimulacrum, dedicatum videmus, & quem aliis in rebus vehementer & admira-

admiramur, & probamus Auctorem, hic non viſus eſt Geographorum ſubtilitati ſatisfeciſſe. Adulterinam enim putat vocem κάτω cum ἄνω permutandam, *Herodotum*que pugnantia frontibus adverſis compoſuiſſe ſecum. Vid. *Orb. antiqu. P. II pag. 8.* Noſtro judicio, quo tamen de laudibus tantorum virorum nihil detractum volumus, omnis poterit difficultas tolli in ῥήσει *Herodotea* unica mutata litera in voce ἔτος, & notione αὐχένος evoluta, adeo, ut optime conſpiret & cum reliquis *Herodoti* de Aſia locis, & cum univerſis Geographis Græcis, ipſamque Aſiæ veteris deſcriptionem mirifice illuſtret. Sed vehementer deprecamur ſollicitandorum veterum monumentorum libidinem. Si enim quisquam eſt, qui omne emendationis negotium, niſi ſponte natum oblatumque, & ipſa verborum cohærentia, & rerum conſecutione, & linguæ natura, exigente, magnopere rejiciat & contemnat; in his nomen profitemur noſtrum. Sed aut omnia nos fallunt, aut περισσότες poſtulabunt unius literæ permutationem in loco, quem jam, nonnulla cum repetendo ex commemorata diſceptatione, tum nova ad rem confirmandam addendo, tractare aggredimur. Ille hic eſt: οὕτω ὁ Ἅλυς ποταμὸς ἀποτάμνει σχεδὸν πάντα τῆς Ἀσίας τὰ κάτω ἐκ θαλάσσης τῆς ἀντίον Κύπρου ἐς τὸν Εὔξεινον Πόντον. ἔστι δὲ αὐχὴν οὗτος (lege οὖρος) τῆς χώρης ταύτης ἁπάσης, μῆκος ὁδοῦ εὐζώνῳ ἀνδρὶ πέντε ἡμέραι ἀναισιμοῦνται. Hanc ῥῆσιν ita interpretamur: *Sic Halys fluvius dividit fere totam Aſiam inferiorem (a ſuperiore) inde a mari propter*

*Cyprum aduſque Pontum Euxinum. Iſthmus vero terminus omnium harum regionum eſt, quod ad longitudinem attinet quinque dierum viro expedito.* Ad duo genera revocari poſſunt, quæ hunc locum premunt, & quæ uno auctore *Herodoto* expediendæ ſunt, difficultates. Unum poſitum eſt in dividenda Aſia per fluvium Halym; alterum in Iſthmo Aſiæ minoris definiendo. De utroque agam, ut potero, explanate. De fluvio igitur Haly nobis prima diſceptanda eſt quæſtio, utrum nimirum utriusque Aſiæ, & ſuperioris & inferioris, terminus ſit dicendus, & an id liquido poſſit ex præſenti comprobari loco. In libello commemorato docui, dicendi rationem, ἡ ἄνω Ἀσίη, ellipticam eſſe, & ex *Herodoti* quibusdam locis ſupplendam, ἡ ἄνω Ἅλυος ποταμοῦ Ἀσίη, *ſuperior Aſia reſpectu Halys fluvii*, ſive *ſuperior Aſia termino poſito in Haly fluvio*, ut apud *Ælianum* οἱ ἄνω πατέρες ſupplentur οἱ ἄνω τοῦ γένους πατέρες in *Var. Hiſt. Lib. XIV Cap. 36*, atque in eam rem attuli inter alia locum *Herodoti Lib. I Cap. 130*: Μῆδοι δὲ ὑπέκυψαν Πέρσῃσι διὰ τὴν τούτου πικρότητα, ἄρξαντες τῆς ἄνω Ἅλυος ποταμοῦ Ἀσίης ἐπ' ἔτεα τριήκοντα καὶ ἑκατὸν δυῶν δέοντα, πάρεξ ἢ ὅσον οἱ Σκύθαι ἦρχον. *Ob (Aſtyagis) acerbitatem ſuccubuerunt Perſis Medi, centum ac duodetriginta annos ſupra Halym fluvium Aſiæ principes; excepto tempore, quo Scythæ regnarunt.* Fuerunt tamen, qui, in alia omnia abeuntes, hunc *Herodoti* locum non de ſuperiori Aſia, ſive altera ejus parte, agere, contenderent, ſed potius de ſuperioribus Halys fluvii in

vii in

vii in Aſia locis, reſpectu ad inferiora fluvii propter Pontum Euxinum loca. Eſſe fere ſemper fluminum ſuperiora loca, quæ fontes proſpiciant; inferiora, quæ mare. Ejus adeo rei documento vel Ægyptum eſſe poſſe, cujus ſuperior pars in fontes ſpectet, inferior ad mare ſit poſita mediterraneum. Verum, rationibus ſubductis, ipſe *Herodotus*, quo loco dubitationem moverat, eodem ſuſtulit eam: fere ut *Achilles* ille, qui eadem, qua vulneraverat lance, *Telephum* ſanavit. Fac enim, ſint hoc loco Aſiaticæ modo regiones ad fontes fluvii Halys ἡ ἄνω Ἅλυος ποταμῦ Ἀσίη: quid fiet imperio Medorum, quod in hac ſuperioris fluvii Halys parte per CXXVIII annos fuiſſe dicitur, & tamen tam arcto terrarum tractui nullo modo, vel ipſo *Herodoto* auctore, includi poteſt. Comprobavi eadem in diſceptatione ex *Dionyſio Alexandrino* in Περιηγ. *v. 784 ſeq.*, ex *Appiano* in *Periplo pag. 9*, ex *Arriano* in *Periplo pag. 16*, imo ex *Plinio* in *Hiſt. Nat. Lib. V Cap. 2*, & ipſo *Strabone Lib. XI pag. 766, 800, & 822, ed. Almelov.* contra *Cellarium*, Halym fluvium ortum trahere ex uno Armeniorum monte, & per Cataoniam decurrere primum ex oriente in occaſum, deinde, mutato curſu, & quidem uti conjectura aſſecutus ſum, ad portas Ciliciæ, tranſitu *Alexandri M.* & *M. T. Ciceronis* nobilitatas, diverſas tamen ab iis, quas *Herodotus V, 52*, ad Halym ponit, flectere in ſeptentrionem. Hoc igitur dato, ſuperiora Halys fluvii complectuntur modo Armenias gentes, Cilices, & exiguam Cappadociæ partem, quæ vix tertia aut quarta Medici imperii pars dicenda eſt. Ubi vero

reliquæ erunt, Medis ſubditæ, gentes, Buſæ, Paretaceni, Structates, Arizantes, Badii, Magi, & quos *Phraortes* in poteſtatem ſuam redegerat, Perſæ, potentiſſimi propter Caſpium mare, & in orientem, populi (vid. *Herodotus I, 101, 102,*): nam ſuperiora Halys fluvii, ſive propter fontes ejus, non incolebant. Ubi porro Cappadoces, tunc temporis Ponticas gentes comprehendentes, qui, tantum abeſt, ut ad fontes Halys fluvii & ejus ſuperiora loca ſedes habuerint, ut inferiorum Halys fluvii locorum ad mare incolæ ſint dicendi. Nam etiam hi, Syri quondam, λευκόσυροι appellati, (vid. *Palmerius* in *Exercit. pag. 1, 2*) *Herodoto* auctore *Lib. I, 72,* μήδων fuerunt κατήκοοι. Quid vero poteſt inde cogi? Nimirum τὴν ἄνω Ἅλυος ποταμοῦ Ἀσίην continere non tantum ſuperiora ad fontes Halys loca, ſed etiam inferiora: uno verbo omnem Aſiam tunc notam ultra Halym in Orientem. Sed, hæc univerſa Aſia, inquies, Medis non ſubfuit ante Perſarum imperium. Recte. Neque id confirmat *Herodotus*, apud quem, quemadmodum etiam apud alios Auctores, ἄρχειν ſæpius idem eſt ac principem eſſe, præ reliquis ſublime caput ferre. Ecquid igitur impedit, quo minus Medi Aſiæ totius ſuperioris principes dici mereantur, quibus & Perſæ eſſent ſubjecti, & quam plurimæ aliæ gentes; & quibus ipſi etiam Aſſyrii, & Ninum & Babylonem incolentes, primas concederent. Nam hæc ſuperioris Aſiæ fuit ante Perſarum imperium magnitudo cognita Græcis, qui primi Aſiæ nomen, *Eratoſthene* auctore, antiquo orbis terrarum deſcriptore, & forte etiam diviſionem, uſurparunt.

Vid.

Vid. *Strabo Lib. I pag.* 114, 115. Cui *Eratoſtheni Strabonem*, eodem in loco pluribus docui, minus recte adverſari.

Si igitur dicendi ratio, ἡ ἄνω Ἀσία, elliptica eſt, & ſuppleri debet per τὴν ἄνω Ἅλυος ποταμοῦ Ἀσίην; facile intelligitur, etiam me nihil monente, idem obtinere in dictione præſentis loci τὰ τῆς Ἀσίης τὰ κάτω, eumque, ſuppreſſis additis, legendum, τὰ τῆς Ἀσίης τὰ κάτω Ἅλυος ποταμοῦ. Illuſtrat vero non tantum hic *Herodoti* locus, plurimis tam difficilis viſus, diviſionem veteris Aſiæ; ſed ita confirmat, ita continet, ut claſſicus in hac cauſa dicendus ſit. Argumentum enim verſatur in eo, ut & Halys fluvii, quo dividatur Aſia, & ipſius Iſthmi, quam late pateat, ratio explicetur; quo ſimul omnis fere in toto Aſiæ, ad normam veterum deſcribendæ, negotio tollitur dubitatio. Sed juvat, per partes eundo, quantum ſpatium datum permittet, id ipſum liquido comprobare.

Continet igitur primum, de *Herodoti* ſententia, Halys fluvius totam Aſiam inferiorem a mari propter Cyprum adusque Pontum Euxinum. Conſulto hic additum ab *Herodoto*, *fere*. Nam Halys ex orientali quodam Armeniorum monte decurrendo per Cataoniam propius quidem propter Pylas Ciliciæ accedit ad mare Cilicium, ipſam vero ejus oram non tangit maritimam, ſed, mutato curſu, ut omnes conſentiunt, in ſeptentrionem fertur. Video, hic aliter viſum Celeberrimo *Jo. Matthiæ Haſio*, Viro in hoc ſcientiarum genere facile principi, qui ſuperiori anno ſua *Regni Davidici & Salomonei*

*lomonei Deſcriptione geographica & hiſtorica* univerſæ Geographiæ ſacræ, & viciniis Aſiæ regionibus, inſignia ſubminiſtravit adjumenta. In deſcribendo enim Haly fluvio ejus a mea vehementer diſcrepat ratio: quandoquidem in Tabula Geographica, quam inſcripſit Typum ætiologic. fontem Halys ponit in Lycaonia, quod, cum alias rationibus non utatur, niſi rite ductis, eum temere poſuiſſe haud putem, etſi, qua cauſa inductus voce veterum conſentiente permotus non ſit, me ignorare fatear. *Herodotus* porro, ne quis, Halym audiens terminum Aſiæ utriusque, exiſtimet, hunc fluvium inde a fontibus Armeniis adusque locum, quo in mare exoneretur, deſcribere utramque Aſiæ partem, prudenter conditionem aliquam addit, ut intelligatur, unde diviſionis initium ſit repetendum, nimirum a mari propter Cyprum, quod *Strabo* mare Cilicium vocat. Num vero potuit res ſignificari explicatius? Neque, quam Aſiam inferiorem dirimat Halys, obſcurum eſt. Inde enim a *Cap.* 6 *Lib. I* adusque *Cap.* 72, cui controverſa, in quorum diſputatione jam verſamur, inſerta ſunt verba, locutus modo erat de Lydorum imperio. De hujus Regibus, conſuetudinibus, fortunaque varia illis in locis ita exponit, ut ne ex conſpectu quidem regionem dimittat, atque hoc unum agere videatur. Quin etiam aliis in locis, *Lib. I Cap.* 177 & 95, idem, uti nos nuper comprobavimus, dicit. Par eſt & una ratio alterius Aſiæ partis, a qua Halys fluvius Aſiam inferiorem dividit, & quæ ſiletur in præſenti loco. Quem enim latere poteſt, inferiorem regionem

referre

referre ſuperiorem; &, ſi quando aut fluvius, aut mons, aut alia res, inferiorem regionem dirimere, addito ipſo ſpatio, per quod ducenda ſit diviſionis linea, dicatur, quis non illico, etiamſi non fiat ſuperioris regionis diſerta mentio, intelligat, ſpatium dictum dividere inferiorem regionem a ſuperiore. Poſui quidem in commemorata diſceptatione *ab Medorum regno*, quia ejus in proxime antecedentibus *Herodoti* verbis injecta erat mentio; malim tamen, etſi ab *Herodoti* mente prius alienum non eſt, *ab Aſia ſuperiore*. At, inquit, *Cellarius*, αὐχὴν inſertus aut corruptum eſſe ſuadet contextum, & ἄνω loco κάτω ponendum, aut lapſum *Herodotum*. Cur? Ἀυχὴν peninſulam reſpicere videtur, & *Strabo* etiam ab ea parte magnum Iſthmum ponit. Reſpondemus, non tantum *videtur* αὐχὴν reſpicere peninſulam, ut dubitanter dicit Vir magnus; ſed reapſe reſpicit, quandoquidem hic αὐχὴν ipſe Iſthmus eſt magnus *Strabonis*, ut pluribus multorum, eorumque graviſſimorum, virorum auctoritatibus ſtatim vincam. Quid? Num id corruptionem infert tantam? Ne omni quidem, iterum iterumque adhibita, mentis agitatione hanc capere potui concludendi rationem. Sed facile, rebus ponderatis, qui male habuit *Cellarium*, ſcrupulum vidi. Collegerat Vir excellentiſſimus ex loco *Herodoti Lib. I Cap. 95*, ſupra expoſito & vindicato, Aſiam ſuperiorem eſſe Aſſyriam Mediamque, inferiorem Babyloniam; idcirco, cum locum hunc videret ſententiæ iſti adverſantem, contendit, locum in numero infuſcatorum habendum eſſe.

Sed juvat jam ad ipſum αὐχένα propius accedere, eumque Iſthmum eſſe, docere pluribus, propterea, quod a nemine, quos conſulere licuit, vocem viderim evolutam. Dein mutandæ unius literæ neceſſitatem comprobabo. Αὐχένα præter *cervicem* ſignificare apud Græcos *rem quodammodo aliis oppoſitam*, nihil attinet hic multis monere. Apud *Herodotum*, cui in ſubjicienda voci notione primæ partes hic debentur, inveni hanc vocem fere tantum pro *anguſtiis locorum* uſurpatam: quarum cum potiſſimum tria occurrant paſſim genera, ſingulorum exempla afferam. Sic utitur *Herodotus Lib. IV Cap. 85* de freto Propontidis propter Byzantium, quod *Dionyſius Alexandrinus* ςεινότατον πορθμὸν appellat *v. 142*, & quod alio nomine, Bosporus Thraciæ vocatur. Idem facit *Ariſtoteles Lib. de mundo Cap. III*, ubi mare dicitur ab eo τῆ μὲν κατὰ ςενοπόρες αὐχένας ἀνεςομωμένον τῆ δε πάλιν πλατυνόμενον, *jam ſe anguſtis cervicibus in fauces comprimens, jam latius exſpatians. Herodotus* porro αὐχένα uſurpat de *Iſthmo*, quando *Miltiadem* dicit Cherſoneſi Iſthmum αὐχένα τῆς χερσονήσε, interſepſiſſe, *Lib. VI, 37*, quam dicendi rationem multi quoque alii ſecuti ſunt, ut deinceps pluribus comprobabo. De *anguſtiis* denique *montium* adhibita vox apud *Herodotum*, quas anguſtias alio nomine πύλας dicunt: nam de Thermopylis celeberrimis, ἐπεξήισαν, inquit, ἐς τε εὐρύτατον τε αὐχένος, *progreſſi ſunt ad faucium partem omnium maxime patentem, Lib. VII, 223.*

Cum

Cum vero varia ſint, præter Iſthmum magnum, in Aſia minore, quæ ſibi hoc αὐχένος nomen vindicare poſſunt, ϛενὰ: de quibus potiſſimum hic ſermo ſit, explicare docebo. Notæ ſunt Πύλαι Ciliciæ, tranſitu *Alexandri M.* & *M. T. Ciceronis* claræ; notæ Amani Πύλαι ad Alexandriam & Iſſum; notus denique Iſthmus ad Sinopen duobus ſtadiis patens. At hæ omnes anguſtiæ non poſſunt eſſe αὐχὴν *Herodoteus* cum variis de cauſis, tum etiam, quod hic dicitur continuiſſe omnes, quas alluiſſet Halys, regiones, Cappadoces, Cilices, reliquas, & quinque dierum iter præbuiſſe viro expedito. Neque ipſum Halym fluvium aliquis, vel a limine ſalutans Græcos Auctores, hoc nomine inſignire poterit: ſiquidem & inſolentiſſima eſſet ea vocis notio apud univerſos Græcos, & apud *Herodotum*, Græcosque Auctores, non obvia. Quid igitur? Veteres, conſtat, qui Geographiæ operam dederunt, Aſiam minorem aliquoties Peninſulam dicere, cujus Iſthmus ſit a mari Cilicio ad Pontum Euxinum. *Strabo* Iſthmi limitem meridionalem figit in Iſſico ſinu, ducitque per Ciliciam aſperam: ſeptentrionalem vero in Ponto Euxino adusque Sinopen (vid. *Strabo Lib. XII pag. 807*); quod hæc duo maria in his locis propius ad ſe, quam in Peninſula, vel accedebant, vel accedere a veteribus putabantur; quæ tamen pluribus diſputare, non eſt hujus loci. Legatur interim hac de re *Guilielmi Hill Commentarius in Dionyſii Alexandrini* Περιηγ. & conſulatur Cel. *Haſii Deſcriptio regni Davidici, Typ. ætiol. II,* qui, Pontum Euxinum dimetiendo, ejusque oram

urbibus diſtinguendo ſuis; videtur ſuperiorum Geographorum omnium ſuperaſſe labores. *Cellarius* in *Orb. antiqu. Tom. II pag. 3*, Cappadociam a *Strabone*, & Ciliciam campeſtrem, excludi, putat, extraque Peninſulam poni. Sed uſu veniet ipſum *Strabonem* legenti, eum neque in Peninſula has duas regiones ponere, neque extra eam, ſed in Iſthmo. Vid. *Strabo* a *pag. 807* ad *809*.

Atque, hunc Iſthmum, puto, tribus de cauſis eſſe *αὐχένα* in loco difficili *Herodoteo;* primum, quod non inſolens eſt Græcis, etiam magnos, & latiſſime patentes, Iſthmos interdum *αὐχένας* vocare; dein, quod ſigillatim Aſiæ minoris Iſthmus aliquoties *αὐχὴν* dicitur; denique, quod omnia, quæ *Herodotus* de *αὐχένι* ſuo dicit, optime cadunt in Iſthmum Aſiæ minoris. Age, ſingula comprobemus. *Marcianus Heracleota pag. 38* in *Geogr. Græc. min. T. I* Iberiam vocat Cherſoneſum *κατὰ τὴν αὐχένα τῆς Πυρήνης προσεχόμενον*, *ad Iſthmum, quem occupat Jugum Pyrenæorum, pertinentem.* Idem *pag. 16* de Arabia felice, Saracenos, auctor eſt, incoluiſſe loca *περὶ τὴν αὐχένα τῆς εὐδαίμονος Ἀραβίας.* Hic vero ſermonem non eſſe de altero Arabiæ Iſthmo, interSinum Arabicum & mare mediterraneum interjecto, quem *Ariſtoteles de Mundo Cap. III extr.* pluresque alii *ἀραβικὸν Ἰσθμὸν* uſurparunt, facile intelligitur. Nam *Marcianus* ponit eum *μετὰ τὴν πετραίαν καὶ τὴν ἐρημίον Ἀραβίαν*, dicitque eum *αὐχένα τῆς εὐδαίμονος Ἀραβίας*; ille *Ariſtotelis* vero Iſthmus eſt Iſthmus Arabiæ petrææ. *Dionyſius*

*ſua Alexandrinus* ſemel Iſthmo Arabiæ oppoſitam regionem dixerat *πέζαν v. 931:*

Πέζα δέ οἱ (Ἀραβίῃ) νοτίη, τετραμμένη ἀντολίηνδε
Κλύζετ' ἐρυθραίοις ὑπὸ κυμάσιν ὠκεανοῖο.

Idcirco putabat *Claudius Salmaſius* in *Exercit. in Solin. pag. 343,* αὐχένα & πέζαν ſe reſpicere. Sed πέζα eſt apud *Dionyſium* quæcunque ora maritima; nam uſurpat & de oceano occidentali *v. 61,* quod dicitur:

Ἢ ὀρέων ἢ πέζαν ὑποζύουσα πολήων,

& de orientali *v. 1081,* quæ cum nullo comparari poſſunt Iſthmo; quin imo de radicibus montis Pellenæi *v. 535:*

Καὶ Χίος, ἠλιβάτου Πελληναίου ὑπὸ πέζαν,
*Et Chius, ad altiſſimi montis Pellenæi radices (ſita),*

& montium Emodorum *v. 1162;* ſed tamen ita, ut in utroque poſteriore loco ſimul intelligatur ora maritima. Potuiſſet *Claud. Salmaſius* latius patentem vocis notionem, ſi vel maxime totum perlegere noluiſſet *Dionyſium,* ex eo colligere, quod in loco, a ſe excitato, πέζα dicitur cum adjectione νοτίη, quæ, ſi πέζα modo ſignificat inferiorem Peninſulæ locum, plane fruſtranea eſt. Si igitur Iberiæ & Arabiæ Iſthmi, latitudine multum vincentes Aſiæ minoris Iſthmum, nominari potuerunt αὐχένες; nihil impedire putem, quo minus eadem denominatio locum in Aſiæ commemorata parte poſſit habere. Nam præterea adſunt graviſſimorum antiquorum, qui Iſthmum hunc αὐχένα uſurparunt, teſtimonia. *Agathemerus,* nobilis Geographus,

graphus, ſpatium poſitum inter ſinum Iſſicum adusque Trapezuntem Ponti Euxini *αὐχένος* nomine appellat: *Ὕπειρος ἔοικε καὶ αὐτῇ χερσονήσῳ πλατὺν ἔχουσα τὸν αὐχένα*. Jam alibi docui, *Sam. Tennulium* minus recte hæc interpretari: *Continens ſimilis eſt, & ipſa Peninſulæ, latis faucibus adhærens Aſiæ*; melius enim reddidiſſet, *latum habens Iſthmum*. Diſcrepat igitur, quod obiter moneo, *Agathemeri* ratio vehementer a Cel. *Haſei Deſcriptione Trapezuntis*, qui hoc oppidum ad MMCCC ſtadia procul ab Iſthmo ponit in *Tab. Geographica*, quam *Typ. atiol.* vocat. *Scymnus Chius* idem ſpatium ab Amiſo, Ponti oppido, adusque Iſſum, dicit *τῆς Ἀσίας σχεδὸν ϛενότατον αὐχένα* in *Fragm. pag. 54 Geogr. Græc. Tom. III*, quæ etiam eſt ſententia *Appiani* in *Periplo Ponti Euxini pag. 9, Geogr. Græc. Tom. III*, qui, *κατὰ τὴν πόλιν ταύτην* (*Ἄμισον*), inquit, *τῆς Ἀσίας σχεδὸν ϛενότατος αὐχήν ἐϛὶν εἰς Ἰσσικὸν κόλπον διήκων.* Conſtat vero, ab his *ϛενότατον* dictum hunc Iſthmum propter inacceſſa & difficillima ad tranſeundum montium juga, quæ fere ab uno mari ad alterum pertinent, & interdum communi Tauri montis nomine comprehenduntur. Eadem de cauſa *Ariſtoteles de Mundo Cap. III* inter Caſpium mare & Pontum Euxinum ſpatium dicit *ϛενότατον ἰσθμόν*. Ita enim hic: *καθ' ἣν* (*Θάλατταν Ὑρκανίαν*) *ϛενότατος ἰσθμὸς εἰς τὸν Πόντον διήκει*; qui tamen Iſthmus magnitudine vel major eſt, vel certe par Aſiæ minoris Iſthmo, cujus ſpatium, interjectum inter duo maria, Pontum & mediterraneum, ſeptem dierum

itinere

itinere *Appianus* & *Scymnus Chius* dimetiuntur. *Q. Curtius Rufus*, declamator magis de ludo, quam Geographus aut Hiſtoricus, cum vim vocis Græcæ aſſequi non poſſet, anguſtiſſimum ſpatium Aſiæ minoris Iſthmum interpretatus eſt, & adeo tenue, ut fere ſe committerent maria, & Inſulam hanc Aſiæ facerent regionem, *Lib. III Cap. 1.*

Operæ pretium me, puto, facturum, ſi data hac occaſione locum aliquem difficilem *Dionyſii*, a nemine, quod ſciam, recte explicatum, tentaverim, in quo hic Aſiæ minoris Iſthmus Ἀσίης ϛεινὰ vocari videtur. Hic enim *Geographus Alexandrinus*, commemorato utroque mari cum Euxino, tum etiam mediterraneo, quod alterum ea, qua in orientem ſinus Iſſicus procedit, parte Euxino vicinum ſit, addit *v. 865*:

— — Ἀσίης δὲ ϛεινὰ καλεῦσι,

ut adeo videatur hoc ad ſpatium interpoſitum inter duo maria referre. Non abhorret *Priſciani* interpretatio, *v. 811 ſeq.* in *Periegeſi* totum locum ita exprimens:

*Hinc ſinus eſt longus Cilicum, qui vergit ad ortus,*
*Euxini penetrans vicinas æquoris undas.*
*Hunc Aſiæ perhibent anguſtis partibus eſſe.*

*Langianus* Codex habet: *hanc Aſiam.* Dolemus, in elegantiſſimo Græco Paraphraſte, qui indentidem magno lumine perfundit *Dionyſium*, nonnulla huc ſpectantia verba deeſſe. *Claud. Salmaſius* Tracheam intelligit Ciliciam inter Taurum & mare Cilicium, ſed, quod nunquam hic tractus ϛενῶν nomine appellatur apud antiquos, non video, cur novi

novi aliquid hic ſit fingendum, præſertim, cum tria reapſe ſint loca propter ſinum Iſſicum, quæ aliquoties στενὰ dicantur, ut Amani portæ inter Ciliciam & Syriam; Ciliciæ portæ inter Pamphyliam & Piſidiam, quarum in ipſis faucibus, *Strabone* teſte, *Lib. XIV Termeſſus* ſita erat, ab *Alexandro M.* ut fauces aperiret, dìruta; et tandem Iſthmus ipſe Aſiæ minoris. Ciliciæ portæ propterea eſſe non poſſunt hæc Ἀσίης στενὰ, quod, *Dionyſio* auctore, hæc multum ab *Termeſſo* illa, in *v. 859* commemorata, diſtabant. Hinc bis *Euſtathius*, Græcus *Dionyſii* enarrator, in Παρεκβ. *pag. 258* & *pag. 260 ed. Papii*, errat, cum Ciliciæ portas Ἀσίης vocando στενὰ, tum anguſtias ad Phaſelidem cum Ciliciæ pylis confundendo. Sed nec Amani portæ eſſe poſſunt hæc *Dionyſii* Ἀσίης στενὰ, etſi hoc exiſtimat *Guil. Hill* in *Commentario ad Dionyſium pag. 301.* Quid enim, quæſo, *Dionyſium*, qui ſemper, quantum vorſæ orationis patitur ratio, ordinem, ab occidente in orientem progrediendo, obſervat, permoviſſet, ut derepente pulcherrimum ordinem deſereret, &, Pylis Amani, in finibus Ciliciæ & Syriæ poſitis, commemoratis, retro pedem moveret ad Tarſum, Lycneſſum, Mallum, Anchialem, Solos, omnia Ciliciæ oppida. Deindè quibus teſtimoniis poterit comprobari, has Amani pylas eſſe generatim dicta Aſiæ στενὰ, quæ pylæ occidentalibus ad Piſidiam pylis nec majores erant, nec nobiliores. Ut taceam, manſuram dubitationem, quas Pylas orientales verſus Syriam intelligat, cum, teſte *Cicerone ad Fam. Lib. XV Epiſt. 4*, duæ ejusmodi pylæ eſſent. Supereſt igitur

tur Iſthmus, cui id nomen ϛενῶν Ἀσίης, uti ex dictis jam efficitur, jure meritoque dari poteſt; nam Aſia minor proprie Aſia dicitur apud veteres, ἡ ἰδίως Ἀσία, (vid. *Salmaſius ad Solin. pag. 565*), & Iſthmus ϛενότατος αὐχὴν Ἀσίης.

Sed hæc Ἀσίης ϛενὰ, etſi plures darent exitus ad ejusmodi degreſſionem, tamen nolo pluribus diſputare, ne videar πομπεῦσαι τοῖς προσώποις, & moram atque impedimentum dicendis intuliſſe. Hactenus infinite quæſivi de αὐχένος notione, & comprobavi, in *Herodoti* loco huic voci notionem Iſthmi ſubjici poſſe; nunc paucis in definita hujus rei controverſia verſabor, atque oſtendam, *Herodotum* ejusmodi de faucibus ſuis confirmare, quæ ad nullas alias anguſtias, niſi ad Iſthmum commemoratum, referantur neceſſe ſit. Inprimis autem longitudinem αὐχένος comparat cum itinere quinque dierum, quantum nimirum itineris intra quinque dies vir peregrinando aſſuetus pedibus poſſit emetiri: μῆκος ὁδοῦ εὐζώνῳ ἀνδρὶ πέντε ἡμέραι ἀναισιμοῦνται.

*Lib. II Cap. 34* vero dicit, a Sinope, ſive potius ab agro Sinopenſi, iter quinque dierum eſſe ad Cilicium mare: Ἡ δὲ Αἴγυπτος τῆς ὀρεινῆς Κιλικίης μάλιϛά κῃ ἀντίη κέεται· ἐνθεῦτεν δὲ ἐς Σινώπην τὴν ἐν τῷ Εὐξείνῳ πόντῳ πέντε ἡμερέων ἰθεῖα ὁδὸς εὐζώνῳ ἀνδρί. Idem confirmat *Scylax*, antiquiſſimus orbis terræ deſcriptor, *Herodoti* ſi non æqualis, tamen ad ætatem accedens propius, quam *Henricus* putat *Dodwellus*, pulchre conſpirat, cujus locum ad literam ſubjiciam: Ἐκ δὲ Σινώπης τῆς ἐν τῷ Πόντῳ, διὰ

τῆς

τῆς ἠπείρου, καὶ τῆς Κιλικίας εἰς Σολοῦσιδος (*Voſſius* emendat feliciter: εἰς Σόλους, ὁδὸς) ἐστὶν ἀπὸ θαλάσσης εἰς θάλασσαν ἡμερῶν έ. *A Sinope vero, quae ad Pontum eſt, per continentem & Ciliciam usque ſolos, a mari ad mare, iter eſt quinque dierum.* Vid. *Scylacis Caryandenſis Peripl. pag. 40, Geogr. Graec. Tom. I.* Loqui autem *Herodotum* in loco difficili de ſpatio inter utrumque mare interjecto ita, ut ſpatii linea ſit a mari mediterraneo ad Pontum Euxinum ducenda, vel ex proxime antecedentibus efficitur, ubi Halym dicit fluvium dividere Aſiam inferiorem inde a mari propter Cyprum ad usque Pontum Euxinum. Sunt quidem *Appianus* & *Chymnus Chius*, itidem nobiles antiqui Geographi, qui ſeptem poſtulant ad conficiendum iter per dictum ſpatium dies, atque adeo *Herodotum* lapſum putant. Vid. *Appianus* in *Perip. pag. 9*, & *Chius* in *fragm. pag. 54.*

Sed facile huic dubitationi occurritur. *Ptolemaeus*, cujus dimenſiones locorum, etiamſi non ex obſervationibus aſtronomicis & geodaeticis ductae, tamen omnium antiquorum optimae ſunt, ſex gradus in hoc ſpatio numerat, ſive CCCLX paſſuum millia: quae, non video, cur omni in currendo celeritate adhibita, inprimis apud veteres, intra dictum tempus confici non potuiſſent. Nam alicunde ſcimus, veteres in tanta equorum penuria currendi arti ita operam dediſſe, ut die uno ingens emenſi fuerint ſpatium. Noti ſunt *Hemerodromi*, etiam *Herodoti* aetate clari, de quibus inſignis eſt locus apud *Henricum Stephanum* in *Schediaſm. Lib. VI Sehediaſm. 2*, in *Gruteri Lamp. T. V.*

Fluvium

Fluvium vero ipſum αὐχένα non eſſe, comprobat & Græcæ linguæ conſuetudo, in qua vox illa nunquam pro fluvio uſurpata eſt, & cohærentia verborum *Herodoti*, qui, recenſitis omnibus ad Halym regionibus, nimirum ad utrumque ejus latus ſitis, continuo dicit, αὐχένα omnium harum regionum eſſe. Quomodo vero fluvius aliquis, ſi vel maxime eſſet, uti non eſt, αὐχὴν, quomodo, inquam, omnium in utroque latere regionum eſſet cervix dicenda? Citerioris enim regionis cum cervix eſt, ulterioris certe eodem reſpectu nullo modo eſſe poteſt. Quomodo porro fluvius Halys, originem ex Armeniis montibus repetens, dici poſſet iter præbere quinque dierum, cum nunquam proxime ad fluminum littora inde a fontibus adusque mare itinera legamus inſtituta. Video quidem, huic occurrere voluiſſe *Jo. Frid. Gronovium* parentheſi, qua verba: ἐςὶ δὲ αὐχὴν οὗτος τῆς χώρης ταύτης ἁπάσης, incluſit, adeo, ut verba: μῆκος ὁδοῦ εὐζώνῳ ἀνδρὶ πέντε ἡμέραι ἀναισιμοῦνται, ad priora ſint, ſcilicet ad ſpatium inter utrumque mare, referenda. Interim, adhibita etiam hac medicina, locus non ſanus erit. Reclamabit ſemper cum linguæ Græcæ perpetuus uſus, tum abhorrens a fluvii natura ratio, ſi & citerioris & ulterioris regionis cervicem dixeris. Eſto vero, ignoretur ipſius Iſthmi ducta ab *Herodoto* linea; nihil ea opus eſt ad præſens conficiendum negotium. In altero, a nobis adducto, loco ex *Lib. II Cap. 34* Sinopen, ſive potius agrum Sinopenſem, ſeptentrionalem Iſthmi limitem facit, qui ager poſteris temporibus Amiſi

& Trapezuntis oppida, colonias Sinopenſium, comprehendebat. Inclinat tamen animus, ut, cum ſequentes Geographos aliquos ab Iſſico ſinu ad Amiſum vel Trapezuntem videam Iſthmum dimenſos, idem exiſtimem ab *Herodoto* factum, etſi, cum aliis de cauſis, tum forſan nondum vel conditis his urbibus, vel aliquam nominis celebritatem conſecutis, maluerit Sinopen, ſive agrum Sinopenſem, nominare. Verum, hoc utcunque erit exiſtimatum, haud in magno ponam diſcrimine. Indubia tamen eſt Iſthmi ratio.

Faciamus enim jam, rationibus ſubductis, quaſi ſummam cogitationum noſtrarum. Si αὐχένος vox non tantum alios ſignificat, e. g. Iberiæ & Arabiæ, inſignis magnitudinis Iſthmos, ſed etiam ipſum Aſiæ minoris Iſthmum; ſi porro apud *Herodotum* hæc vox in reliquas hujus Aſiæ fauces, & in ipſum Halym fluvium cadere non poteſt, contra vero, ſi omnem exprimit conſequiturque Iſthmi ipſius rationem; efficitur, ut non probabili aliquo, ſed neceſſario, modo, quantum ſcilicet eam admittit res hiſtorica, αὐχὴν *Herodoteus* ſit Iſthmus Aſiæ minoris. Atqui, hoc victo, noſtra eſt neceſſaria emendatio. Omnia igitur in iſto loco, quem tractamus, unius literæ mutationem poſtulant. Primo, quod ἔτος ſenſum turbat, utpote quod neque ad Ἅλην πόταμον ullo negotio referri poſſit, neque ad αὐχένα, in antecedentibus ejus nulla facta mentione; dein, voce ὅρος ſumta, omnia optime ſibi conſtent. Hæc enim vox, pro termino poſita, plane *Herodotea* eſt, & ſæpius apud eum ea voci notio ſubjecta eſt. Conſulto autem

poſui

poſui ὅρος, non ὄρος. Cum ſpiritu enim aſpero ſepties in *Gronoviana* legi editione, ad normam Medicei Codicis exacta, pro *termino* uſurpatam vocem. Semel modo mihi ſe obtulit, *Herodotum* verſanti, cum ſpiritu leni *Lib. II Cap.* 17, ubi de terminis Ægypti ſermo eſt; & iterum ſemel ὄρος pro termino, quem facit Halys fluvius inter Lydiam & Medicum imperium *Lib. I Cap.* 72, ubi tamen *Galiana* habet ὅρος, ut adeo in *Gronoviana* videantur typi aberraſſe. Septem vero loca ipſa, ut fidem dictis faciam, addam. *Lib. I Cap.* 74 uſurpatur cum ſpiritu aſpero pro omni termino; eodem *Libro Cap.* 93, pro terminis ſepulchri, porro *Lib. IV Cap.* 33, *Cap.* 53, *Cap.* 99, & bis *Cap.* 125, pro terminis regionum; idcirco putem, ὅρος pro termino magis Ionicum eſſe, quam ὄρος; atque hoc potius montes ſignificare. Ipſam vero unius literæ τ in ρ migrationem facilem omnes judicabunt, quibus copia fuit manu verſandi veterum ſcripta monumenta. *Herodotus* adeo Iſthmum Aſiæ minoris terminum dicit omnium earum regionum, quas allueret Halys, quarum in recenſione paucis verbis ante verſatus erat, ſcilicet Cilicum, Cappadocum, Paphlagonum, &c. Hinc alia ratione Halys fluvius terminus eſt, alia Iſthmus. Halys fluvius terminus eſt Lydorum Medorumque, quemadmodum dicitur eodem, ex quo difficilia noſtra erant depromta verba, *Capite*; et Iſthmus eſt terminus quoque Cappadociæ & Ciliciæ, quæ ea ætate Medorum ſuberant poteſtati, atque adeo totius Aſiæ minoris.

# V.

# CHRISTOPH. AUG. HEUMANNI REVELATIO AUCTORUM OBSERVATIONUM HALENSIUM LATINARUM.

## PROLOGUS.

*Obſervationum ſelectarum, ad rem literariam ſpectantium*, quæ ex officina Halenſi *Rengeriana* A. 1700, & quinque ſequentibus, proceſſerunt in publicum, ſatis [a]) conſtat, primos Auctores, inita hac ſocietate, fuiſſe tres Halenſis Academiæ Profeſſores inclytos, THOMASIVM, Jureconſultum, STAHLIVM, Medicum, & BVDDEVM, Philoſophum. Hi cum in *Præfatione* & aliis permitterent conferre ſymbolas; majori numero ſuas interſeruerunt STRVVIVS, TENZELIVS, GVNDLINGIVS, BEYERVS, HENNIGESIVS, REIMMANNVS. Etiam MStas plures patris ſui Diſſertationes adjecit *Thomaſius*; qui earum omnium catalogum annexuerat ejus *Originibus Hiſtoriæ Philoſophicæ & Eccleſiaſticæ*, Halæ A. 1699 recuſis. Quare depromtis e cumulo hoc *Obſervationibus* infra adſcribam *Index MSS.* addita ſemper ejus pagina. Nam nec hujus *Thomaſii*, nec ceterorum Auctorum, nomina, hiſce *Obſervationibus* præſcripta ſunt.

Quare

a) Idque ipſe *Thomaſius* aperte indicat in *Præf. ad* ſeine kleine Schriften §. *VI.*

Quare curioſitati legentium ſatisfacturus *Caſpar Henricus Starckius*, Vir doctiſſimus, Paſtor nunc Diœceſeos Lubecenſis, A. 1716 edidit Roſtochii Ἐπίμετρον *ad Placcii Theatrum Anonymorum, detectos exhibens Auctores quosdam Obſervationum Halenſium.* Quindecim hoc Ἐπίμετρον implet paginas. At, cum, ſæpius a *Starckio* erratum fuiſſe, obſervaret *Theodorus Cruſius*, inſtructiorem exhibuit indicem in **Vergnügung müſſiger Stunden** *P. XI Cap. 2 pag. 71-79;* ubi & plures, quam *Starckius*, Auctores *Obſervationum* illarum indicat, ſed non ita multo plures. Non ita pridem etiam STOLLIUS, Vir magno ſuo merito celeberrimus, **in der Nachricht von ſeiner Bibliotheck** *Tom. II pag. 425 ſeq.* Auctores multos harum Obſervationum nominavit. Multi tamen ipſi fuerunt ignoti; aliquot etiam *Obſervationes* iis tribuit, qui non fuerunt Auctores. Jam, cum ipſe quoque exemplari meo *Obſervationum* iſtarum *Halenſium* adſcripſerim earum Auctores, quoties vel alicubi aliquem reperi manifeſtatum, vel ipſemet certis argumentis revelare potui, animadverſiones has meas libellulo hoc complecti ſtatui, perpellente quoque Viro doctiſſimo, *Placciani Theatri* locupletatore inſigni, IOANNE CHRISTOPHORO MYLIO.

Viam primam ad inveſtigandos aliquot Auctores aperuerunt mihi inſcriptiones. Cuique ſcilicet *Obſervationi* ſuæ *Stahlius* præſcripſit *Synopſis*, (qui & ex eo cognoſci poteſt, quod ſuis in Obſervationibus *Menſes* ſuos commemorat frequentius,) *Buddeus* & *Reimmannus* Σύνοψις, *Thomaſius*, *Beyerus*, &

*rus*, & *Struvius*, *Summaria*, *Gundlingius Conſpectus.* Nolim vero, ita concludas, Lector: Huic Obſervationi præſcriptum eſt Σύνοψις, ergo aut *Buddeus* ejus eſt Auctor, aut *Reimmannus*; ſed hunc in modum: Obſervationi huic non eſt præſcriptum Σύνοψις, ergo nec *Buddeum* ea habet Auctorem, nec *Reimmannum.*

Deinde quidem harum Obſervationum compoſitores ipſimet profeſſi ſunt poſtea nomen quisque ſuum. Haud raro id fecit [b]) THOMASIUS, qui e. g. in ſuis ad *Pufendorfii Monarchiam Papæam* Annotationibus *pag. 284*, itemque in *Cautelis circa Præcognita Jurisprudentiæ Cap. VI pag. 79*, aperte fatetur, ſuas eſſe *Tomi primi Obſervationes 2, 3, 10, 11, 12, 13*, & *19*. Præterea prodiit Halæ A. 1708 *Catalogus ſcriptorum Thomaſii*; in quo tamen Obſervationes nonnullæ falſo ipſi tribuuntur. STAHLIUS ſuas Obſervationes conjunctim Halæ recudi curavit in *Opuſculo chymico-phyſico-medico* A. 1715. Qui liber cum in Halenſi *Bibliotheca nova* (Neuen Bibliotheck) *Tom. V pag. 124 ſeq.* recenſeatur; ibi etiam nominatim docetur, eum Auctorem eſſe *Tomi I Obſ. 14, 25*, & *28*; *Tomi III Obſ. 7, 11*, & *20*; *Tomi IV Obſ. 14*; *Tomi V Obſ. 8*; *Tomi VI Obſ. 28*; *Tomi* denique *ſeptimi Obſ. 12* & *19*. BUDDEUS quarum ſit Auctor, ipſe docet in *Catalogo ſcriptorum ſuorum*, (cujus prima editio A. 1711, ſecunda A. 1714, tertia A. 1728, prodiit Jenæ,)

b) Scias, Lector, hunc *Thomaſium*, non ejus patrem, ſignificari a nobis, quoties infra, omiſſo prænomine, nominatur *Thomaſius.*

Jenæ,) itemque *Richardus* in *Vitis Profeſſorum ſui temporis Jenenſium pag. 10 ſeq.*, ac in ſuis *omnium Jenenſium Profeſſorum Vitis Zeumerus Tom. I pag. 282.* Hinc igitur manifeſtum eſt, non ſolum *Præfationem* toti huic Operi præmiſiſſe *Buddeum*, ſed etiam elaboraſſe *Tomi I Obſ. 1, 15, 16, & 21; Tomi II Obſ. 10; Tomi III Obſ. 12, 13, & 14; Tomi IV Obſ. 12 & 21; Tomi V Obſ. 9 & 11; Tomi VI Obſ. 25 & 29; Tomi VII Obſ. 18.* Quanquam infra apparebit, non omnes a *Buddeo* indicatas fuiſſe Obſervationes ſuas. Nec GUNDLINGIUS latere voluit, quarum ipſe Auctor ſit. Indicavit enim in *Præfatione* ad ſingularem Tomum *Obſervationum ſelectarum*, a ſe ſolo contextarum, & A. 1707 emiſſarum Halæ, ſe & *Præfationem* confeciſſe ad *Tomum tertium*, & compoſuiſſe in *primo Tomo Obſervationem 17*; in *ſecundo Obſ. 1, 7, & 9*; in *tertio Obſ. 4 & 5*; in *quarto Obſ. 15*; in *quinto Obſ. 13. Plura*, inquit, *in illis Obſervationibus non ſcripſi.* Idem docetur ab *Hempelio* in *Vita Gundlingii Cap. VII §. 4 pag. 7110 ſeq.* & in *Gundlingianorum Parte XLV*, (quæ ultima eſt,) *pag. 189 & 190.* Ac A. 1737 recuſæ ſunt Halæ Obſervationes hæ *Gundlingianæ* uno in volumine, quod inſcriptum eſt *Gundlingii Obſervationum ſelectarum Tomus ſecundus.* STRUVIUS, qui ipſe *Vitam* ſuam [c]) contexuit, inſertam Operis *Zeumeriani Tomo quarto pag. 216 ſeq.* adjecto librorum ſuorum catalogo, mentionem ſuarum *Obſervatio-*



d) Hujus rei teſtis eſt *Stollius*, collega ejus, *Hiſtor. liter. Cap. I §. 55 pag. 30.*

eum ibi emiſit, nec alibi earum indicem ſe præbuit. Quare & *Richardus pag. 114 in Vita Struvii* hoc duntaxat docere potuit, *inſerta nonnulla a* STRUVIO *fuiſſe Diariis Eruditorum, aliorumque laboribus*. Nec REIMMANNUS fecit ſecus; qui etiam in *Catalogi* ſui *critici Tomo ſecundo*, & quidem *pag. 701 & 702*, nuper profeſſus eſt, ſe certis de cauſis nolle indicare, quarum *Obſervationum Halenſium*, ſive Latinarum, ſive Germanicarum, (nam conſtat, etiam Germanicarum *Obſervationum quinque Tomos* exſtare,) ipſe ſit Auctor. *Wolterſcains* tamen, im ausführlichen Berichte von neuen Büchern (eum enim eſſe præclari hujus Operis Auctorem, e *Kohlianis Novis literariis Anni 1737 pag. 375* manifeſtum eſt,) *pag. 651* tribuit *Reimmanno Tomi IV Obſ. 163; Tomi V Obſ. 3 & 4; Tomi VIII Obſ. 3, 8, & 12* (lege 13); *Tomi X Obſ. 5, 9, 10, 13, & 14*. Ubi tamen pro *9, 10*, legendum *8, 9*, ac prorſus tollendum *13*. TENZELII *Obſervationes*, hoc in Opere occurrentes, *Clarmundus* indicavit in *Vita ejus*, quæ primum Dresdæ A. 1708 ſeparatim edita fuit, deinceps inſerta a *Rollio Decadi Memoriarum ſecundæ pag. 434*.

His igitur in catalogis qui indicantur Auctores, eorum nomina ſuis adſcripturus infra ſum *Obſervationibus*, adjecta *ſtellula*. Ultimo loco docendus es, Lector, plurium *Obſervationum* Auctores mihi cognitos fuiſſe e plurimo ſcriptorum teſtimonio, ſed hic prætermiſſos a me eſſe teſtes, non neceſſarios. Sed veniamus nunc age in rem præſentem.

TOMI

# TOMI PRIMI

*Præfatio.* BVDDEVS.*
*Obſ. I.* BVDDEVS.*
*Obſ. II & III.* THOMASIVS.*
*Obſ. IV.* IAC. THOMASIVS. Id indicatur in §. 1. Vid. *Index MSS. pag.* 191 *n.* VII.
*Obſ. V.* IDEM. Vid. *Index MSS. pag.* 166 *n.* 25, *pag.* 202 *n.* 6, 7, *pag.* 212 *n.* 6, & *pag.* 213 *n.* 18.
*Obſ. VI.* IDEM. Vid. *Index MSS. pag.* 202 *n.* 1, & *pag.* 212 *n.* 4.
*Obſ. VII.* IDEM. Id quod *pag.* 82 indicatur. Vid. & *Index MSS. pag.* 203 *n.* 23.
*Obſ. VIII, IX.* GEORGIVS BEYERVS, JCtus. Unum eundemque eſſe harum *Obſervationum* Auctorem, docet collatio. Jam poſterioris ipſe ſe profitetur Auctorem *Beyerus* in Præfatione ad recuſum Lipſiæ A. 1704 *Antitribonianum Hotomanni*: ubi & huſus *Obſervationis* priores quindecim paragraphos denuo exhibet.
*Obſ. X, XI, XII, XIII.* THOMASIVS.*
*Obſ. XIV.* STAHLIVS.*
*Obſ. XV, XVI.* BVDDEVS.*
*Obſ. XVII.* GVNDLINGIVS.*
*Obſ. XVIII.* STAHLIVS.*
*Obſ. XIX.* THOMASIVS.*
*Obſ. XX.* STRVVIVS: qui id ipſe fatetur in *Actis literariis e MSS. erutis Faſcic. I pag.* 45, & in *Introd. ad notit. liter. Cap. IV* §. 31.
*Obſ. XXI.* BVDDEVS.*
*Obſ. XXII, XXIII, XXIV.* THOMASIVS: qui id

T 5 fatetur

fatetur in *Cautel. circa Præcognita Juriſprud. Eccleſ. Cap. XIII §. 4 & 7.*

*Obſ. XXV.* STAHLIVS.*

# TOMI SECUNDI

*Obſ. I.* GVNDLINGIVS.*

*Obſ. II, III, IV, V, VI.* STRVVIVS. Harum *Obſervationum* unum eſſe eundemque Auctorem, docetur in *Obſ. IV* §. *1*, & *Obſ. VI* §. *8*. Jam vero *tertiæ* Auctorem ſe profitetur *Struvius* in Diſp. A. 1703 edita *de Variis modis decernendi ſucceſſorem in regnis* §. *18*.

*Obſ. VII.* GVNDLINGIVS.*

*Obſ. VIII.* THOMASIVS: qui id ipſe indicat in ultima nota ad §. *1*, & in *Obſ. XIV* §. *1*, qui conferendus eſt cum *Obſ. VIII* §. *40*. Ipſe id rurſus indicavit in *Cautelarum Tom. I Cap. 9 pag. 120 & 125*, ac *Tom. II Cap. 10* §. *23*, & *Cap. 13* §. *4*.

*Obſ. IX.* GVNDLINGIVS.*

*Obſ. X.* BVDDEVS.*

*Obſ. XI.* IACOBVS THOMASIVS. Vid. *Index MSS. pag. 183 num. 11* §. *1*.

*Obſ. XII, XIII.* THOMASIVS: qui id ipſe indicat *Obſ. XII* §. *63*, & *Obſ. XIII* §. *12* & *15*.

*Obſ. XIV.* IACOBVS THOMASIVS: id quod indicatur §. *1* & *28*. Reliquorum §§. Auctorem eſſe filium, nemo lector dubitare poterit; ejusque rei etiam *Stollius* teſtis eſt in der Nachricht von ſeiner Bibliotheck *Tom. II pag. 427*.

*Obſ. XV.* IDEM. Vid. *Index MSS. pag. 170 n. 86*, & *pag. 194 n. 46*. Obſervationis hujus *paragraphi*

*graphi decimi* & usque ad finem ſequentium Auctorem eſſe filium, non eſt, quod dubitem.

*Obſ. XVI.* Hujus Auctorem eſſe BVDDEVM, per literas mihi indicarunt *Struvius* & *Stollius*. Cum vero eam *Buddeus* inter ſuas non recenſeat, nec ſuperſcripſerit more ſuo Σύνοψις, licet ſtylus eum videatur prodere; tamen faciam, quod eſt æquius, hoc eſt, *Buddeum* eſſe Auctorem, dubitabo, donec certius id cognovero. Ceterum apparet ex hac *Obſervatione*, *Franciſcum Georgium* fuiſſe egregium nugarum & ineptiarum Cabbalicarum architectum.

*Obſ. XVII.* THOMASIVS: qui ſe prodit ipſemet §. 12, itemque in notis ad *Huberi Jus civitatis pag.* 721 & 722. *Juſtini Presbeutæ*, qui hic laudatur, ſub nomine latere *Henricum Henniges-ſium*, Legatum Brandeburgicum, docet *Stollius* in der Nachricht von ſeiner Bibliotheck *Tom. II pag.* 427.

*Obſ. XVIII, XIX, XX, XXI.* IACOBVS THOMASIVS. Vid. *Index MSS. pag.* 194 *n.* 43, 44, 45, & 47.

## TOMI TERTII

*Præfatio.* GVNDLINGIVS.*

*Obſ. I.* STRVVIVS: id quod apparet e *pag.* 3, 4, & 5, jamque cognitum fuit *Fabricio Biblioth. Græc. Lib. I Cap.* 4 §. 1. Denique ipſe id fatetur *Struvius Biblioth. hiſt. Cap.* 3 §. 1.

*Obſ. II.* STRVVIVS: quod ipſe indicat prioris *Obſervationis* verbis omnium poſtremis, & hujus *Obſervationis* primis.

Obſ.

*Obſ. III.* STRVVIVS. In ipſo *primo* §. indicatur, hujus *Obſervationis* eundem eſſe Auctorem, qui ſuperiorum duarum. Recte igitur *Struvio* hanc tribuit *Fabricius Bibl. Lat. Lib. II Cap. 6* §. *5*, & *Lib. III Cap. 9* §. *2.* Imo id ipſe fatetur in *Bibliotb. hiſt. Cap. III* §. *2* extremo.

*Obſ. IV, V.* GVNDLINGIVS.*

*Obſ. VI.* TENZELIVS. Id cum indicaſſet *Struvius* in *Introd. ad rem lit. Cap. IX* §. *2*, recte factum eſſe, ſcripſit ipſe *Tenzelius* in *Bibliotheca* ſua *curioſa ad Annum 1706 pag. 192*, faſſus ſimul, ſe etiam Auctorem eſſe *Obſ. ſeptimæ Tomi quarti*, & *decimæ quinti.* Tres igitur has *Obſervationes* cum *Struvio* aſſignaſſet *Groſchuffius* in *Præf.* ad *Novam librorum rariorum Collectionem*, ſuſtulit ipſe hunc errorem in *Erratis, pag. 597* adjectis: qui fortaſſe verum cognoverat e viventi ſecum Lipſiæ amico *Tenzelii*, *Ittigio*, idem quippe docenti in libro *de Bibliothecis & Catenis Patrum Cap. III* §. *5 pag. 86 ſeq.*

*Obſ. VII.* STAHLIVS.*

*Obſ. VIII.* Hujus continuationem exhibet *Tomi IV Obſervatio octava*, & *Tomi VI Obſ. 31. Thomaſius*, qui primæ primum ſcripſit paragraphum, in eo docet, Auctorem ipſius eſſe Legatum quendam in Comitiis Ratisbonenſibus. Ac ipſe Auctor id docet §. *29 pag. 183.* Rurſus *Thomaſius* in nota ad *Tom. VI Obſ. 31* §. *1* Auctorem vocat *Virum Illuſtrem.* Scilicet ſcriptor harum *Obſervationum* eſt clariſſimi ille nominis vir, cujus præfixo *Juſtini Presbeutæ* nomine editum libellum *de Jure legationis Statuum Imperii*

*perii* ſupra *Tom. II Obſ. 17 §. 20 pag. 416* laudavit *Thomaſius* majorem in modum, HENRICVS HENNIGES, Legatus Brandeburgicus, in Comitiis Francofurtanis A. 1711 exſtinctus.

*Obſ. IX.* Hujus ſe non eſſe Auctorem, teſtatur *Thomaſius* in *Cautel. Tom. II Cap. 13 §. 9 pag. 154.* Verum Auctorem eſſe CHRISTIANVM HELWICHIVM, Medicum Vratislavienſem, (qui ſoceri ſui, æque e Lutherano Pontificii, *Vitam* ſcripſit, inſertam *Vitis ſelectis*, Vratislaviæ A. 1711 editis, *pag. 581 ſeq.*) teſtis eſt idoneus *Stollius Hiſt. liter. P. I Prolegom. §. 63 pag. 42*, & in *Tomo primo* der Nachricht von ſeiner Bibliotheck *pag. 739*, & in *Commentario ad* meum *Conſp. reip. lit. pag. 107.*

*Obſ. X.* Idem HELWICHIVS: qui ipſe id haud obſcure docet *pag. 200.* Vid. & *Vitæ* illæ *ſelectæ pag. 600.*

*Obſ. XI.* STAHLIVS.*

*Obſ. XII, XIII, XIV.* BVDDEVS.*

*Obſ. XV, XVI, XVII. Jureconſultum clariſſimum* eſſe hujus trigæ Auctorem, docet *Thomaſius* ad *Huberi Jus civitatis pag. 88.* Nominatim eum per literas mihi indicavit *Stollius*, GEORGIVM BEYERVM, *Thomaſii* diſcipulum.

*Obſ. XVIII, XIX.* IDEM eſt Auctor, qui *Tom. II Obſ. octavæ*, cujus hæc eſt continuatio; ſcilicet THOMASIVS: qui id ipſe indicat in Notis ad *Huberi Jus civitatis pag. 189*, itemque in *Cautelarum Tom. II Cap. 13 §. 4*, & *Cap. 17 §. 19.*

*Obſ. XX.* STAHLIVS.*

TOMI

# TOMI QUARTI

*Obſ. I, II.* STRVVIVS: qui *Obſ. II* §. *6* ſuum *Syntagma Antiquitatum Romanarum* laudat. Clarius id ipſe fatetur in *Introd. ad rem lit. Cap. VII* §. *5*.

*Obſ. III, IV, V, VI.* IACOBVS THOMASIVS. Vid. *Index MSS. pag. 159 n. 10, 11, 12, & 13,* ac *pag. 168 n. 56.* Vid. *Obſ. III* §. *12.* Idem indicat filius *Thomaſius Cautel. Tom. I Cap. 14* §. *52 pag. 232.*

*Obſ. VII.* TENZELIVS. Vide, quæ dixi de *Obſ. ſexta Tomi tertii.*

*Obſ. VIII.* HENNIGESIVS. Videas, quæſo, ſupra prolata ad *octavam Obſ. tertii Tomi.*

*Obſ. IX.* IACOBVS THOMASIVS: qui id ipſe indicat §. *12.* Idem indicat §. *25* continuator hujus Diſſertationis, quem eſſe non dubito *Buddeum.* Vid. & *Index MSS. pag. 160 n. 25,* & *pag. 203 n. 24.*

*Obſ. X.* STRVVIVS: qui, tum Ienenſis Academiæ Bibliothecarius, ſe ſatis prodit §. *4 pag. 179.* Clarius id fatetur in *Introd. in notitiam rei lit. Cap. IV* §. *9* extremo, & §. *31 pag. 183.*

*Obſ. XI.* Priorum §§. *17* Auctor diverſus eſt ab Auctore ſequentium: qui priorem initio *paragraphi 18* vocat *amicum ſuum.* Hic autem continuator eſt GEORGIVS BEYERVS, quippe §. *28* commemorans ſuam quandam Diſſertationem. Laudatur hæc Obſervatio a *Thomaſio* in §. *1* ſuæ Diſp. *de Hominibus propriis & liberis Germanorum;* ut adeo errent, qui *Thomaſio* eam adſcripſerunt.

*Obſ.*

*Obſ. XII.* BVDDEVS.*

*Obſ. XIII.* STRVVIVS. Ipſe id non diſſimulat, commemorans §. *3* ſuum *Syntagma Antiqu. Rom.*, & §. *30* laudans patrem ſuum, *Georgium Adamum Struvium.*

*Obſ. XIV.* STAHLIVS.*

*Obſ. XV.* GVNDLINGIVS.* Qua phraſi §. *15* utitur, ſcribens, *ignorantiam tum temporis Bacchanalia ſua celebraſſe*, eadem in *Tom. II Obſ. 1* §. *56* jam uſus erat: ut adeo phraſis hæc nominari mereatur *Gundlingiana.*

*Obſ. XVI.* REIMMANNVS: qui & Auctor eſt *Tom. V Obſ. 3* & *4*, itemque *Tom. VIII Obſ. 3.* Ipſe quatuor harum Diſſertatiuncularum Auctorem ſe profitetur in *Hiſt. lit. Germ. Tom. III pag. 472*, (ſcias autem, Lector, bis hanc paginam in hoc *Tomo* occurrere errore typographi,) & in *Catalogi* ſui *critici Tom. II pag. 169.*

*Obſ. XVII.* Auctor ſe indicat §. *3*, cum ſcribit, ſe alibi egiſſe *de palatio regio.* Atqui de hoc argumento libellum edidit ANDREAS OCKELIVS, JCtus, & poſtea civitatis Halenſis Conſul.

*Obſ. XVIII.* Idem Auctor, qui proxime præcedentis.

*Obſ. XIX.* IACOBVS THOMASIVS. Vid. *Index MSS. pag. 172 n. 107.* Et clare id indicatur in hujus *Obſervationis* §. *57*, quem paragraphum una cum ſubſequenti adjectum fuiſſe a filio, *Chriſtiano Thomaſio*, vel ſtylus loquitur.

*Obſ. XX.* STRVVIVS: id quod inde colligo. Hic §. *26 pag. 434* ſcribit, *nuper amicum ſibi retuliſſe, librum* de tribus impoſtoribus *MSS.*

*apud*

*apud ſe exſtare lingua Italica.* Et in *Diſſertatione de doctis impoſtoribus* §. X extremo hæc fundit verba: *Ipſe de amico teſtari poſſum, qui affirmavit, ſe poſſidere talem librum lingua Italica ſcriptum.* Vide, quæ poſtea dicam de *Tomi V Obſ. 1*, quippe quæ eſt hujus *Obſervationis* continuatio.

*Obſ. XXI.* BUDDEUS. * Errat proinde *Wernsdorfius* in libri *de Indifferentiſmo religionum Diſſ. I* §. 55, ubi, *Thomaſium* eſſe hujus *Obſervationis* Auctorem, e *ſtyli mordacitate* recte ſibi videtur colligere.

## TOMI QUINTI.

*Obſ. I.* STRUVIUS, hic loci, uti §. 1 fatetur, continuans *Obſervationem XX* præcedentis *Tomi.* Ipſe ſui index eſt in *Introd. in notit. rei lit. Cap. IX* §. 8, ſed obſcurior: ut inde colligi queat, ipſum latere maluiſſe.

*Obſ. II.* STRUVIUS, §. 1 ſcribens, a ſe hic præcedentem *Obſervationem* continuari.

*Obſ. III, IV.* REIMMANNUS. Vide, quæ dixi ad *Tomi IV Obſ. 16.*

*Obſ. V, VI.* HENNIGESIUM eſſe harum Auctorem, dubitare me vetant aliæ ejus Diſſertationes ſimilis argumenti, *Obſervationibus* his immixtæ.

*Obſ. VII.* THOMASIUM eſſe Auctorem, ego quidem non dubito. Vel ſtyli forma id prodit, e. g. *pag. 232, 234, 241.*

*Obſ. VIII.* STAHLIUS. *

*Obſ. IX.* BUDDEUS. * Qui & in libro *de Atheiſmo* id fatetur *pag. 319.*

*Obſ. X.* TENZELIUS. Vide dicta ad *Tomi III Obſ. 6.*

*Obſ. XI.* BUDDEUS.*

*Obſ. XII.* STRUVIUS, qui id fatetur in Diſp. A. 1710 edita, in qua exhibet *Specimen examinis periodorum fatalium in hiſtoria, potiſſimum Gallica,* §. 23.

*Obſ. XIII.* GUNDLINGIUS,* qui idem profitetur in *Hiſtoria* ſua *Philoſophiæ moralis Cap. VII pag. 73.*

*Obſ. XIV.* TENZELIUS: id quod *Clarmundus* docet in *Vita Tenzelii* (*Rollii Memoriis Philoſophorum*, & quidem *Decadi ſecundæ*, inſerta,) *pag. 434.* Idem docetur in *Novis literariis Hamburgenſibus Anni 1703 pag. 338.*

## TOMI SEXTI

*Obſ. I, II, III, IV, V, VI, VII.* JACOBUS THOMASIUS. Vid. *Index MSS. pag. 198 n. 95, 96, 99, 102, 103, 104, &* 105. Poſtremæ *Obſervationis* (cujus *paragrapho decimo quinto* ea verba, quæ ultimum *paginæ 61* verſum conſtituunt, adjecta eſſe ab Halenſi *Thomaſio,* nemo ægre credet,) exemplar MSS. vidi aliquando apud amicum quendam, cujus pater id calamo exceperat in ſcholis *Jacobi Thomaſii.* Primæ Auctorem eſſe eundem *Jacobum*, etiam teſtis eſt, & quidem αὐτόπτης, *Buddeus* in *Inſtit. Theol. mor. P. II Cap. 3 Sect. 7* §. *6 pag. 670.*

*Obſ. VIII, IX.* Utriusque ſe Auctorem eſſe, per literas docuit me STRUVIUS, præceptor quondam meus, poſtea fautor perpetuus.

*Obſ. X.* HELWICHIUM, Medicum Sileſium, Poetæ hujus Sileſii vitam compoſuiſſe, credebam. Jam in *Tomo tertio* duas ejus *Obſervationes* deprehendimus; ac hoc ipſo in *Tomo ſexto* ejusdem eſt *Obſervatio vigeſima ſexta.* Amico cuidam, hanc Diſſertationem tribuenti IACOBO THOMASIO, objiciebam §. *XXI pag. 96*, ubi laudatur *Neumeiſteri Specimen Diſſertationis hiſtorico-criticæ de Poetis Germanicis*, diu poſt mortem *Thomaſii* editum. Nunc e *Stollio* diſco, eam Auctorem habere BRESLERUM, Equitem Sileſium doctiſſimum, & literariæ hiſtoriæ haud mediocriter peritum. Vid. Nachricht von der Stolliſchen Bibliotheck *Tom. II pag. 430.*

*Obſ. XI* & *XIII.* Unius ejusdemque Auctoris eſſe, apparet facile. Eſt item veroſimile, interjectam *Obſervationem XII* ab eodem eſſe profectam; idque ea re confirmatur, quod tres hæ Diſſertationes titulum gerunt communem, *Synopſis.* Jam hanc facio conjecturam. Recenſionem *Theologiæ in numeris*, quam *Obſervatio XII* exhibet, vix ac ne vix quidem credo quemquam compoſitutam fuiſſe præter Auctorem ipſum, qui nomen adſcivit *Iſidori Chariſii Logothetæ, Philyropolitani.* Eſſe autem hunc IOANNEM CHRISTIANUM LANGIUM, Lipſienſem, Philoſophiæ moralis tum in Academia Giſſenſi Profeſſorem, & *Nova literaria Hamburgenſia Anni 1703* docent *pag. 115.*, & *Fabricius* in *Biblioth. Græc. Lib. IV Cap. 22 pag. 10*, & *Reimmannus* in *Hiſt. liter. Germ. Tom. III pag. 139.*

Ac

Ac ipſemet id cognovi illo ipſo, quo prodierat hic liber, anno ab amico quodam *Langii* familiariſſimo. Ceterum illud præterea moneo, ultimam ultimi paragraphi periodum mihi videri a *Buddeo* adjectam; ut ſcilicet Philoſopho morali Giſſenſi commendationis officium præſtaret Philoſophus moralis Halenſis. Erant enim amici, ac literarum quoque commercio colebant amicitiam.

*Obſ. XIV, XV, XVI, XVII, XVIII, XIX, XX, XXI, XXII, XXIII.* IACOBVS THOMASIVS. Vid. *Index MSS. pag. 184 n. III; pag. 185 n. 2, 4, 5, 6, 8, 9, 10, 11,* & *12.* Videas item in his ipſis *Obſervationibus pag. 124 §. 63 pag. 126 §. 11; pag. 130 §. 5; pag. 145 §. 5; pag. 159 §. 6; pag. 167 §. 5; pag. 168; pag. 171,* & *pag. 181 §. 7.* Etiam *Chriſtianus Thomaſius* ad *Huberi Jus civitatis pag. 427* docet, ſe has *Obſervationes* huic *Tomo* inſeruiſſe; quem proinde nec dubito Auctorem eſſe annotationis illius, quæ *Obſervationi XXIII* ſubjecta eſt *pag. 185* & *186.*

*Obſ. XXIV.* REIMMANNVS: qui obſcure ſe prodit *§. IX pag. 192,* clariſſime vero in *Hiſtoria* ſua *lit. Germ. Tom. III pag. 481 lit. Hh.* Bis enim hanc *paginam* exhibuit errans typographus.

*Obſ. XXV.* BVDDEVS.*

*Obſ. XXVI.* HELWICHIVS: qui & initio *paragraphi primi*, & in ejus exitu, ſui index eſt obſcurior. Fuit ſcilicet gener Theologi quondam Regiomontani, *Pfeiferi.* Vide, quæ dixi ad *Tomi III Obſervationem nonam.*

*Obſ. XXVII.* THOMASIVS: qui ſtatim initio ſe prodit §. 1, ac in *Fundamentis* quoque *Juris naturæ & gentium* ſe ejus Auctorem profitetur *pag. 186* §. *33*, *pag. 197* §. *5*, & *pag. 199* §. *22*; itemque in Notis ad *Huberi Jus civitatis pag. 1, 2, 3, 8, 9, 10, 23*, & *569*.

*Obſ. XXVIII.* STAHLIVS. * Ei etiam hanc tribuit *Thomaſius Cautel. Tom. I Cap. 18* §. *44 pag. 309*.

*Obſ. XXIX.* BVDDEVS. * Idem docet Theologus Helmſtadienſis, *Joannes Andreas Schmidius*, in Diſp. *de Modo propagandi religionem per carmina* §. *VI pag. 8*.

*Obſ. XXX.* Priores quatuor paragraphi, itemque omnium ultimus, Auctorem habent THOMASIVM. Cetera, Gallice ſcripta, cujus e calamo profluxerint, ne *Thomaſius* quidem ſatis nos docere potuit. Lege ſis *primum* ejus *paragraphum*.

*Obſ. XXXI.* Hujus Auctorem eſſe HENNIGESIVM, ſupra jam non ſemel memoratum, docuit me per literas *Stollius*, addens, annotationes, huic *Obſervationi* ſubjectas, Auctorem habere THOMASIVM. Utrumque jam ante credideram ſupra ad *Tomi III Obſ. 8*; ſed confirmatiorem me fecit *Stollius*, rerum *Thomaſianarum* peritiſſimus. Quanquam nec ipſe *Thomaſius* latere voluit, ſtatim initio primæ annotationis ſuam commemorans Diſputationem *de Colliſione morum cum jure ſcripto*. Ac in Notis ad *Huberi Jus civitatis pag. 736* docet ſatis perſpicue, eundem eſſe Auctorem *Tomi III Obſ.*

octavæ,

*octavæ*, & *Tomi VI* (ita enim ibi pro *VIII* excudendum erat,) ultimæ. Atqui ſupra vidimus, octavam *Tomi tertii Obſervationem* deberi *Henniges*io.

# TOMI SEPTIMI

*Obſ. I, II, III.* Auctorem fuiſſe Medicum quendam Halenſem, antea Numburgenſem, *Bohnii* diſcipulum, ejusque A. 1674 Reſpondentem, didici e *pag. 9, 11, 21, 39, 51, 60, 61, 67, 75, 90, 94, 97, 99, 101,* & *102.*

*Obſ. IV.* STRUVIUS: qui id fatetur in *Introd. in notitiam rei lit. Cap. X §. 4 pag. 487.*

*Obſ. V, VI, VII.* IACOBUS THOMASIUS. Vid. *Index MSS. pag. 194 n. 48; pag. 239 n. 58,* & *pag. 238 n. 57.* Quibus ex locis apparet, haſce Diſſertationes jam fuiſſe typis excuſas A. 1667.

*Obſ. VIII, IX.* REIMMANNUS: id quod per literas me docuit *Stollius.* Obſervare liceat, *Hirnhaimium* titulum libri ſui *de Typho generis humani* accepiſſe ab *Auguſtino*, ita locuto *Lib. IX Confeſſionum Cap. 4.*

*Obſ. X, XI.* Harum *Obſervationum* unum eundemque eſſe Auctorem, docet mentio *B.* cujusdam in §. *I* prioris, & in §. *II* poſterioris *Obſervationis.* Utriusque Auctorem eſſe, ſuſpicor, IO. CHRISTIANUM LANGIUM, de quo vide, quæ ſupra dixi ad *Tomi VI Obſ. XI.*

*Obſ. XII.* STAHLIUS.*

*Obſ. XIII.* Idem eſt Auctor, qui *nonæ* Obſervationis: quippe cujus hæc eſt continuatio.

*Obſ. XIV.* STRUVIUS: qui per literas id me

ſcire voluit. Quanquam & in §. *ultimo* ſe prodit, Codicem MS. laudans Bibliothecæ Jenenſis, cui tum, cum ſcribebat hæc, præfectus erat.

*Obſ. XV.* Hujus Auctorem ſuſpicabar eſſe STRVVIUM. At non confirmavit hanc meam conjecturam ſtylus, a *Struviano* quippe diverſus. Evolvi *Lehmanni Manes Grotianos*, ſi forte hic mihi indicaret hujus *Obſervationis* Auctorem. Sed altum hic ſilentium; qui quidem ſcriptor cum ſingulari prorſus induſtria, quicquid ad res & laudes *Grotii* pertinet, congeſſerit, inſigni peccato omiſit *ſcriptores vitæ Grotii*; quorum ita magnus eſt numerus, ut vix quisquam eruditorum tot ſit nactus præcones biographicos. In mentem hinc mihi veniebat ſuſpicari, Auctorem hujus *Obſervationis* eſſe *Jacobum Thomaſium*, qui, uti *Index MSS. ejus pag. 224* docet, multa congeſſit de *Grotio*. Verum, quia hac in *Obſervatione* aliquot libri laudantur, poſt mortem demum hujus *Thomaſii* editi, mutavi hanc ſententiam, facile tamen credens, Auctorem hujus *Obſervationis* in manibus habuiſſe adverſaria illa *Thomaſiana*.

*Obſ. XVI.* Et hanc Diſſertationem STRVVII eſſe, ſuſpicabar. Sed, cum non videatur ejus mentionem omiſſurus fuiſſe in *Syntagmatis* ſui *Hiſtoriæ Germanicæ Cap. XVI* §. *10*, receſſi ab hac ſententia. Tamen, cum ſtylum rurſus intueor, credendum mihi videtur, e calamo *Struvii* profluxiſſe *Obſervationem* hanc.

*Obſ. XVII.* Etiam hæc *Obſervatio* videtur eſſe STRVVII. Verum multa videntur, quæ non

ſunt.

ſunt. Quare, hujus duarumque præcedentium *Obſervationum* Auctores qui ſint, ab aliis doceri geſtio.

*Obſ. XVIII.* BVDDEVS. *

*Obſ. XIX.* STAHLIVS. * Statim §. 1 & 3 indicatur, Auctorem eſſe eundem, qui decimam quartam confecit *Tomi quarti Obſervationem.* Hunc vero *Stahlium* eſſe, certum eſt. Ac *Thomaſius* quoque in *Cautelarum Tom. I pag.* 298 docet, utriusque *Obſervationis* Auctorem eſſe *Stahlium.*

*Obſ. XX, XXI.* IACOBVS THOMASIVS. Vid. *Index MSS. pag. 162 n. 54, & pag. 165 n. 6, & pag. 202 n. 8.*

## TOMI OCTAVI

*Obſ. I.* STRVVIVS: id quod per literas ipſe me docuit.

*Obſ. II.* Stylus prodere videbatur BVDDEVM. Sed poſtea curatius relegens hanc *Obſervationem*, multa obſervavi, cum *Buddeano* dicendi genere haudquaquam convenientia.

*Obſ. III.* REIMMANNVS. Ipſe fatetur in *Catalogi critici Tom. II pag. 169.* Ac ſtatim hic §. 1 docet, eundem eſſe Auctorem, qui ſuperiores *de igne, aere, & aqua, Obſervationes* compoſuit.

*Obſ. IV.* IOANNES PHILIPPVS PFEIFFERVS, Theologus quondam Regiomontanus. Hanc *Obſervationem* Halam miſit, ut *Obſervationibus ſelectis* interjiceretur, *Helwichius*, ejus gener; qui id ipſe refert in *Vita Pfeifferi*, *Vitis ſelectis*, A. 1711 editis, inſerta, *pag. 599.*

*Obſ. V.* Hujus Auctor mihi eſt incognitus.

*Obſ. VI.* GVNDLINGIVS a nonnullis habitus fuit hujus *Obſervationis* Auctor. Sed, præterquam quod ſtylus refragatur, etiam antagoniſta ejus, qui A. 1709 edidit weitere Fortſetzung der erbaulichen Gedancken über Gundlings *Otia*, *pag.* 45 diſerte docet, Auctorem hujus *Obſervationis* a *Gundlingio* diverſum eſſe. *Fechtius* in Diſputatione, A. 1706 huic Obſervatori oppoſita, nullam facit de ejus Auctore conjecturam. Cum autem *pag.* 11 doceat, notiſſimum Theologum, *Zieroldum*, & ipſum tribuiſſe *Adamo corpus lucidum*, prætereaque mihi ſit obſervatum, etiam *G. Arnoldum* in libro vom ehelichen Leben *Cap. VII* §. 7 *pag.* 155 idem ſtatuiſſe, didicerimque jam dudum e *Fabricii Codice pſeudepigrapho V. T.*, & quidem e *Tomi ſecundi pag.* 12, eandem fuiſſe ſententiam *Anaſtaſii Sinaitæ*; confirmatam video meam ſententiam, e ſtyli forma colligentis, Auctorem hujus *Obſervationis* eſſe BVDDEVM. Certe is, cum in *Tom. I Hiſt. Eccl. V. T. pag.* 92 §. *XI* contrariam defendit ſententiam, nullam facit hujus *Obſervationis*, ſibi cognitiſſimæ, mentionem. Id quod argumento mihi eſt, ipſum poſtea mutaſſe ſententiam; cognito, *non poſſe proferri argumentum ſolidum, quo ſuperſtruatur hæc ſententia.* Ne vero quis forte putet, me invidiam facere Manibus *Buddei*, ſtatuo, non tam hæreſéos, quam piæ ſimplicitatis & εὐηθείας, ream eſſe hanc ſententiam; eamque tum placuiſſe *Buddeo*, cum inflammaret ipſum

amor

amor erga homines illius temporis, pia paradoxa ſectantes; poſtea diſplicuiſſe, cum, omiſſo affectu, rem ipſam conſideraret ſobrie & acute. Errare videlicet humanum eſt, errorem abdicare tum philoſophicum eſt, tum theologicum.

*Obſ. VII.* Auctorem hujus ignoro.

*Obſ. VIII* REIMMANNVS. * Erat illo tempore ſcholæ Halberſtadienſis Rector. Hinc *pag.* 174, *Nos*, inquit, *Halberſtadienſes.*

*Obſ. IX.* STRVVIVS, hoc mihi faſſus per literas.

*Obſ. X.* Anti-*Ariſtotelicum* hujus *Obſervationis* Auctorem nullo indicio habeo cognitum.

*Obſ. XI, XII.* Eundem Medicum, qui Auctor eſt trium primarum *Tomi ſeptimi Obſervationum*, harum duarum compoſitorem fuiſſe, apparet e *pag.* 258, 271, 274, 277, 295, 304, 312, 325, & 327.

*Obſ. XIII.* REIMMANNVS, * qui & adverſus antagoniſtas ſuos (*Læſcherum*, *Rollium*, *Baeckmannum*,) mirabilem in modum eam defendit in *Catalogi* ſui *critici Tom. I pag.* 619 *ſeq.*

*Obſ. XIV.* REIMMANNVS: id quod nuper nos docuit *Caſpar Abelius Archæologiæ Hebraicæ* (Germanice ſcriptæ) *Lib. I Cap.* 2 *pag.* 252. Scilicet interdum & *Homeri* dormitant. Præterea multa ſtatuimus intra velum, quæ dicturi non eramus palam. Denique multa defendimus & amplexamur juvenes, quæ poſtea, quam judicium maturuit, ac fervor cogitationum mitigatus eſt, rejicimus & damnamus.

*Obſ. XV.* Auctor idem Medicus, quem ad *Obſ. XI*

 laudavi.

laudavi. Vid. *pag. 388, 404, 409, 417, 422, 423, 431*, & *439*.

*Obſ. XVI*. Exhibentur hic ob raritatem ſuam recuſi tres GEORGII SABINI libelli hiſtorici. Prologum *pag. 441, 442*, & *443*, præmiſit Profeſſor quidam Halenſis, & quidem (niſi me ſtylus fallit,) *Buddeus*.

## TOMI NONI

*Obſervationes* omnes Auctorem habent IACOBVM THOMASIVM, adeoque non merentur titulum *Halenſium*, ſed *Lipſienſium*, *Obſervationum*. Nec eſt hæc ſola fraus bibliopolæ, ſed Lectori etiam, exſpectanti *Obſervationes* novas, certe nondum editas, exhibet, quæ jam dudum prodierant in publicum. Prima enim *Obſervatio* ſub titulo *Diſputationis Academica* excuſa fuerat Lipſiæ A. 1663; ſecunda A. 1658, recuſa A. 1702; tertia A. 1659; quarta & quinta in uno faſce A. 1671; ſexta A. 1665; ſeptima A. 1666; octava & nona uno comprehenſæ libello A. 1667; decima A. 1671. Vid. *Index Diſputationum*, a *Jac. Thomaſio* editarum, qui ejus *Originibus Hiſtoria philoſophicæ & eccleſiaſticæ* ſubjectus eſt *pag. 234-241*.

Idem bibliopola, cum deſiſterent *Thomaſius*, *Buddeus*, *Stahlius*, *Struvius*, conferre ſymbolas, alios rogavit, ut ſuas ſibi mitterent *Obſervationes* mercede non indignas. Videbat enim, eos non eſſe laboraturos ſine operæ pretio. Ita *duo* adhuc *Tomi* exierunt, *decimus* atque *undecimus*.

TOMI

TOMI DECIMI

*Obſ. I, II.* Utriusque eundem eſſe Auctorem, facile perſuadet argumenti affinitas. Auctor ſe cognoſcendum præbet initio paragraphi quinti.

*Obſ. III.* Ignotus mihi eſt hujus Auctor.

*Obſ. IV.* IACOBVS THOMASIVS. Eſt hæc continuatio *Obſervationis* poſtremæ *Tomi* præcedentis.

*Obſ. V.* REIMMANNVS.* Ipſe ſe prodit §. *III pag.* 77, & in *Hiſt. lit. Germ. Tom. II pag.* 346.

*Obſ. VI, VII.* Male collocavit has *Obſervationes* typographus. Poſteriorem enim priore loco exhibendam fuiſſe, docet ſextæ initium. Eſt autem utriusque Auctor STRVVIVS, qui *pag.* 135 §. 39 ſe prodit, laudans *Bibliothecam* ſuam *numismatum*. Ac ſunt conjungendæ hæ duæ Diſſertationes cum prima *Tomi octavi*, quæ ejusdem eſt Auctoris.

*Obſ. VIII, IX.* REIMMANNVS.* Id ipſe fatetur in *Catalogi Critici Tomo II pag.* 102, 222, & 530.

*Obſ. X.* Doctorem aliquem Halenſem eſſe hujus *Obſervationis* Auctorem, diſco e §. 20 *pag.* 262. Quodnam autem illi nomen, ignoro.

*Obſ. XI.* Hic Auctor, *Hardtianam* ſententiam copioſe exponens, non videtur diverſus eſſe ab Auctore *Obſervationis* XIV *Tomi octavi*, in qua alia *Hardtii* opinio paradoxa defenditur. Ac ipſe ſtylus prodere videtur Auctorem ſuum.

*Obſ. XII.* De hoc argumento Jenæ A. 1702 ediderat Diſputationem M. *Gottfridus Jalofky*, Vratislavienſis. Hæc magnam partem hic exhibetur, ita tamen, ut ſimul refutetur *Jalofkii*

(licet

(licet nominatim non commemorati) de *Rogerio Bacone* ſententia. Quis autem ſit *Obſervationis* hujus conſcriptor, non ſatis ſcio.

*Obſ. XIII.* REIMMANNVS. Ipſe id nobis indicat in *Hiſt. lit. Germ. Tom. I pag. 311*; quanquam in ipſa hac *Obſervatione* jam *pag. 341* in *nota n* ſui fecit indicium.

*Obſ. XIV.* IDEM. Suum *de Fatis ſtudii Genealogici* Opuſculum §. *2 pag. 362* commemorat; & initio ſtatim primi paragraphi docet, ſi hunc locum cum *pag. 188* conferas, ſe octavæ quoque hujus *Tomi Obſervationis* Auctorem eſſe. Quid multa? Ipſemet ſe indicavit in *Hiſt. liter. Germ. Tom. V pag. 579.*

*Obſ. XV.* KLEFFELIVS. Hoc per literas me docuit *Stollius.*

## TOMI UNDECIMI

ſive

## ADDITAMENTI

*Obſ. I.* Auctorem eſſe *Stablianum* aliquem, non *Stablium* ipſum, diſco e *pag. 17* & *19*, ubi magnifice prædicatur *Stablius.* Ipſe vero *pag. 71* cognoſci ſe jubet e *peculiari Schediaſmate de Studio medico rite pertractando.*

*Obſ. II.* Stylus hujus Auctoris prope accedit ad *Thomaſianum*, itemque tractandi ratio. Sed tamen e *pag. 100* & *108* apparet, non eſſe Auctorem *Thomaſium.* Prope credebam, eſſe *Gundlingium*, qui & A. 1721 emiſit librum, ita inſcriptum: *Singularia ad Legem Majeſtatis,*

*itemque*

*itemque de ſilentio in hoc crimine.* Sed, cum hoc in libro ne minimam quidem fecerit hujus *Obſervationis* mentionem, judico, eam ab ipſo non eſſe profectam. Adde argumentum, quod paulo poſt profero ad *Obſ. IV.*

*Obſ. III.* Ignotus mihi eſt hujus Auctor.

*Obſ. IV.* GVNDLINGIVM hujus eſſe Auctorem, credere me juſſit per literas *Stollius.* Dubitare tamen me, fateor; cum ipſe *Gundlingius* neget, ſe ullam huic Operi inſeruiſſe *Obſervationem* præter eas, quas indicavit in Præfatione ad *Tomum* ſuarum *Obſervationum ſelectarum.*

*Obſ. V.* Auctorem hujus BIERLINGIVS ſe profitetur in Libro *de Pyrrhoniſmo hiſtorico Cap. I pag. 29.*

*Obſ. VI. VII.* Harum Diſſertatiuncularum Auctorem ego quidem cognitum non habeo.

*Obſ. VIII.* Auctor in §. *1* docet, ſe etiam Auctorem eſſe *Obſervationis XIV*, quæ proinde priore loco erat collocanda; & *pag. 359* ait, ſe *Obſervationis* quoque *tertiæ Tomi quinti* fabricatorem eſſe. Nunc igitur conſtat ſatis, utramque eſſe compoſitam a REIMMANNO. Vide, quæ ſupra dixi ad *Tomi IV Obſ. 16.*

*Obſ. IX.* Auctorem hunc ſeptimam quoque concinnaſſe *Obſervationem*, ex orationis ſimilitudine colligo. *Errores χερσὶν τε ποσίν τε defendere*, phraſis ipſius eſt in priori *pag. 187*, in poſteriori *pag. 223.* Nec vero ſola hæc collatio mihi perſuaſit, ut unum crederem eſſe Auctorem utriusque.

Obſ. X.

*Obſ. X.* GVNDLINGIVM eſſe Auctorem hujus, crederem id per literas docenti me *Stollio*, niſi & dicendi & diſputandi ratio me revocaret ab aſſenſu. *Thomaſianus* quidem certe eſt Auctor, *paginæ 252* ipſiſſima fere verba *Thomaſii* inſerens e *Fundamentis Juris naturæ & gentium Lib. I Cap. 7 §. 26.* Quis autem genus, unde domo ſit, nondum habeo exploratum.

*Obſ. XI.* Et hunc eſſe credo *Thomaſiani* alicujus fœtum, imitantis *Dialogum Thomaſii de Definitione ſubſtantiæ*, qui ejus *Inſtitutionibus Jurisprudentiæ divinæ* annexus eſt. Sententiæ etiam hic occurrunt *Thomaſianæ.* At ſcripturæ genius a *Thomaſiano* differt nonnihil.

*Obſ. XII.* Auctor hujus, magnus & *Hardtii* & *G. Arnoldi* laudator, quis ſit, neſcio.

*Obſ. XIII.* Juriſconſultum quendam Halenſem prodit ipſum Diſſertationis argumentum. Quod ſit ei nomen, alius dixerit.

*Obſ. XIV.* Idem eſt Auctor, qui octavæ; ad quam nominatim eum laudavi. Ac ipſe ſe prodit hic loci, *pag. 359 §. 4* ſcribens, ſe etiam tertiæ quinti *Tomi Obſervationis* Auctorem eſſe. Hunc vero conſtat eſſe REIMMANNVM, virum inde a juventute tanto ſtudio literis omnis generis deditum, ut ne nunc quidem, hoc eſt, vitæ ſuæ ſeptuageſimo tertio anno, deſinat *vivere in literis.*

---

FRID.

# VI.
# FRID. OTTONIS MENCKENII
## DE
## VERA VOCUM
# EXEMPLUM ET EXEMPLAR
## SIGNIFICATIONE
## OBSERVATIO CRITICA

### I.

Vocis *exemplum*, qua non integriorem purioremque vetus habet Latium, & cujus uſus eſt aſſiduus ac frequens probatiſſimis Autoribus, cum ſint variæ ſignificationes, ab his, qui explicandis vocum Latinarum veris ac diverſis notionibus operam navarunt, diligenter annotatæ; tum in his jactari vulgo unam video, quam, quo certius ex male intellectis veterum Autorum locis eſſe natam patet, & quo minus ejus ratio ex iis fontibus, unde, quicquid pertinet ad Romani copias ſermonis, hauriri debet, videtur cognoſci poſſe, hoc ego majori jure in dubium vocandam, & ipſo proſcribendam Latio, exiſtimo. Nimirum ita conſtanter ipſi Criticorum principes nos docent, eam hujus vocis vim ac poteſtatem eſſe, ut idem, quod Græcis ἀπόγραφον, Latinis *transſcriptum*, barbaris *copia*, ſignificet. Suffecerit fortaſſe Lectoribus, ſi, Grammaticorum, aut Lexicographorum, aut ſimilium ſcriptorum, quoscunque inſpexi, ne unum quidem eſſe, dixero, qui hanc vocabulo ſignificationem non tribuat; ad id tamen, ut recte

instruatur

inſtruatur diſputatio, inprimis neceſſarium videtur, ipſa vel eorum tantum, quos ceteri in arte iſta duces & magiſtros ſunt ſecuti, verba hic proferri. Itaque primus prodeat *Antonius Schorus*, cujus in libro *de Phraſibus linguæ Latinæ Voc. Exemplum* hæc habes: *Inter cetera tribuitur hoc nomen literis, ſignificatque idem, quod Germanice* Exemplar *vocamus, Gallo-Latini* copiam *vocant.* Id probaturus, adducit loca nonnulla *Ciceronis*, ſed quæ nullam ad probandum vim habere, paulo poſt oſtendam. Huic *Caſp. Scioppium* ſubjungo, iisdem pæne verbis, & eodem probandi modo utentem in *Obſervationibus linguæ Latinæ Voc. Exemplum:* Exemplum, *een Affſchrift, een Copy.* Jam *Ambroſ. Calepini* in *Dictionario hexaglotto Voc. Exemplum* hæc ſunt verba: *Ponitur etiam aliquando* exemplum *pro exſcriptione, quam barbari* copiam *vocant.* Subjiciuntur loca *Salluſtii* & *Ciceronis*, ſed quorum non intellexit mentem *Calepinus.* Quod vero ad locum *Naſonis* in *Triſtibus*, ibidem adductum, attinet, de eo quid mihi videatur, infra dicam. A *Calepino* barbarum *exſcriptionis* vocabulum mutuatus *Baſ. Faber*, vera ex parte, ex parte falſa, profert in *Theſauro erud. ſchol. Voc. Exemplum:* Exemplum *etiam* formam *ſignificat*, *ſive* exſcriptionem *&* ſimilitudinem, *quam barbari* copiam *vocant*, Græc. ἀπόγραφον, *die Copie*, *Abſchrift.* Optime, quod ad *formam*; peſſime, quod ad *exſcriptionem*, *copiam*, *apographum.* Quis enim *formam rei*, ejusdemque *apographum*, rem eſſe eandem, ſibi perſuaſerit, cum ſit una tantum *forma*, *apographa* eſſe multo plura poſſint?

His

His duos addo recentiſſimæ ætatis viros doctos, & in definiendis alioqui vocum ſignificationibus ita, ut vix alius quisquam, accuratos: alterum *Gottlieb Kortium*, in *Notis ad Salluſtii Catil. Cap.* 34 §. 3 ita ſcribentem: Exemplum *eſt ἀπόγραφον, ſive quod barbare dicunt* copiam; alterum *Jo. Ge. Grævium*, in *Notis ad Ciceronis Epiſt. ad Div. Lib. V Ep. 4* eidem ſententiæ ſubſcribentem hiſce verbis: Exemplum *veteribus eſt, quod nos* copiam *dicimus*. In tanta ſcriptorum, rem eandem firmantium conſenſu ſuo, copia cavendum mihi cumprimis video, ne, ſi primus ego de iſta vocis notione dubitandum decernam, accuſari temeritatis poſſim. A qua culpa tunc immunem me futurum ſpero, ſi ita me geram, ut dubitationis meæ cauſas proferam, de harum vero pondere exiſtimandi Lectori ipſi facultatem relinquam.

II. Si quid igitur hic libere dicendum eſt, ex locis veterum Autorum, ſive quæ adducta ſunt ab illis ipſis, quorum modo mentio eſt facta, ſive quæ collecta mihi ſunt privato ſtudio, illud mihi recte cognoviſſe videor, *exemplum* non eſſe *exſcriptionem*, (ſi quidem vocabulo hoc uti nobis cum *Calepino* atque *Fabro* liceat,) aut quod Græci ἀπόγραφον, barbarive *copiam*, dicunt, ſed ipſam potius rei, de qua ſermo nobis eſt, e. g. epiſtolæ, teſtamenti, ſive ſcriptum ſit ab eo, qui compoſuit, ſive ab alio quocunque tranſſcriptum, *formulam*, quæ ſemper & ubique ſibi conſtat, ſed cujus *apographa* dari plura ſexcentis poſſunt. Ex ipſis Autorum locis mentem meam clarius perſpicient Lectores; Germanis autem meis hoc dixiſſe

 ſufficiet,

ſufficiet, idem eſſe *exemplum*, quod vulgo dicere *das Formular, Extenſum, eines Briefes, Teſtamentes*, &c. ſolemus. Id ipſum probaturus, talia primum *Ciceronis*, & huic æqualium, loca proferam, quæ hunc, quem poſui, & poſcunt, & prorſus imperant, ſignificatum; deinde oſtendam, etiam cetera, a *Fabro* & aliis adducta, loca, quæ admittere notionem alteram videntur, accommodate ad mentem meam poſſe explicari. Attendere igitur maxime te jubeo ad illa *Ciceronis Lib. IX ad Attic. Ep. 6: Scripta jam epiſtola, Capua literæ ſunt allatæ hoc* exemplo: *Pompejus mare tranſiit cum omnibus militibus, quos ſecum habuit. Hic numerus eſt hominum millia XXX. Et Conſules, duo & Tribuni plebis, & Senatores, qui fuerunt cum eo, omnes cum uxoribus & liberis*, &c. Nemini hic facile in mentem veniat, ex urbe Capua literarum *apographum*, aut, ſi magis vulgari vocabulo utendum, *copiam*, veniſſe; ſed illud omnes vident, ſermonem eſſe *Tullio* de literis, manu ejus, qui compoſuit, propria ſcriptis, haſque ab eo ſic, ut ſcriptæ fuerant, recitari. Ipſas igitur literas, ſeu harum formulam, *exemplum* dixit Tullius, ita brevius rem explicans, quam ſi, quod idem eſt, dixiſſet: *Capuæ literæ allatæ ſunt, in quibus hoc ſcriptum fuit*: &c. Ejusdem generis illa ſunt *Lib. XIII ad Attic. Ep. 30: Ciceronis epiſtolam tibi remiſi. - - - - Eam tibi epiſtolam miſiſſem. Nam illam alteram de rebus geſtis* eodem exemplo *puto*. Hic, cui acuti ſunt oculi, facile intelligit, hunc verborum ſenſum eſſe: non opus eſſe, ut duæ epiſtolæ mittantur, & ſatis futurum, ſi una mittatur,

mittatur, quod altera eodem prorſus modo ſit conſcripta, & formulam eandem præ ſe ferat. Itaque hic *eodem exemplo* non eſt *eodem apographo*, ſed *eadem modo*, *eadem formula*, *eodem argumento*. His alius accedat locus *Lib. IV ad Div. Ep.* 4: *Accipio excuſationem tuam, qua uſus es, cur ſæpius ad me literas* uno exemplo *dediſſes: ſed accipio ex ea parte, quatenus aut negligentia, aut improbitate eorum, qui epiſtolas accipiant, fieri ſcribis, ne ad nos perferantur.* Ubi ſi *exemplum* ſit *apographum literarum*; per ſe patet, alia dixiſſe *Tullium*, ac ipſe mente conceperat. Eſt enim ſenſus verborum hic: accipere ſe excuſationem, cur ſæpius literas prorſus easdem, aut iisdem verbis ſcriptas, ad ſe dederit Servius Sulpicius. *Exemplum* igitur hic etiam ſunt ipſæ literæ; quod niſi eſſet, dicendum potius ita fuiſſet *Tullio*: *Accipio excuſationem, cur ſæpius ad me literas easdem* pluribus exemplis *dediſſes*. Idem habe de loco ſimili *Lib. IX ad Div. Ep.* 16: *De quo & tu mihi antea ſcripſeras bis quidem* eodem exemplo, *facile ut intelligerem, te eſſe commotum*; & de alio *Lib. X Ep.* 5: *Binas a te accepi literas eodem exemplo: quod ipſum argumento mihi fuit diligentiæ tuæ. Intellexi enim, te laborare, ut ad me mihi expectatiſſimæ literæ perferrentur:* quem locum cum adductum, & recte redditum, a *Fabro* videam, *zween Brieffe nach einem Formular*, miror utique, rectiorem vocis ſignificatum ponendi non ei rationem hinc petitam; de illo item *Lib. VII ad Div. Ep.* 18: *Sed, ut ad epiſtolas tuas redeam, cetera belle: illud miror. Quis ſolet* eodem

 exemplo

exemplo *plures dare, qui ſua manu ſcribit?* & ſimili *Lib. XII ad Div. Ep. 30: Itaque noli vereri, ne tibi ſuccenſuerim, quod* eodem exemplo *ad me, quo ad ceteros. Requiſivi equidem proprias ad me unum literas: ſed neque vehementer, & amanter. - - - - - Hæc fere ad eas literas, quas eo*dem exemplo *binas accepi;* ejusdemque generis illo *Lib. XIII ad Div. Ep. 27: Licet* eodem exemplo *ſæpius tibi hujus generis literas mittam, cum gratias agam, quod meas commendationes tam diligenter obſerves; quod feci in aliis, & faciam, ut video, ſæpius: ſed tamen non parcam operæ, &, ut vos ſoletis in formulis, ſic ego in epiſtolis de eadem re alio modo;* denique *Bruti* illo in *Epiſtola ad Ciceronem, Lib. XI Epiſtolarum Ciceronis n. 11:* Eodem exemplo *a te mihi literæ redditæ ſunt, quo pueri mei attulerunt.* His etiam gemina ſunt in *Ep. ad Qu. Fr. Lib. II Ep. 12: De Cæſare fugerat me ad te ſcribere. Video enim, quas tu literas exſpectaris. Sed ille ſcripſit ad Balbum, faſciculum illum epiſtolarum, in quo fuerat & mea & Balbi, totum ſibi aqua madidum redditum eſſe: ut ne illud quidem ſciat, meam fuiſſe aliquam epiſtolam. - - - Itaque poſtea miſi ad Cæſarem eo*dem illo exemplo *literas*, hoc eſt, *eadem formula ſcriptas*, non eundem literarum libellum, quem aqua corruptum ſcripſerat; & alia *Lib. XII ad Div. Ep. 30: Hæc fere ad eas literas, quas* eodem exemplo *binas accepi.* Jam vero etiam ſententiæ meæ favent illa in *Orat. II de Lege agr. contra Rullum Cap. 20: Is videlicet antequam veniat in Pontum, literas ad Cn. Pompejum mittet: quarum ego*

*jam*

*jam* exemplum *ab iſtis* compoſitum *eſſe arbitror. P. Servilius Rullus, Tribunus Plebis, Decemvir, S. D. Cn. Pompejo, Cn. F.* &c. Sane, hic *exemplum literarum componere*, eſſe idem, quod *ſcribere*, non quod *deſcribere, literas*, partim ipſa verbi *componere* ratio, partim ſenſus verborum, docet. Non enim, qui *deſcribit*, ſed qui primus *ſcribit*, aut qui *facit*, is *componere literas* dicitur; nec de aliquo literarum apographo, ſed de ipſis *Rulli* literis, ſermonem eſſe *Tullio*, apparet. Faciunt huc porro, quæ *Lib. V ad Div. Ep. 9 Vatinius* ad *Ciceronem* ſcribit: *Literas ad Senatum de rebus noſtris geſtis, quo* exemplo *miſeram, infra tibi perſcripſi.* Ubi ſi *exemplum* eſſet idem, quod *apographum*, inepte dixiſſet *Vatinius*, *eodem*, quo ad Senatum miſerit, *exemplo* literas ad *Ciceronem* perſcribi. Neque enim ad Senatum miſerat *apographum*, ſed ſua ipſius manu ſcriptas literas; neque fieri poterat, ut easdem literarum tabulas, quas miſerat ad Senatum, ad *Ciceronem* mitteret *Vatinius*. Hoc igitur vult *Vatinius*, quas ad Senatum miſerit literas, easdem ad *Ciceronem* perſcribi, non ipſas illarum literarum tabulas mitti. Unde patet, quam parum acute viderit *Gottlieb Kortius*, hoc *Ciceronis* loco ad id utens *l. c.*, ut probet, *exemplum* eſſe idem, quod *apographum*. Addo his denique *Ciceronis* illa *Lib. IX ad Attic. Ep. 15: Cum dediſſem jam literas a. d. VIII Kalend. quos cum Matio pueri & Trebatio miſeram, epiſtolam mihi attulerunt hoc* exemplo: *Matius & Trebatius Ciceroni Imp. Cum Capua exiſſemus,* &c. Ubi, ſi quis neget, *exemplum* eſſe ipſas *literas*, aut harum *for-*

 *mulam,*

*mulam*, ſane eum parum acutum putem. His ſimilia ſunt *Lib. IX ad Att. Ep. 16: Cum ejus clementiam Corſinienſem illam per literas collaudaviſſem, reſcripſit hoc* exemplo: *Cæſar Imp. Ciceroni* &c. & *Lib. X Ep. 8: Sed præmiſit mihi odioſas literas, hoc* exemplo: *Antonius Ciceroni* &c. ibidemque: *Eodem die a Cæſare Philotimus attulit, hoc* exemplo: *Cæſar Ciceroni.* &c. itemque *Lib. XV Ep. 14: Literas hoc* exemplo *dedi: Cicero Dolabellæ.* &c.

III In his igitur, quæ ſunt adducta modo, *Ciceronis* & æqualium locis, dubito, an Lectorum unus ſit futurus, qui *exemplum* pro *apographo* accipiat. Neque adeo erravero, ſi, valere hæc etiam ad id, contendam, ut in locis *Ciceronis* ceteris, quæ illam, a *Fabro* aliisque poſitam, vocis notionem admittere videntur, non alia, quam quæ mihi probatur, ſignificatio agnoſcatur, idque hoc magis, quod poſſit facile agnoſci. Sunt autem hæc inprimis: *Lib. X ad Attic. Ep. 9: Miſi ad te Cœlii etiam literarum* exemplum. *Lib. XIV Ep. 13: Itaque mearum quoque literarum miſi tibi* exemplum. *Eod. Lib. Ep. 17: Earum* (literarum) exempla *tibi miſi, non ut deliberarem, reddendæne eſſent, (plane enim judico eſſe reddendas,) ſed quod non dubito, quin tu idem exiſtimaturus ſis. Lib. XVI Ep. 16: Ad Plancum ſcripſi; habes* exemplum. *Lib. VIII Ep. 11: Epiſtolarum Pompeji duarum, quas ad me miſit, negligentiam, meamque in reſcribendo diligentiam, volui tibi notam eſſe. Earum* exempla *ad te miſi. Eod. Lib. Ep. 12: Quod ipſius literis cognoſci poteſt; quarum* exemplum *ad te mit-*

*te mitto;* & *Ep. 15: Balbi Cornelii literarum* exemplum, *quas eodem die accepi, quo tuas, miſi ad te. Lib. X Ep. 3: Sed tamen* exemplum *miſi ad te Cæſaris literarum. Lib. XI ad Attic. Ep. 7: Nam ad te miſit Antonius* exemplum *Cæſaris ad ſe literarum. Lib. XII ad Attic. Ep. 37: Eam ipſam ad te epiſtolam miſi, & ad eam* exemplum *mearum literarum. Eod. Lib. Ep. 44: Qua de re literarum ad Clodium Patavinum miſſarum* exemplum *mihi Oppius & Balbus miſerant. Lib. XIII Ep. 6: Quod epiſtolam meam ad Brutum poſcis, non habeo ejus* exemplum, *ſed tamen ſalvum eſt, & ait Tiro te habere oportere. Eod. Lib. Ep. 26: Mittam tamen ad te* exemplum *fortaſſe Lanuvio, niſi forte Romam. Eod. Lib. Ep. 46: Jam enim obſignata hac epiſtola noctu tabellarius noſter venit, & ab eo literas diligenter ſcriptas attulit, &* exemplum teſtamenti. *Eod. Lib. Ep. 51: Ad Cæſarem quam miſi epiſtolam, ejus* exemplum *fugit me tum tibi mittere. Lib. XIV Ep. 13: Ex ipſius literis cognoſces (miſi enim tibi* exemplum), &c. *Eod. Lib. Ep. 19: Quatriduo ante ad eum ſcripſeram,* exemplum*que mearum literarum ad te miſeram. Eod. Lib. Ep. 21: Reſcripſit ad eas, quarum* exemplum *tibi miſeram. Lib. XV Ep. 26: Quod quale tibi videretur, ut poſſes interpretari, miſi ad te* exemplum *epiſtolæ. Eod. Lib. Ep. 28: Cujus epiſtolæ, quam interpretari ipſe vix poteram,* exempl. *pridie tibi miſeram. Lib. XVI Ep. 12: Oppii epiſtolæ, quia perhumana erat, tibi miſi* exemplum. *Eod. Lib. Ep. 15: Leptæ literarum* exemplum *tibi miſi: ex quo mibi videtur* ϛρατύλλαξ

 *ille*

*ille dejectus de gradu.* Lib. I Ep. 17: *Magna mihi varietas voluntatis - - - demonſtrata eſt ex literis tuis, in quibus ad me epiſtolarum illius* exempla *miſiſti.* Lib. III Ep. 8: *Literarum* exemplum, *quas ad Pompejum ſcripſi, miſi tibi.* Lib. V Ep. 11: *Itaque ſcripſi ad eum accurate: cujus epiſtolæ miſi ad te* exemplum. Lib. VII Ep. 23: *Cæſaris literarum* exemplum *tibi miſi: rogabas enim*, &c. Lib. VIII Ep. 11: *At mihi, cum Calibus eſſem, affertur literarum tuarum* exemplum, *quod tu ad Lentulum Conſulem miſiſſes. Hæ ſcriptæ ſic erant: Literas tibi a L. Domitio - - allatas eſſe: earumque* exemplum *ſubſcripſeras.* Lib. VI ad Div. Ep. 18: *Nam Cæſar ipſe ad vos miſit* exemplum *Paciæci literarum, in quo erat, illi undecim eſſe legiones.* Lib. IX Ep. 26: *Accubueram hora nona, cum ad te harum* exemplum *in codicillis exaravi.* Lib. II in Ver. Cap. 74: *Sciebam enim, hanc magiſtrorum, qui tabulas haberent, conſuetudinem eſſe, ut, cum tabulas novo magiſtro traderent*, exempla *literarum ipſi habere non nollent.* In Orat. pro R. Dejot. Cap. 14: *Non dubito, quin tuis literis, quarum* exemplum *legi, quas ad eum Tarracone huic Bleſamio dediſti, ſe magis etiam erexerit*, &c. Lib. IX ad Attic. Ep. 13: *Sed habeo a Balbo literas, quarum ad te* exemplum *miſi;* & Ep. 14: *Miſeram ad te IX Kalend.* exemplum *epiſtolæ Balbi ad me, & Cæſaris ad eum.* Ubi *exemplum epiſtolæ* eſſe ea, quæ continentur epiſtola, docent illa, quæ ſequuntur: *Ecce tibi, eodem die Capua literas accepi ab Q. Pedio, Cæſarem ad ſe pridie idus Mart. miſiſſe hoc* exemplo:

*Pompejus*

*Pompejus ſe oppido tenet. Nos ad portas caſtra habemus*, &c. Sed pergamus ad cetera: *Lib. VII ad Attic. Ep. 23: Cæſaris literarum* exemplum *tibi miſi. Lib. VI ad Div. Ep. 8: Earum literarum* exemplum *infra ſcriptum eſt*. Quibus accedant, per me licet, illa *Balbi* in *Epiſtola ad Ciceronem* (*Lib. IX Epiſt. Ciceronis ad Attic. Ep. 13*): *Cæſar nobis literas perbreves miſit, quarum* exemplum *ſubſcripſi*; & *Salluſtii* in *Catil. Cap. 34 §. 3: Ab his longe diverſas* (literas) *Q. Catulus in Senatu recitavit, quas ſibi nomine Catilinæ redditas dicebat. Earum* exemplum *infra ſcriptum*; *Vopiſci* item illa in *Aureliano Cap. 26: Literas ad Zenobiam miſi, - - - quarum exemplum indidi*; & *Cap. 27: Nam ejus quoque epiſtolæ* exemplum *indidi*. Sunt hæc, fateor, loca ita comparata, ut, ſi aliunde ſatis de ea, quam *Grævius* & cum eo plures nobis venditarunt, vocis ſignificatione conſtet, ſatis eam tueri ac ſuſtinere poſſint. Jam vero, cum, ei locum eſſe in Latio nullum poſſe, illa, paulo ante prolata, *Ciceronis* loca doceant, in his etiam *exemplum* non pro *apographo* aut *copia literarum*, ſed pro ipſis *literis*, aut, ut accuratius dicam, harum *formula*, ſive primum ſcripta, ſive transſcripta fuerit, accipio, nec ineptam eſſe, aut menti ſcribentium adverſam, hanc interpretationem, facile, qui ſunt bene oculati, intelligunt. Et his omnibus locis clariſſima lux accenditur uno illo *Ciceronis Lib. XIII ad Attic. Ep. 50: Conſcripſi de his ipſis libris epiſtolam Cæſari, quæ deferretur ad Dolabellam; ſed ejus* exemplum *miſi ad Oppium & Balbum: ſcripſique ad eos, ut tum deferri ad Dolabellam juberent meas*

*literas*, *ſi ipſi* exemplum *probaſſent. Ita mihi reſcripſerunt*, *nihil unquam ſe legiſſe melius*, *epiſtolamque meam juſſerunt dari Dolabellæ.* Hic, putasne, *exemplum probare* eſſe *apographum probare?* Vix hoc auſis, ſi ſenſum verborum recte intelligas, & omnem orationis ſeriem accurate inſpicias. Ipſam epiſtolam probari cupit, eandemque valde probatam docet, *Cicero*, de apographo, quod nihil ad rem facere poterat, parum laborans. Ita, quid ſibi velit in ceteris locis vox *exemplum*, plane vides. Addo & alium, illi alteri prorſus ſimillimum, locum ex *Lib. XIV ad Attic. Ep.* 17: *Ad Brutum noſtrum, ad Caſſium, ad Dolabellam, epiſtolas ſcripſi. Earum* exemplum *tibi miſi*, *non ut deliberarem, reddendæne eſſent*, (*plane enim judico eſſe reddendas*,) *ſed quod non dubito*, *quin tu idem exiſtimaturus ſis.* Non eſt dubium, fuiſſe deſcripta hæc *exempla*, ſed non hoc ipſum in cauſa fuit, cur *exempla* dicerentur. Miſiſſet enim *exempla Tullius*, etiamſi ipſas ſua manu ſcriptas literas miſiſſet. Habent & pondus aliquod illa *Lib. XVI ad Attic. Ep.* 4: *Is Philonem - - - veniſſe a Sexto cum literis ad Conſules*, *ſive quo alio nomine ſunt. Earum* exemplum *nobis legit. Dixi*, *quid videretur: pauca παρὰ λέξιν. Ceteroqui & ſatis graviter*, *& non contumaciter. Tantum addi placuit*, *quod erat*, *Coſſ. ſolum*, *ut eſſet*, *Prætt. Tribb. Pleb. Senatui; ne illi non proferrent eas*, *quæ ad ipſos miſſæ eſſent.* Aut prorſus me fallunt oculi, aut certiſſime video, *exemplum* hic non eſſe *apographum*, ſed ipſas *literas*, aut *formulam literarum.* Quod vero in rem ſuam etiam trahendum locum *Nepotis* in *Alcib.*

Cap.

*Cap. 4: Poſtquam - - - audivit, - - - Eumolpidas ſacerdotes a populo coactos, ut ſe devoverent, ejusque devotionis, quo teſtatior eſſet memoria,* exemplum *in pila lapidea inciſum eſſe poſitum in publico,* l. c. *Kortius* putavit, id ejusmodi eſt, ut a Critico, tantum naſi habente, vix exſpectaſſem unquam. Quid enim? Si, quod pugnat *Cortius, exemplum* eſt *apographum,* audesne dicere, *exemplum devotionis* eſſe *devotionis apographum?* Sane, quid hoc rei ſit, ego non intelligo, nec forſan præter me quisquam alius. Non enim devotio ſcriptura, ſed verbis ore prolatis, facta eſt; neque adeo deſcripta in pila dici poteſt, ſed ejus ſaltem memoria conſervata eſt hoc monumento, eidemque ipſa devotionis formula inciſa. Adhuc igitur ſatis ſibi conſtant, quæ de vera vocis *exemplum* ſignificatione diſputavi, optimeque reſpondent ſententiæ noſtræ illa Grammatici non ignobilis, *Capri,* in libello *de Verbis dubiis:* Exemplar, *quod transfertur;* exemplum, *quod non transfertur, quanquam alii contra.* Quæ commode explicabimus verbis *Salmaſii* in *Miſcellis defenſionibus pro Cl. Salmaſio Cap. 6 pag. 223: Dicit,* exemplar *eſſe, quod transfertur, ex quo nempe* exempla *transferuntur. Nam ab* exemplo *nihil transfertur, cum ipſum ſit, quod translatum eſt. Quanquam alii contra, qui nimirum* exemplum *pro* exemplari *uſurparunt, &* exemplar *pro* exemplo.

IV. Jam, ſi cui audacter nimis Criticorum aut noſtræ, aut ſuperioris, ætatis principum, receptam communi omnium conſenſu, ac pæne invetera-

tam,

tam, impugnaſſe ſententiam videar, is, ut rectiora me doceat, unum mihi, velim, in uno melioris notæ, & ſatis accurato in ſignificationibus vocum, Scriptore vetere locum oſtendat, qui eam vocabuli *exemplum* ſignificationem, qua idem valere, quod *apographum*, dicitur, tam certo firmiterque tueatur, ut locum nulli alii relinquat. Sed conſulto dixi, nominari hic probatioris auctoritatis Scriptorem debere. Non enim in hoc numero mihi eſſe ſolent *Jureconſulti* veteres, quos, ut omnem ſermonem, ita ſignificationes inprimis vocum, parum curaſſe, & ſatis conſtat, & multis, ſi id nunc ageremus, doceri exemplis poſſet. Non enim me fugit, horum nonnullos vocabulo *exemplum* pro meliori *exemplar*, hoc eſt, ut deinde dicam, *apographo*, uſos; & ſatis ſcio, quibus olim controverſiis ea res occaſionem dederit, magna animorum contentione agitatis inter *Claud. Salmaſium* & *Deſiderium Heraldum*, quas cognoſcere jucundum erit legenti illius librum *de Modo uſurarum Cap.* 10, alium etiam *de Subſcrib. & ſubſign. teſtam. Cap.* 5 & 6, & *Miſcellas defenſiones pro Cl. Salmaſio Cap.* 6, hujus autem *Obſervationes ad Jus Atticum & Romanum Cap.* 1. Neque adeo opponi mihi patiar illa ex *Modeſtini Lib. III Regularum*, in *l.* 11 II. *de Edendo* conſervata: Exempla *inſtrumentorum etiam ſine ſubſcriptione edentis edi poſſe receptum eſt*. Quæ verba veriorem etiam illam vocis ſignificationem facile tueri poſſent, niſi ex ceteris, ſtatim ſecuturis, locis illud certo conſtaret, in Jure voce *exemplum* non niſi *apographum*, a tabulis authenticis diſtinctum, notari. His ſimilia ſunt *Pauli* illa

illa *Lib. III ad Edictum*, quæ habes *l.* 2 Π. *de Edendo: Si legatum petatur, non jubet Prætor verba teſtamenti edere: ideo fortaſſe, quia hæredes ſolent habere* exemplum *teſtamenti:* ubi *exemplum* per *formam* explicat *Laur. Valla de L. L. Elegant. Lib. VI Cap.* 33, dubito, an ex mente Jureconſulti; & alia *Macri Lib. II de Appellationibus*, quæ exſtat in *l. fin.* Π. *Quando appell. ſit: Illud videamus, ſi, cum Imperatori ſcriberetur,* exemplum *literarum litigatori editum ſit, neque is appellaverit, & poſtea contra eum reſcriptum ſit:* &c. Nec faciunt contra me *Ulpiani* illa *Lib. XIX ad Edictum*, quæ ſunt in *l.* 4 §. *ult.* Π. *Famil. erciſc.* obvia: *Nam & Labeo ſcribit, vendita hæreditate tabulas teſtamenti deſcriptas deponi oportere: hæredem enim* exemplum *debere dare, tabulas vero avthenticas ipſum retinere, aut in æde deponere;* ejusdemque alia ex *Lib. XIII ad Legem Juliam & Papiam* (*l.* 12 Π. *Teſtamenta quemadm. aper.*): *Si quis fecerit teſtamentum, &* exemplum *ejus,* exemplo *quidem aperto nondum apertum eſt teſtamentum: quodſi avthenticum patefactum eſt, totum apertum eſt;* multo minus illa, quæ in lege *Diocletiani* & *Maximiani* (*l.* 3 *Cod. de diverſ. Reſcript.*) leguntur: *Sancimus, ut avthentica ipſa atque originalia reſcripta, non* exempla *eorum, inſinuentur.* In his enim *exemplum* idem eſſe, quod *ἀντίγραφον*, lubens agnoſco. Quin eandem ſignificationem agnoſco in *Florentini* verbis *Lib. X Inſtitutionum*, quæ exſtant *l.* 1 Π. *Qui teſtam. facere poſſunt: Unum teſtamentum pluribus* exemplis *conſignare quis poteſt: idque interdum neceſſarium*

eſt,

*eſt, forte ſi navigaturus, & ſecum ferre, & relinquere, judiciorum ſuorum teſtationem velit*; & miror, qui fieri potuerit, ut, *exemplum* hic ſumi pro *authentico*, ſibi perſuaderet *Anton. Schultingius* in *Jurisprud. vet. Antejuſt. pag.* 401 *not.* 6; cui, nec intelligo, qui venire in mentem potuerit, ut *exemplum* pro *apographo* in his *Julii Pauli* verbis *Lib. IV Tit. 6 Sent. recept.* acciperet: *Tabulæ teſtamenti aperiuntur hoc modo, ut teſtes, vel maxima pars eorum, adhibeatur, qui ſignaverint teſtamentum: ita, ut, agnitis ſignis, rupto lino, aperiatur, & recitetur: atque ita deſcribendi* exempli *fiat poteſtas; ac deinde ſigno publico obſignatum in archium redigatur: ut, ſi quando* exemplum *ejus interciderit, ſit, unde peti poſſit.* Quid enim facilius, quam videre, *exemplum* hic ipſum eſſe *teſtamentum*, a teſtatore, aut, hujus nomine, ab alio quocunque, ſcriptum. Sed, quantusquantus exemplorum numerus huc proferatur, unde cognoſci poſſit, priſci ævi Jureconſultis hanc vocis *exemplum*, qua dicitur idem, quod *apographum*, valere, fuiſſe notiſſimam ſignificationem, nihil tamen hæc ad tuendam firmandamve ejus ſignificationis integritatem valent, nedum adverſus *Ciceronis* & huic ſimilium auctoritatem quidquam momenti habeant.

V. Quod de *Jureconſultis* diximus, idem ad *Poetas* pertinet, quibus, cum liberioris ſint ingenii, & ſeverum Grammaticorum horreant imperium, nec in ſermone ipſo formulis aut peregrinis, aut quodammodo ſuſpectis, abſtineant, etiam hæc datur venia, ut in ſignificationibus verborum deligendis

recedant

recedant interdum a vulgari uſu, maximeque iis vocibus, quæ ſunt ſono cognatæ, & ab eadem ſtirpe originem ducunt, eandem vim ac poteſtatem tribuant. De quo etſi minime illi reprehendi a nobis ſolent, quod vanum ſit Poetæ nomen omne, ſi licentiam & liberius dicendi genus ab eo removeas; fieri tamen non poteſt, ut horum audaciore conatu vis Grammaticorum legibus inferatur, & licentius excogitatæ hæ ſignificationes ipſi tanquam naturæ vocum adjunctæ, aut ex ea trahere originem, putentur. Sunt hujus generis multæ paſſim in Poetis obviæ, quarum, ſi ab illa Poetis familiari licentia recedas, vix rationem reddere ſcias, & omnis ab arbitrio Poetæ auctoritas pendet. Idem ſibi reſponſi habeant, qui nobis, id agentibus, ut vocis *exemplum* venditatam paſſim ſignificationem *apographi* puriore Latio proſcribamus, unum illum *Naſonis* verſum *Lib. I Triſtium Eleg. VII v. 24:*

> *Quæ* (carmina), *quoniam non ſunt penitus ſublata, ſed exſtant,*
>
> Pluribus exemplis *ſcripta fuiſſe reor,*

opponunt, cujus quippe, non eſt dubium, eam eſſe rationem, ut tuentibus vulgarem *apographi* notionem certiſſimum poſſit præſidium præbere. Ut enim facile agnoſco, in uno hoc Auctoris veteris loco ita eſſe manifeſtam hanc ſignificationem, ut, in quamcunque demum partem te vertas, nullo prorſus modo negari poſſit; ita vel hoc ipſum, quod unus hic oſtendi locus poſſit, in quo alia ſit,

ſit, quam in ſexcentis aliis, vocis *exemplum* ſignificatio, certiſſime mihi perſuadet, eſſe in hac etiam ſignificatione, ut in multis aliis, licentiæ poeticæ veſtigia quærenda, &, ut ad metrum ſe accommodaret, voce *exemplum* pro affini *exemplar*, cujus quippe veram hanc eſſe notionem, paulo poſt docebo, uſum eſſe Poetam, hoc eſt, ſignificationem, alteri voci propriam, ad ejusdem ſtirpis & originis alteram ſuo quodam jure transtuliſſe. Itaque, ut facilem ac liberalem me habeant, quibus omne eſt in auctoritate *Ovidii* præſidium, in carmine, per me licet, iſta vocis ſignificatio aliquando locum inveniat; modo ea in proſa abſtinendum putes, aut hoc ſaltem concedas, Auctorum veterum, quos ſermone ſoluto uſos, & inter purioris ſermonis magiſtros numeratos, ſcimus, fuiſſe ne uni quidem cognitam. Nimirum, ſi talem mihi, quales ex legibus antiquis ſatis multos, & ex *Naſone* unum, protuli, ex purioris ætatis ſcriptore, non Poeta, locum vel unum dederis, eo me haud invitum abduces, ut meum ipſe errorem agnoſcam, &, quæcunque hactenus a me diſputata ſunt, diſputata inutiliter profitear, nec, quod nunc me facere non nego, barbariſmi vitium exprobrare pergam magno illi caſtioris ſermonis doctori, *Jo. Ge. Græuio*, de iis verbis, quæ ſunt ab eo in *Præfatione ad Volumen XI Antiquitatum Romanarum* prolata: *Nam in his terris ante non multos annos denuo fuerunt publicati*, *ut* plurima *ſuperſint* exempla; *nec per jura & leges magiſtratuum ſibi eos noſtris licebat vindicare*, &c. Ex mea enim ſententia unum tantum eſt cujusque

rei

*rei exemplum*; quandoquidem unius rei formæ non ſunt plures, ſed una tantum.

VI. Sed, ut perſuaderi mihi nunquam patiar, recte in eo a Scriptoribus numero multis factum, quod vocabulo *exemplum* ſignificationem *apographi*, *transſcripti*, *copiæ*, tribuerunt; ita, ſi hanc ipſam ſimili vocabulo *exemplar* tribuiſſent, multum ego induſtriam probarem, nec quidquam eſſet, in quo repugnarem viris doctis. Eſſe enim hanc vocis *exemplar* veram notionem, ita mihi exploratum cognitumque eſt, ſicut vix eſſe illud poteſt, alteri *exemplum* fruſtra eam tribui. Quid enim plura deſideres, ſi diſerte *Plinius Hiſt. nat. Lib. XXXV Cap. 40*: *Hujus tabulæ* exemplar, *quod* apographon *vocant, L. Lucullus duobus talentis emit Dionyſiis Athenis.* Quid, ſi idem *Plinius* eandem vocis vim conſtantie uſu probet, *Lib. VI Cap. 21*: *Diognetus & Baton, itinerum ejus menſores, ſcripſere - - - - In quibusdam* exemplaribus *diverſi numeri repeRiuntur: hanc urbem ſub ipſo Caucaſo eſſe poſitam*; *eod. Lib. Cap. 21*: Exemplaria *aliqua adjiciunt quinque millia paſſuum*; & *Cap. 34*: *Juba, qui videtur diligentiſſime proſecutus hæc, omiſit in hoc tractu* (*niſi ſi* exemplarium *vitium eſt*) *Berenicen alteram*; *Lib. XIX Cap. 10*: *Sed neque regionem, in qua fiat, neque quidquam diligentius, præterquam eriophoron id appellari, in* exemplaribus, *quæ quidem invenerim, tradit* (Theophraſtus); *Lib. XXV Cap. 3*: *Is ergo reliqua ingenii magnitudine medicinæ peculiariter curioſus, & ab omnibus ſubjectis, qui fuere pars magna terrarum, ſingula ex-*

*quirens; ſcrinium commentationum harum, & exemplaria, effectusque in arcanis ſuis reliquit;* & *Lib. XXVII Cap. 98: Phalangites a quibusdam phalangion vocatur, ab aliis leucanthemon, vel (ut in quibusdam* exemplaribus *invenio) leucacantha.* Quid, ſi alii etiam, iique omnium optimi, ſcriptores hanc voci *exemplar* ſignificationem dederint, qui nunquam *exemplum* pro *apographo* dixerunt? Sic enim alter *Plinius Lib. IV Ep. 7: Eundem librum, in* exemplaria *transſcriptum mille, per totam Italiam provinciasque dimiſit;* & *Lib. X Ep. 75:* Exemplar *teſtamenti, quanquam mendoſum, miſi tibi:* ubi, non habebat, cur pro *exemplar*, *exempla* exſcribendum curaret *Joannes de Tridino*, Veronenſis editor, quippe vocis utriusque ſignificationes parum intelligens. Sic etiam *Suetonius* in *Cæſ. Cap. 55: Nam in quibusdam* exemplaribus *invenio, ne inſcriptam quidem,* Pro Metello, *ſed* quam ſcripſit Metello; in *Veſpaſ. Cap. 6: Plurimum cœptis contulerunt, jactatum* exemplar *epiſtolæ, veræ, ſive falſæ,* &c. & *Cap. 8: Ærearumque tabularum tria millia, quæ ſimul conflagraverant, reſtituenda ſuſcepit, undique inveſtigatis* exemplaribus, *inſtrumentum imperii pulcherrimum ac vetuſtiſſimum;* denique *de Ill. Gramm. Cap. 24: Multa* exemplaria *contracta emendare, ac diſtinguere, & annotare, curavit; ſed huic, nec ulli præterea, Grammatices parti deditus.* Nec invitus ſignificationem hanc agnoverim in illis *Tullii Lib. IV ad Attic. Ep. 5: Ain tu? An me exiſtimas ab ullo malle mea legi probarique, quam a te? Cur igitur cuiquam miſi prius? Urgebar ab*

*eo, ad quem miſi, & non habebam* exemplar; & in aliis *Aſinii Pollionis* in *Epiſtola ad Ciceronem, Lib. X Epiſt. Ciceronis ad Div. Ep. 31: Deinde ex literis, quas Panſæ miſi, cognoſces omnia. Nam tibi earum* exemplar *miſi.* Inde etiam translate ad hominem *Tullius* in *Læl. Cap. 7: Verum etiam, amicum qui intuetur, tanquam* exemplar *aliquod intuetur ſui.* Sunt clariora hæc, quæcunque attuli, Auctorum loca, quam ut dubitationi ulli locum relinquant; nec, ſi talia ad probandam vocis *exemplum* notionem eandem proferri poſſent, ego in re manifeſta quidquam reclamarem. Eſt autem docte a *Caſp. Barthio Adverſar. Lib. VI Cap.* 21 obſervatum, *exemplar* proprie dictum illud eſſe, quod ſit *transſcriptum emendatumque ad autographum*, eandemque adeo cum *autographo* autoritatem habeat. Eam in rem varia Autorum, unde cognoſci id poſſit, loca profert, ſed quibus, non dubito, alia, etiam ex iis, quæ ſunt paulo ante a me adducta, opponi poſſe, in quibus neceſſe ſit *exemplar* pro *apographo quocunque*, non de eo tantum, quod ſit ex *autographo* deſcriptum, accipi. Id mihi ipſe obſervaſſe ſatis certo videor, etiam *libros* & *quæcunque ſcripta* Autoribus nonnullis *exemplaria* dici ſolita, idque ea de cauſa, quod antiquioribus temporibus, inventa quippe nondum arte typographica, libros omnes transſcribi calamo librariorum, & ſic pluribus *exemplaribus* per orbem ferri, moris eſſet. Intelligo id maxime ex loco *Suetonii* in *Domit. Cap. 20: Liberalia ſtudia in initio imperii neglexit, quanquam Bibliothecas incendio abſumtas impenſiſſime reno-*

*vare curaſſet*, exemplaribus *undique petitis; miſſisque Alexandriam, qui deſcriberent emendarentque*. Eandem vocis vim agnoſcunt omnes in *Plinii Hiſt. nat. Lib, XXXV Cap. 37: Jam piſcantes, aucupantesque, aut venantes, aut etiam vindemiantes, ſunt in ejus* exemplaribus; ad quem locum, bene feceris, ſi legeris, quæ ſunt annotata a doctiſſimo Viro, *Jo. Matth. Gesnero*, in *Chreſtomathia Pliniana pag. 1002*; & in verſu *Horatii de Art. poet, v. 268*:

— — — *Vos* exemplaria *Græca*
*Nocturna verſate manu, verſate diurna.*

Malim enim hic *exemplaria* generatim pro *libris*, quam cum *Caſp. Barthio*, ſane hic nimis acuto, pro *veris legitimisque & Auctorum genuinis editionibus*, accipere; quod facile pateat, id unum a Poeta agi, ut librorum Græcorum lectionem ſuis civibus commendet. Reſtat hoc monendum, longiſſime abeſſe me ab eo, ut, vocabuli *exemplar* hanc, quam poſui, ſignificationem eſſe unam, pugnem, nec, cum ipſa voce exemplum communem ei eſſe vim, agnoſcam. Sunt enim mihi ipſi infinita Auctorum loca cognita, in quibus *exemplar* idem eſt, quod *forma*, *formula*, *exemplum*, ſed quæ minime valent ad id, ut, nullum pondus ineſſe ceteris, manifeſtam *apographi* ſignificationem oſtendentibus, exiſtimari debeat.

GUI-

# VII.
# GUILIELMI CAVEI
ET
# OTTONIS MENCKENII
# EPISTOLARUM MUTUARUM
# DECAS,
CUM
# PRÆFATIONE
# FRID. OTTONIS MENCKENII.

---

## LECTORI
S. D.
## FRID. OTTO MENCKENIUS.

Nuper, cum binas *Guilielmi Cavei*, doctiſſimi Anglorum, ad avum meum, *Ottonem Menckenium*, Epiſtolas publicarem, dicere haud ſatis certo habui, futurumne eſſet, ut ceteris etiam, quæcunque in ſcriniis mihi ſervantur, mutuis *Cavei* & *Menckenii* Epiſtolis in novo hoc *Miſcellaneorum* opere locum concederem. Noveram enim, quam ſint pauci hac, non dicam delicata, at faſtidioſa certe, ætate, qui cupide aut appetant literaria hæc fercula, aut, fieri poſſe, ſibi perſuaderi patiantur, ut incrementi aliquid bonis literis afferat cognitio earum rerum, quas inter ſe per literas communicare viri docti ſolent. Statueram igitur, priusquam ad edendas ceteras converterer, experiri Lectorum de paucis illis, quas dederam, judicium, quod ſi ſecus caderet, ac poſſet hono-

rificum aut iis, qui ſcripſerunt, aut mihi, qui publicavi, judicari, omnem mihi putabam edendarum, quæ ſunt reliquæ, Epiſtolarum abjiciendam curam eſſe, nec famæ meæ hoc laborum genere, de quo nemo mihi gratiam haberet, periculum ſubeundum. Jam, cum ex familiari amicorum aliquot, qui, a me requiſiti, de rebus meis aperte ſolent, nec diſſimulanter, judicare, ſermone illud mihi videar intellexiſſe, majorem eorum, qui probent noſtrum, *Caveana* hæc edendi, conſilium, quam qui reprehendant, numerum lectorum eſſe, haud committendum ratus, ut defuiſſe plurimorum, cetera legendi omnia, deſiderio honeſto dicerer, hoc lubentius ad præſtandum hoc & literis, & harum ſtudioſis, officium me accinxi, quo mihi certius perſuaſum eſt, non in his, quæ publicam adhuc exſpectant lucem, Epiſtolis *Cavei*, quam in binis illis, nuper a me datis, rerum, quæ cum voluptate cognoſci poſſint, copiam minorem eſſe. Jam igitur in eorum, qui his delectantur, manus Epiſtolarum novum faſcem trado, eumque ita a me elimatum, aut, ſi mavis, dedolatum, ut, quicquid poterat inutile lectori judicari, & ad familiares formulas ſpectabat, hinc reſectum videas. In quo ſecutus ſum eorum morem, qui ante me fuerunt in edendis hominum doctorum Epiſtolis occupati, maxime vero præſtantiſſimi *Kortholti*, præclaro colligendi Epiſtolas *Leibnitianas* munere nuper inter plauſus publicos defuncti, cujus in eo maxime ab omnibus probatur ſtudium, quod, abeſſe juſſis, quæcunque nullum præſtitura uſum lectori videbantur, nobiliorum tantum rerum,

ſcituque

ſcituque digniorum, habendam rationem duxit. Quod vero ipſis *Cavei* Epiſtolis una & altera avi mei, viri optimi, immixtæ ſunt, id, multum falleris, ſi, eo potius a me factum animo, exiſtimas, ut harum tibi elegantiam, quæ profecto in his nulla eſt, venditarem, aut aliquid laureolæ acquirerem hinc avo meo, qui, ſi aliunde non eſt notus literatis viris, ſane in paucioribus his literis fruſtra inclareſcendi habet ſpem repoſitam, quam ut ſupplerem hinc aut illuſtrarem aliqua ex parte epiſtolas *Cavei*, nunc reſpondentis ad quæſita avi mei, nunc ab eo viciſſim reſponſionem expetentis. Eadem profecto cauſa eſt, cur mearum paſſim aliquid notarum invenias; quarum cum ea ſit ratio, ut, quæ obſcurius a *Caveo* dicta, nec ſatis a te poſſe intelligi, videntur, plenius exponant, neminem ita futurum in me iniquum puto, ut quidquam hic a me datum arrogantiæ aut temeritati criminetur. Eſt mihi, ut in omni, quod literarum cauſa ſoleo ſuſcipere, laborum genere, ita in hoc etiam, cui aliquid nunc mei ſtudii dicavi, epiſtolas virorum ex parte doctiſſimorum colligendi inſtituto, unum hoc propoſitum, ut literarum meliorum commodis hoc etiam modo pro virili mea parte proſpicerem, & diſcendi cupido lectori, ſi ex mea non liceret, ſaltem ex aliena penu, qualiacunque doctrinæ ſubſidia conquirerem. Age igitur, quo a me dari vides, eodem, Lector, animo & accipe hæc munera, & plura proxime exſpecta.

# EPISTOLA L.

## OTTONI MENCKENIO
## S. D.
## GUILIELMUS CAVEUS.

Arg. *Valetudinem ſuam lamentis proſequitur. Rei literariæ in Anglia vicem dolet. Ut Bailleti Judicia de Eruditis Gallice vertantur, optat.*

Nihil mihi gratius accidere potuit literis tuis, quas 13 Cal. Januar. accepi, tum quod ſalutis tuæ nuntii fuerint, tum quod propenſæ in me humanitatis teſtes luculentæ, denique quod tempore ſatis opportuno ad me pervenerint, non quidem lecto affixum, ſed diutina ægritudine laborantem. Ex quo enim noviſſime ad te ſcripſi, cum adverſa valetudine pæne perpetuo conflixi, adeo, ut inter ipſos libros in re literaria hoſpes plane ſim: non quod deeſt animus, ſed robur, non otium, ſed vires; deficiunt inſuper oculi, qui libris non modo ſcribendis, ſed ne legendis quidem, jam pares ſunt. Sed ferenda eſt æterni Numinis voluntas, & levius fiet patientia, quicquid corrigere eſt nefas. In tam parum firmato rerum ſtatu, interdictoque omni cum Gallis papyri commercio, mirum videri debeat, ullam apud nos rei literariæ vigere curam. Eſt a vobis Germanis, quibus contigit liberius otium, & quietior ſedes, quod rei literariæ fructus hoc tempore exſpectandus eſt. Et, inter alia, utinam e veſtris quiſpiam *Bailleti* Opus *de Judiciis eruditorum* in Latinam linguam, id eſt, communem reipublicæ literariæ uſum, transfunderet. Næ is rem gratam fecerit

omnibus

omnibus Gallice neſcientibus, imo omnibus, qui vix aut ne vix quidem libros ex Gallia procurare poſſint. Audio, D. *Zimmermannum* [a]), Miſnenſem, iſtiusmodi quoddam opus ſub prelo habere. Quale & apud nos nuper emiſit Eques quidam auratus [b]) titulo *Cenſuræ celebriorum Auctorum* &c. verum, an ſatis accurate factum, diſpiciant alii. Protegat te clementiſſimus pater, ſtudiaque tua omnia dirigat foveatque. Dab. 10 Cal. Febr. 1691.

Y 5 EPISTO-

a) Intelligit hic ſine dubio *Matthæum Zimmermannum*, cujus, præter alia, non indocte ſcripta, exſtat *Florilegium philologico-hiſtoricum*, Miſenæ A. 1697, 4, editum. Nihil autem nec hoc, nec cetera ejus ſcripta cum libro *Bailleti* commune habent, quippe quorum argumenta non ſunt literaria, ſed maximam partem philologica & theologica. Si quid igitur tale fortaſſe meditatus eſt aliquando *Zimmermannus*, quod nec ipſum mihi eſt cognitum, dubito tamen, an ſub prelo unquam habuerit: certe hoc ipſo nunquam exiit hic labor.

b) Eſt is *Thomas Pope-Blount*, Anglo-Britannus Baronettus, (ſic enim vocatur in ipſa Operis inſcriptione,) cujus *Cenſura celebriorum Auctorum*, Londini A. 1690, fol. edita, notior eſt, quam ut de ea pluribus ſit commemorandum. Injuriam fecerit *Bailleto*, qui ejus librum comparandum cum labore *Pope-Bloutiano* dixerit; quandoquidem huic Auctori, criticæ artis ignaro prorſus, ſatis fuit, aliorum de Scriptore quoque judicia, eademque nuda & inornata, colligere; in quo parum mihi præſtitiſſe aut homine docto dignum, aut ipſis utile literis, videtur.

# EPISTOLA II.
## GUILIELMO CAVEO
### S. D.
## OTTO MENCKENIUS.

Arg. *Bibliothecæ Vindobonenſis Lambeciana & Neſſelianæ pretium indicat. Latina interpretatio Operis Bailletiani, dubitat, an unquam ſperari poſſit.*

Tardius ad me, culpa fortaſſe temporum, pervenerunt literæ tuæ, Islingtonii 10 Cal. Febr. exaratæ, ex quibus, uti jucundum fuit percipere, quæ de re literaria perſcripſiſti, ita adverſam valetudinem tuam invitus profecto & maximo animi cum mœrore accepi. Utinam votis reddi ſanitas hominibus poſſet! & valeres, mi *Guilielme*, pancratice. Nam, ut integra tandem ac inconcuſſa valetudine perpetim fruaris, ex toto pectore voveo, ſupremumque Numen veneror. *Bibliotheca Vindobonenſis Lambecii* ægre admodum obtineri poteſt, nec unicum libri completum exemplar hoc tempore in officinis noſtris librariis proſtat. Pretium libri, cum copia ejus eſſet, fuit 24 circiter Imperialium c), qui plus quam quinque libras ſterlinenſes conficiunt. Qui hoc tempore Bibliothecæ præeſt, *Neſſelius* Opus ſuperiore anno edidit hoc titulo: D. *Danielis de Neſſel, Conſiliarii & Bibliothecarii Cæſarei, Breviarium & Supplementum Commentariorum Lambecianorum, ſive Catalogus*

*Codicum*

c) Nunc, cum rarius factum ſit, vix vendi minoris, quam thaleris 80, ii ſciunt, qui ſolent ad librorum pretia attendere.

*Codicum MStorum Græcorum & Orientalium Bibliotheca Cæſarea. Vindobonæ & Noribergæ, 1690, fol.* Sed de hoc quidam ſic judicant, quæ ex *Lambecio* transſcripta ſunt, quantivis eſſe pretii, ſed, quod ad libros orientales, a typographo erratis deformata: reliqua, quæ a *Neſſelio* addita ſunt, *Lambecianis* multum cedere. Venire Opus hoc puto dimidio fere pretio, quo *Lambecii* Bibliotheca vendi ſolet. Comparari vero facilius poterit, etſi apud bibliopolas noſtros nondum proſtet. Quod ad *Bailleti* Judicia de ſcriptis eruditorum in Latinam linguam transfundenda attinet, non futurus facile eſt in Germania bibliopola, qui neceſſarios eam in rem ſumtus impendere audeat. Perfectum enim opus nondum eſt, &, ſi perfectum aliquando, de quo omnes tamen dubitant, fuerit, nimiæ futurum eſt molis, cum ſola de Poetis judicia *quinque Volumina* impleverint. Tractatus vero, quem nuper admodum edidiſſe idem Auctor dicitur *de Scriptoribus Anonymis & Pſeudonymis*, ut Latine vertatur, & quidem cum Supplementis ac Animadverſionibus Clariſſimi *Placcii*, operæ fuerit pretium. Ceterum ex Gallia ægre hoc tempore libros & nos impetrare poſſumus, ob commercium cum ea gente interdictum; neque adhuc potior libris, quos Lutetiæ jam ante annum opera amici cujusdam Helvetii coemi curavi. Sed finio, Vir Reverende, teque divino Numini quam commendatiſſimum iterum iterumque eſſe cupio. Dab. Lipſiæ d. 21 Febr. ſive 3 Mart. 1691.

EPISTO-

# EPISTOLA III.
## OTTONI MENCKENIO
S. D.
## GUILIELMUS CAVEUS.

**Arg.** *Morhofii ingenium laudibus proſequitur. Th. Ittigii in ſe iniquitatem accuſat.*

Ad tuas, Nov. 22 datas, vix reſponſum dederam, (quod recte te accepiſſe ſpero, quippe in quo haud pauca erant, quæ periiſſe nollem,) cum aliæ a te una cum Dni *Wagneri* d) epiſtola, ad te Anglice

d) Eſt hic *Chriſtianus Wagnerus*, Philologus æque ac Theologus doctiſſimus, Lipſiæ natus A. 1663, ibidemque mortuus A. 1693, exacta vix annorum triginta ætate. Sacrorum curam geſſit in Æde D. *Joanni* dicata, progreſſurus haud dubie ad illuſtriora munera, ſi per fatorum acerbitatem id licuiſſet. Præter Diſſertationes varias, Academico certamini ſubjectas, quæ maturam eruditionem ingeniumque perpolitum ſpirant, bene inprimis meritus eſt de *Lohenſteinii Arminio*, quem & uno *Libro* auctiorem, & accurata clave, copioſoque Indice, inſtructiorem, fecit. Sed plurimum etiam huic Viro *Acta Eruditorum* debent, quorum priores Anni ita ab eo, ut vix ab alio quoquam, ſunt ditati. Nec, ut ſolent nonnulli, in munere hoc obeundo leviter aut negligenter eſt verſatus, ſed criticum ubivis judicium adhibuit, & errores Auctorum acute notavit, ſæpe etiam ex ſua penu talia expromſit, quæ poſſent ad illuſtranda librorum argumenta plurimum conferre. Edidiſſet etiam, ſi vixiſſet, *Parthorum numiſmaticam Hiſtoriam*, cui Operi materiam & inſtrumenta prorſus egregia collegerat. Præterea in numero ponendus eſt eorum, a quibus luci publicæ deſtinatus eſt *Joſephus Geneſius*,

Anglice ſcripta, ſupervenitunt. Reſponſum huc usque diſtuli, partim quod perpetua fere ægritudine laboraverim, partim quod ad ejus quæſita nihil certi reſcribere potui. Ad ipſum ſcripſi altera hujus epiſtolæ parte, (quam reſciſſam ei tradere poſſis,) idque ſermone Anglico, cujus eum adeo peritum eſſe, haud ſatis mirari licet. Quonam pacto de rebus veſtris inter ſe convenerint *S* - - & *L* - -, mihi eſt incompertum. Cum enim per 4 vel 5 menſes vix pedem foras extulerim, *S* - - raro videre contigit. Quod *Actis* cujusque *Menſis*, Appendicis vice, de Operibus vel meditatis, vel brevi edendis, agere in animo habeatis, non poteſt, quin eruditis gratum ſit. Certe, ſi ad tam utile inſtitutum promovendum ſuppetias ferre potuerim, manus auxiliatrices lubens admoverim. Sed, cum valetudo mea pæne conclamata ſit, &, relictis Londini ſuburbiis, ad decimum ab urbe lapidem lares deponere e re mea ſit, haud adeo obvia mihi erit librorum notitia; quicquid tamen potero, certe officio in te meo neutiquam deero. De nomine meo exprimendo, an ſupprimendo, mihi perinde erit, modo ne in iis fiat, de quibus aliter monuero. Poſt ea, quæ noviſſime ad te ſcripſi, vix aliquid occurrit notitia tua dignum. Libenter a te edoceri velim, quis ſit iſte *Morhoſius*, qui *Polyhiſtora* edidit, & ubinam

vivat.

*neſius*, Byzantinus ſcriptor, in eo infeliciſſimus, quod, poſt doctiſſimorum tot Virorum curas, in impuras Venetorum manus incidit, unde, miſerrimum in modum deformatus, ante paucos annos exiit.

vivat. Certe ejus viri ingenium, judicium, eruditionem, ſtylum, ſummopere admiror. Gratum mihi feceris, ſi te proxeneta in ejus, ſi non amicitiam, ſaltem notitiam, deducar. Et ad illum retro quidem dediſſem literas, niſi, quanam parte agat, & quanam via literæ ad ipſum eſſent deſtinandæ, plane incertus eſſem. Antequam te dimittam, unicum adhuc eſt, quod penes te veluti in amici ſinu mihi deponere liceat. Durante mea hyemali invaletudine, *Ittigii* veſtri *Diſſertationem de Hæreſiarchis* (quam benevole mihi dono dediſti) legi. In qua nihil adeo deſiderari videtur, quam quod ipſorum dogmata paulo parciori manu tradiderit. Video, ipſum *pag. 154* quædam in me, etſi levi ſatis de cauſa, durius dixiſſe. [e]) Fateor, locum iſtum de *Dannhauero* mihi nimium feſtinanti excidiſſe. Cum enim *Hieronymi* textum aliis characteribus, uti fieri ſolet, non diſtinxerit, totam periodum *Hieronymi* eſſe, non animadvertebam; & ſemel animadverſum prima quavis occaſione corrigere ſtatuebam. Sed & duriora adhuc mihi minitari

e) Non, quæ in *Caveum Ittigius* dixit, duriora ſunt, quam quibus a *Caveo* petiti *Bebelius* & *Dannhauerus* fuerant. Retorquet enim plerumque ea in *Caveum Ittigius*, quæ in illos Argentinenſis Academiæ doctores *Caveus* jecerat. Nam, ut vel ea, quæ dictorum *Ittigii* duriſſima putari poſſunt, proferam, ita ille *l. c.*: *Erravit igitur hic ipſe* Caveus, *dum craſſum ſatis errorem* Dannhauero *impegit. De* Bebelio *alius erit dicendi locus. Caveat ſibi interim Celeberrimus* Caveus, *ne ipſe, quod B.* Bebelio *exprobravit, ſpiſſos aliorum errores clauſis oculis abſorbeat*, &c.

minitari videtur. Tantæne animis cæleſtibus iræ? Et plane, ſi ita lubet, agat arbitratu ſuo. Habebit me, non quidem adverſarium, (ſum enim, ſi quiſquam alius, a rixis & contentionibus, & a carpendis aliorum vitiis, alienior, καὶ ὅσον ἀνθρωπὸς ἔχειν ἀπὸ γνώμης) ſed, ubi neceſſe erit, modeſtum, uti ſpero, mei ipſius defenſorem, ſaltem confitentem reum. Homo quidem ſum, & erroribus obnoxius, &, ſi, quæ ad exorandam lectoris humanitatem ſub finem Prolegomenon dixi, molliorem cenſuram, & facilem erratorum leviculorum veniam, non impetrabunt, dura erit ſcriptorum ſors, eorum præſertim, qui magna opera aggrediuntur, ubi ad varia ſimul attendendum erit, nec omnia relegere, & debita ἀκριβείᾳ ad examen revocare, ſemper fas eſt. Aliud eſt brevem Diſſertatiunculam, aliud ingens Volumen, condere. Si D. *Ittigio* viſum fuerat me de ullis erroribus privatim admonuiſſe, candide & perhumane mecum egiſſet, & habuiſſet, unde & ſummas ei gratias agerem, & ipſum opus ad emendatiorem editionem adornarem. Verum, alteri leges præſcribere, meum non eſt. Sed næ ego abutor petientia tua, dum te, melioribus occupatum, his minutiis detineo. Vale, Vir præſtantiſſime, & me, quod facis, ama. Islingtonii Cal. April. 1691.

## EPISTOLA IV.
## GUILIELMO CAVEO
## S. D.
## OTTO MENCKENIUS.

Arg. *Ittigium Caveo excuſatum cupit. Morhoſius quis ſit, certiorem facit.*

Tandem

Tandem aliquando ex Anglia advenerunt exſpectati diu libri, eosque inter & *Stanleyi* doctiſſimum illud, quod tuo mihi ære comparaſti, Opus. *Wagnerus* noſter quam officioſiſſime te ſalutat, multumque ſibi gratulatur, quod literas ſuas non es dedignatus. *Ittigius*, vir non probus minus, quam doctus, dolet, te, quem veneratur & colit, ſibi iraſci ob famam præceptoris quondam ſui *Dannhaueri* a ſe vindicatam, idque velim habeas perſuaſum, quicquid ab eo ſcriptum eſt, non ex odio aut contemtu tui, ſed ex affectu in præceptorem, cujus ſancta ipſi eſt recordatio, profectum. In tanto & tam vario opere, quod eruditus orbis tibi debet, quam facilis ſit lapſus, quis ignorat? Et deprehendit fortaſſe *Ittigius* paroramata pauca alia, quæ, ſi placet, privatim indicaturus eſt, publice nunquam arguet. f) *Morhofius* Profeſſor eſt Eloquentiæ ac Poeſeos, nunc etiam Iuris Civilis, in Academia Kilonienſi, quæ eſt in Holſatia. Ego hoc viro a multis annis utor amiciſſimo, qui haud dubie ſibi gratulabitur, ubi tibi quoque familiarius innotuerit. Sed afflictam longo tempore valetudinem expertus eſt, adeoque par hactenus non fuit alteri *Polyhiſtoris*

f) At arguit tamen poſtea in *Schediaſmate de Auctoribus, qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis* egerunt, poſt mortem Auctoris A. 1711 Lipſiæ a *Chriſtiano Ludovico* publicato, §. 10 *pag. 27*, ubi errores *Cavei* varii, in *Hiſtoria literaria* commiſſi, nec ii leves, ſunt notati. Sed ideo fortaſſis extincto demum Auctore prodiit hæc Diſſertatio, ut vivens ſaltem viventi pepercisse diceretur.

*Polyhiſtoris* ſui *Tomo* in lucem protrudendo. Spero tamen, gaviſurum eum proſperiore deinceps valetudine, qualem & tibi ex toto pectore apprecor, meque, ut finem epiſtolæ imponam, quam commendatiſſimum tibi eſſe cupio. Dab. Lipſiæ d. $\frac{4}{14}$ Julii 1691.

## EPISTOLA V.
## GUILIELMO CAVEO
### S. D.
## OTTO MENCKENIUS.

Arg. *Literaria varia continet.*

Ego vero, in ſcribendo parciorem me fuiſſe, non diffiteor, ſperoque, excuſatum me vel hoc nomine iri, quod per ſemeſtre æſtivum Academiæ noſtræ Rectoratum geſſi; quod munus, moleſtum utique & laborioſum, impedimento mihi, ut in multis aliis, ita & in officio amicis præſtando, fuit. Ceterum, *Athenarum Oxinienſium Partem ſecundam*, tantum abeſt, ut acceperim, ut ne viderim quidem, imo ut damnatam, & manu carnificis exuſtam, citius, quam editam, cognoverim. Cauſſam, cur tam dira fata Opus hoc ſubierit, adhucdum ignoro, niſi quod in Novellis publicis relatum memini, illuſtri, neſcio cui, familiæ maculam in eo adſperſam fuiſſe. A *Newtono* nihil reſponſi ad literas meas accepi; unde conjicio, illi *Acta* noſtra ſordere: quod equidem non miror. *Philoſtrati* Opera hic certo edentur. Una in *Bentlejo* mora eſt, cui, ſi amico eo gaudes, ad perficienda, quæ collaturum ſe promiſit, ſtimulos addas, rogo. Ita certe bene de bibliopola noſtro *Fritſchio* mereberis, qui nunc tuum *Chriſtianiſmum*

*primitivum* in vernaculum noſtram linguam traduci curat, & prelo propediem eſt commiſſurus. Ad *Wæchtlerum*, affinem meum, (habet enim in matrimonio uxoris meæ ſororem,) perſcribam, quæ juſſiſti. Libros, quos deſideras, prima quaque occaſione mittam; ſed *Schelſtrateni* Opus Geographicum, etſi dudum typis exſcriptum, nondum publicatur, neſcio quas difficultates nectentibus Pontificiis. Sunt penes me libri novi, undique advecti, quibus vel carere ego poſſum, vel Bibliotheca mea jam eſt inſtructa. Hos auctione publica, parum abeſt, ut divendam. Quo in conſilio ſi perſeveravero, catalogi exemplar ſubmittam, ut ſeligere poſſis, quos emendos juſto pretio cenſeas. Nunc me benevolentiæ tuæ, quam tot documentis ſum expertus, quam commendatiſſimum cupio, Deumque veneror, ut te ſalvum ac ſoſpitem quam diutiſſime ſervet. Dab. $\frac{18}{28}$ Nov. 1691.

## EPISTOLA VI.

### OTTONI MENCKENIO
### S. D.
### GUILIELMUS CAVEUS.

Arg. *Nova literaria varii generis continet.*

Etſi ad meas, circa menſem Auguſtum ſuperiori anno ad te datas, nihil hactenus reſponſi tulerim; nihilo minus ante menſem unum & alterum ad te ſcripſiſſem, niſi conſtans & perpetua, & jam fere penitus labefactata, valetudo, & maximum, quod mihi aliunde natum eſt, infortunium, moram injeciſſent. Data jam occaſione, liceat mihi vobis totique reipublicæ literariæ *Actorum* veſtro-

veſtrorum decennalia gratulari. Faxit clementiſſimus pater, ὁ ἐπὶ πᾶσι, ut plura hujusmodi decennia ad communem orbis eruditorum utilitatem feliciter abſolvatis. E libris, ex Italia miſſis, quos a te pridem accepi, haud parum mihi placuit Cl. *Menetrii ſymbolica Dianæ ſtatua.* Quod *Malalæ Chronicon*, toties a me promiſſum, non miſerim, puto te cauſam e *S. Smith* dudum accepiſſe, quem, ut hac de re ad te ſcriberet, non ſemel monui. Nempe editionem ſupprimebant typographii Sheldoniani Curatores, donec exſurgeret, qui integram operis impreſſionem ſimul & ſemel præſenti pecunia redimeret. Adeo ut ne unicum quidem exemplar in proprium uſum, niſi ante paucos dies, impetrare potuerim. Lætabar quidem, cum ex *S* - - intellexerim, ſe *Malalæ* exemplar ad te miſiſſe. An alia aliunde nactus ſis, ex te ſcire aveo, plura aliter non miſſurus, ne inutili ſumtu te gravarem. De novis apud nos literariis hæc pauca accipe. *Angliæ ſacræ Volumen ſecundum*, illuſtrium quorundam Angliæ Epiſcoporum vitas, aliasque hiſtorias, numero plus quam LX, complexum, brevi prodibit. Hoc fortaſſe unum aut alterum ſuo tempore excipiet. *Athenæ Oxonienſes*, ab anno 1640 ad hæc usque tempora, paulo poſt Paſcha lucem videbunt. Bina hæc volumina, quamprimum exierint in lucem, ære meo ad te mittam. Interim monendus es, *Actis Martii pag.* 151 errorem irrepſiſſe, dum *rerum Anglicarum Volumen tertium* diverſum facitis a *XV Scriptoribus Britannicis*, a *Galeo* editis, cum unus idemque liber ſit. Novi Teſtamenti editio *Milliana* lente admodum progreditur. Etſi enim

pæne ad *Apocalypſin* perventum ſit; vereor tamen, ne intra annum ſequentem ſit abſolvenda. Interim moræ typographicæ tarditatem ſumma operis utilitas, & exquiſita typorum elegantia, abunde compenſabunt. Alii in *Dictionarii hiſtorici Moreriani* translationem gnaviter incumbunt, fingunt, addunt, detrahunt, adeo, ut novum potius opus, quam verſionem, procudere cenſendi ſint. *Iſ. Newtonus*, Mathematices Profeſſor Cantabrigienſis, *novum Philoſophiæ Syſtema* meditari dicitur. Honoratiſſimi *Boylei*, τȣ͂ νῦν ἐν ἁγίοις, vitam a Cl. *Burneto*, Epiſcopo Sarisburienſi, propediem exſpectamus. Obſervationes ſuas de Eccleſiis Albingenſium in Gallia Anglice nuper edidit *P. Alixius*, Eccleſiæ Sarisburienſis Theſaurarius; verum accuratam, ſed compendiariam, Conciliorum omnium editionem dudum ab eo exſpectamus. Sed de his hactenus. Saluta, ſi placet, meo nomine D. *Ittigium* veſtrum, quocum (niſi de valetudine mea, & pæne de vita ipſa, penitus conclamatum eſſe crederem,) commercium per literas lubens inirem. Si mihi innotuiſſet, ipſum novam *Joſephi* editionem adornaſſe, exemplar editionis Oxonienſis (quæ ad medium *Antiquitatum Jud.* & ad *Cap. 14 Lib. II de Bello Jud.* proceſſerat,) ad illum transmiſiſſem. Audio, Oxonienſibus in animo eſſe, ſepoſitis, quæ hactenus excuſa ſunt, opus de novo incipere, & via magis compendiaria adornare. Saluta etiam *Wagnerum*, de quo ſcire vellem, an *Cudworthi Syſtema intellectuale*, et *Tati ter tria*, a me pridem ipſi deſtinata, acceperit. Cl. *Morhofii* obitum (quem ex *Actorum* veſtrorum *Menſe Septembri* cognovi,) graviter fero, in quo ingens plane

damnum

damnum paſſa eſt respublica literaria. Sed, ne in publica commoda peccare videar, vale, Vir doctiſſime, mihique dilectiſſimum caput, &, quod hactenus feciſti, amare me perſevera. E Colleg. Windeſor. Cal. Martiis 169½.

# EPISTOLA VII.
## OTTONI MENCKENIO
S. D.
## GUILIELMUS CAVEUS.

*Similis argumenti, cujus priores literæ.*

Quod mitto, *Malalæ* Chronicon, ab *Hodio* accepi. Quid ipſe ulterius moliatur, ex ejus Prolegomenis, *Malalæ* præmiſſis, diſces. Opus habet ſub manibus, & pæne prelo paratum, conſummatiſſimæ eruditionis, cui titulum facturus eſt: *Hiſtoria & Antiquitates Civitatis & Eccleſiæ Alexandrinæ ab U. C.* Quo Opere inter alia de *Ptolemæis*, totoque Ægyptiorum ſtatu, tum civili, tum eccleſiaſtico, copioſe aget. An idem ſit, cujus meminit in *Prolegom. Sect. 34*, nondum ex eo didici. Certe paulo lentius progreditur, quia librum *Vaillantii de Ptolemæis*, brevi proditurum, exſpectat. Novis, quæ nuper dedi, literariis hæc addi poſſunt. *Jacobi Bobarti* Hiſtoriam plantarum animadverſionibus ex ſcriptoribus Arabicis aliisque orientalibus illuſtrabit Cl. *Hydius*, Protobibliothecarius. D. *Creechius*, Collegii omnium animarum Oxon. ſocius, qui *Lucretium*, *Horatium*, & *Theocritum*, Anglico carmine annis proxime elapſis, non ſine ſummo ingenii acumine, reddidit, *Lucretii* editionem Latinam notis, novaque paraphraſi, editionis *Delphinianæ* paraphraſi longe accuratiori, ornatam,

 medita-

meditatur. Idem *Manilium* poemate Anglico editurus eſt. Eundem *Manilium* longe correctiorem Latine nobis dabit *Rich. Bentlejus*, Oxonienſis [g]), vir haud vulgariter doctus. A quo etiam novam *Philoſtrati* editionem brevi exſpectamus. D. *Sellerus*, qui hac ipſa hora me inexſpectato convenit, tibi perquam officioſe ſalutem dicit. Vale, Muſarum decus, præſidium, & dulce decus meum. E Colleg. Windeſor. 5 Non. Martii 169½.

## EPISTOLA VIII.
## GUILIELMO CAVEO
## S. D.
## OTTO MENCKENIUS.

Arg. *Literaria varia & refert, & requirit.*

Quas Calendis Martiis ad me dediſti literas, rectiſſime accepi, gaudeoque, utcunque te valere. Sed domeſticam calamitatem tuam ex dilectiſſimæ conjugis obitu, de qua ad me *Smithus* noſter perſcripſit, vehementer doleo, Deumque veneror, ut uberrimum ſolatii fontem tibi aperiat, teque ſalvum & valentem quam diutiſſime Eccleſiæ & reipublicæ literariæ conſervet. Quæ in *Symbolica Dianæ Epheſiæ Statua* tibi deſunt folia, Roma afferri curabo. Tametſi enim, qui librum mihi miſerat, *Emanuel a Schelſtrate*, Vaticanæ Bibliobiblio-

g) Vides, Lector, annos fere quadraginta a *Bentlejo* in edendo *Manilio* deſudatum; ut hinc ſpem conceperint eruditi, Opus tandem proditurum tale eſſe, quale adhuc orbis criticus non viderit. Jam, cum manibus noſtris exſpectatus diu liber tenetur, haud pauci ſunt, qui, vix centeſimam ſpei ſuæ impletam eſſe partem, conqueruntur.

bliothecæ Præfectus, pridie feſti Paſchatos e vivis exceſſerit, (cujus quidem viri, mihi, dum viveret, amiciſſimi, obitum ægerrime fero,) per amicos tamen alios & ſuperſtites facile me iis potiturum confido. Inter ea, quæ ex honoratiſſimis literis tuis cognovi, lego quoque, *Bobartum*, horti botanici apud Oxonienſes Curatorem, *Volumen alterum Hiſtoriæ Plantarum* ſub prelo habere. Rogo, ut me edoceas, quando *Volumen primum* prodierit, aut num forte innuatur illud, quod a *Moriſono* pridem fuit editum. *Neſſelianum* de Bibliotheca Vindobonenſi Opus tanti non eſt, ut illi emendo ſumtus impendantur. Neque venum in hac urbe proſtat. Plura non addo, ſed nunc *Ittigii* noſtri literas legendas tibi ſiſto, quem per triginta annorum familiare conſortium non amicum tantum fidum, ſed & virum probum integerrimumque, fui expertus. Vale, & me ama. Lipſiæ d. $\frac{8}{18}$ April. 1692.

# EPISTOLA IX.

## GUILIELMO CAVEO

S. D.

## OTTO MENCKENIUS.

Arg. *Falſum fuiſſe de obitu Cavei rumorem, gaudet. Ut Angli de ſuis ipſi ſcriptis in* Acta *referant, exoptat.* Pinckeri *librum MStum commendat. Literaria nonnulla addit.*

Poſtremæ, quas a te accepi, literæ Windeſoriæ Calendis Martiis A. 169$\frac{1}{2}$ fuerunt datæ; ad quas ego ſine mora, menſe Aprili ſuperioris anni, reſpondi, inſerta etiam *Ittigii* noſtri ad te epiſtola. A tanto tempore reſponſum tuum & ego,

 & *Itti-*

& *Ittigium* avidiſſime exſpectavimus, & urgere illud novis literis conſtitueramus, quando ad manus noſtras pervenit, & utrumque haud mediocriter conturbavit, *Caſimiri Oudini* ad *Jo. Frid. Mayerum de Ratione ſtudiorum ſuorum* Epiſtola, Lugduni Batavorum anno ſuperiore impreſſa, in qua hæc inter alia legebantur verba: *Cèteros inter, Cavum, pluribus in locis contra me in Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum inſurgentem, ea ratione correxi; qui, ſi viveret nunc, meis opinor ſententiis, ſibi ignotis, minus iraſceretur,* &c. Sparſus inde paſſim de obitu tuo rumor, omnibus, qui te norunt, & tua in rempublicam literariam merita venerantur, longe ingratiſſimus, qui tamen eum in mœrorem, quo non potuiſſem non per tanti amici jacturam affici, me non conjecit, quod animo reputarem, ſi quid tibi humani accidiſſet, de eo vel *Sellerum*, vel *Smithum*, perſcripturum ad me fuiſſe. Nihilo minus de ſalute tua anxius, quod tam longo tempore nihil a te literarum ad nos perveniſſet, ad *Smithum* ante duos, & quod excedit, menſes literas dedi, rogavique, ut de ſtatu tuo me edoceret. Cujus reſponſum dum inter ſpem metumque exſpectarem, (etſi hactenus nondum impetratum,) acceſſit me ex improviſo Legatorum potentiſſimi Regis veſtri alter, Dnus *King*, Vir humaniſſimus, meque exoptatiſſimo de vita & ſalute tua nuntio recreavit, liberavitque omni, quem conceperam, metu, nuncque etiam Dresda binas literas tuas cum libris, quibus tu & clariſſimus *Hodius* (quem meo nomine, poſt gratias actas, ſalutabis officioſiſſime,) donatum me voluiſtis, transmiſit. Vides, Vir maximopere venerande,

quæ

quæ cauſa ſit diuturni mei ſilentii, perſuaſumque, rogo, habeas, nihil deceſſiſſe meæ erga te obſervantiæ, aut unquam deceſſurum. Qui in excerpendis libris Anglicis diligentiſſimus æque ac feliciſſimus a longo tempore fuit D. *Pinckerus*, h) ſuperiore anno e vivis exceſſit: ut adeo, pro eorum, qui Anglicæ linguæ utcunque periti ſunt, apud nos paucitate, nihil magis nobis ſit in votis, quam ut eruditi in Anglia viri librorum, a ſe vernacula lingua recens editorum, ideam, qualem quidem repræſentari in *Actis* cupiant, maxime notabilia totius operis complexam, elaborent ipſimet, nobisque *Actis* inſerendam transmittant. De qua re, num poſſit perfici, ut ſerio cogites, etiam atque etiam rogo. Reliquit memoratus ſupra *Pinckerus* noſter elegantem & accuratam verſionem Latinam *Micrographiæ Hookianæ*, quæ digniſſima eſt, ut in lucem prodeat. Neque defuturus apud nos eſſet bibliopola, qui opus ab hæredibus ejus redimeret, ſubjiceretque prelo, ſi tabulæ æneæ, quas apud Cl. *Hookium* ſupereſſe non dubito, pretio non magno comparari poſſent. Sed quando Novi Teſtamenti editio proditura tandem eſt? Poſſidet & in Luſatia noſtra Zittavienſis Bibliotheca manuſcriptum Novi Teſtamenti Codi-

 cem,

h) *Chriſtophorus Pinckerus*, J. U. D. urbis Lipſienſis Senator, Vir fuit elegantioribus literis cultiſſimus, & linguarum inprimis peregrinarum callentiſſimus. Scriptorum, quod ſciam, nihil edidit; fuit autem inter primos, eosque diligentiſſimos, qui *Actis Eruditorum* colligendis operam navarunt. Mortuus eſt Dresdæ A. 1692, d. 23 Sept. Vid. M. *Jo. Jac. Vogelii Leipziger Annales pag.* 881.

cem, non antiquum quidem, nec contemnendum tamen; e quo variarum lectionum ſpecimen in *Actis* noſtris *Menſe Septembri A. 1692 pag. 426* & *427* deprehendes. *Joſephum* edere *Ittigius* noſter nunquam in animo habuit; ſed bibliopola, cum recudi jam textum tumultuarie ſatis, & ne idoneo quidem correctore adhibito, curaſſet, ne plane nihil videretur editioni novæ acceſſiſſe, qualemcunque Præfationem vel ab invito extorſit. Sed excedo modum epiſtolæ, jamque, ſi quid diuturno ſilentio peccavi, compenſaſſe id prolixitate, tibi forte tædioſa, mihi videor. Unum tamen adhuc monendum duco. Noſti haud dubie, aut certe ex *Actis* noſtris *Menſis Octobris Anni* proxime elapſi *pag. 462 ſeq.* intelliges, doctiſſimum tuum *de primævo Chriſtianiſmo* librum in Belgicum ſermonem cum Præfatione Theologi Batavi clariſſimi, *Hermanni Witſii*, converſum prodiiſſe; nec, opinor, ægre feres, levem quandam *Witſii* a tua ſententia diſſenſionem a me (nec enim diſſimulo, relationis iſtius auctorem me ipſum eſſe,) notatam. Perſuaſum vero habeo, optime te facturum, ſi tanti ab omnibus æſtimatum opus Latine, & auctius quidem, edas; quod nullo prope negotio fieri a te poterit, & exoptatiſſimum omnibus accidet, qui Anglicæ linguæ non ſunt periti. Vale, & vitæ longævitate de falſo obitus tui rumore triumpha. Lipſiæ d. $\frac{19}{29}$ Jan. 1693.

---

## EPISTOLA X.

### OTTONI MENCKENIO
S. D.
### GUILIELMUS CAVEUS.

Arg. *Vivere ſe, ſed non valere, ſcribit. Ab Anglis*

*fruſtra*

*fruſtra exſpectari ſymbolas ad Acta, docet. Generi ſui, Rob. Gery, mentionem facit. Nova literaria refert. Germaniæ viros doctos gratulatur.*

Poſt longam & diutinam exſpectationem, imo depoſita jam pæne omni exſpectatione, tandem exoptatiſſimæ tuæ literæ, Januar. die 21 datæ, mihi vero Februar. 6 (ut recta ad me perveniſſe ſcias) redditæ ſunt, quibus tam diuturni ſilentii cauſas candide expoſuiſti. Hiſce ne citius reſponderem, in cauſâ fuit conſtans valetudinis meæ ſtatus, qui totum pæne occupat hominem. Miratus ſum, fateor, tam longum, &, ut mihi quidem videbatur, pertinax, ſilentium, nec tamen de tuo in me affectu male ominari auſus ſum. Rumorem de morte mea ex tuis primum literis lætus intellexi, lubens audivi. Neque enim de *Oudini* Epiſtola vel verbum acceperam, quam nec hactenus vidi, nec in officinis noſtris proſtare credo. Quin nec, rumorem ipſum omnino falſum eſſe, jactare poſſum. Vivo quidem per Dei gratiam, ſed in vitæ mortisque confinio ita poſitus, ut mortuis potius, quam vivis, annumerari merear. Siquidem vita non eſt vivere, ſed valere. Verum, de hac re, inquis, ad te perſcripſiſſent *Sellerus*, *Smithus*ve. Nec te etiam de hoc nimis ſecurum eſſe jubeo. Rarum mihi cum illis, neque mea id quidem culpa, intercedit commercium. Cum enim ipſi juramentum fidelitatis Regi Reginæque præſtare recuſarint, in proprias abeunt partes, & cum aliis veterem licet arctamque amicitiam ægre colunt. Id quod te latere nolui. Tuas & Cl. *Ittigii* ad me literas periiſſe, ægerrime fero. Quamprimum meliuſcule me habere incipiam, ad eum dabo literas;

ras; neque enim niſi hoc facto ſecundas ab eo exſpectare par eſt. Interim ipſum meo nomine quam officioſiſſime ſalutabis. *Pinckeri* veſtri obitum ſummopere doleo. Quod vero in votis habes, ut librorum, apud nos Anglice editorum, ſummaria Auctores Latine ad vos tranſmittant, vereor, ne fruſtra ſis. Pauci ſunt, qui libros publica notitia dignos hoc præſertim rerum ſtatu apud nos edunt; pauciores, qui eorum ideam Latino ſermone expreſſam in uſus veſtros dabunt. *Micrographiæ Hookianæ* Tabulæ æneæ non ſunt, opinor, ipſius *Hookii*, ſed bibliopolæ, qui ægre eas in alterum transferet. Si tamen ita vis, hominem per amicum tentari curabo. Libros, a te miſſos, accepit affinis meus. Is eſt gener meus, D. *Rob. Gery*, vir probe doctus, reique literariæ non vulgariter peritus, magni noſtri *Rob. Sanderſoni*, olim Epiſcopi Lincolnienſis, ex filia nepos. Occupatus eſt *Hodius* noſter in vindicando MSto ſuo *de Epiſcopis*, Græce edito, &, quæ exinde nata eſt, controverſia. Vindicias ejus adverſus *Dodwellum* aliosque, prout prima ſe obtulerit occaſio, ad te mittam. *P. Alixii* Conciliorum Volumen primum paratum eſt, & prelo deſtinatum, quo minus vero typis deſcribatur, facit papyri in officinis noſtris raritas & inopia. Sed heus tu! de *Philoſtrato Bentlejano* quid agit typographus veſter? quem, cum ſuperiori æſtate in Anglia commoraretur, doleo, me non niſi in tranſitu vidiſſe, & ὡς ἐν παρόδῳ ſalutaſſe. An non malo loco tibi videtur apud nos eſſe res literaria, cum, deſerto *Theatri Sheldoniani* prelo, Oxonienſium noſtrorum libri in ultimas Germaniæ oras, ut typis deſcripti in lucem exeant,

exeant, migrare coacti ſint. Certe ſæpe mecum in animo Germaniæ veſtræ gratulari ſoleo meliores literas feliciter reſloreſcentes. Gratulor tot juvenes, in antiquitatis Eccleſiaſticæ ſtudio feliciter verſantes. Memini, me ante annum unum aut alterum a populari quodam veſtro accepiſſe, te filium tuum in Angliam miſſurum eſſe. Id ſi contigerit me adhuc in vivis exiſtente, næ tu mortalium inhumaniſſimus, niſi res ejus ita diſponas, ut non tantum me veluti amicum inviſat, ſed & hoſpite utatur, ut ſaltem vivam tui imaginem coram contempler, eumque honeſta quidem, ſed ſatis philoſophica, menſa excipiam. Sed vereor, ne epiſtolæ modum excedam. Unicum pæne exciderat. Quod mones de *primævo* meo *Chriſtianiſmo* Belgice verſo, novum mihi plane erat & inauditum; adeo totus ruſticor, ab urbe, ab amicis, a libris, longe remotus. Ut vero vel te, vel Cl. *Witſium*, in re plane nihili a me diſſentientem, graviter feram, ab ingenio id & a moribus meis quam longiſſime abeſt. Diverſum ſentire duos -- noſti cetera. Quo minus vero de hoc libro augendo, & in Latinum ſermonem traducendo, cogitarem, facit non labefactata ſolum, ſed penitus conclamata, valetudo, quæ animum ad alias, eaſque graviores, curas avocat; aliter haud gravate opus in me ſuſciperem, tuis aliorumque amicorum conſiliis non illubenter obtemperaturus. Vale, caput chariſſimum, meque, quod facis, ama, & haſce literas, raptim ſcriptas, & male pictas, boni conſulas. Dat. in Colleg. Windeſor. Idib. Martii 1693.

---

In *Partem primam* horum *Miſcellaneorum*, nuper editam, vitio operarum errores aliquot irrepſerunt, ita emendandi: In *Præf. pag.* 24 *lin.* 12 pro *judicanent* leg. *judicarent*; pag. 26 *lin.* 19 pro *non ut eſſe homini* leg. *non ut homo eſſe homini*; in ipſo opere *pag.* 8 *lin.* 5 pro *epiphomena* leg. *epiphonema*; *pag.* 9 *lin.* 1 pro *ejus ſimiles* leg. *ejusque ſimiles*; *pag.* 14 *lin.* 27 pro *vocaturos* leg. *vacaturos*; *pag.* 24 *lin.* 2 pro *Romam tertiam* leg. *horam tertiam*; *pag.* 84 *lin.* 17 ante verba: *Scripſerat videlicet* &c. ponendum: *Mihi quidem non eſt dubium, hæc vera & germana eſſe* Plinii *verba:* ingeniorum rempublicam fecit. In *Parte* hac *ſecunda pag.* 178 *lin.* 6 pro *maximis* leg. *maximus*.

✱ ✱ ✱

# INDEX DISSERTATIONVM,

QVAE

VOLVMINIS PRIMI

PARTE SECVNDA

CONTINENTVR.

I. IOANNIS CHRISTOPHORI HARENBERGII Cogitata de Inopia pluviæ in Ægypto, ac malis, inde exoriri ſolitis, ad illuſtrandum locum *Devt. XI, 9, 10 ſeq.* Pag. 177-223.

II. IO. CONRADI SCHWARZII Obſervatio de *Θεοδρόμοις Ignatii.* Pag. 229-237.

III. IOANNIS CHRISTOPHORI HARENBERGII Origines Hildeneshemii, Bennopolios, & Benneburgi. Pag. 237-268.

IV. IO. GEORGII WALTHERI Emendatio loci *Herodotei Lib. I Cap. 72*, ejusque & aliorum, inprimis *Dionyſii Alexandrini*, qui Aſiæ veteris deſcriptionem in ſuperiorem & inferiorem illuſtrant, explicatio. Pag. 268-291.

V. CHRISTOPH. AVG. HEVMANNI Revelatio Auctorum Obſervationum Halenſium Latinarum. Pag. 292-318.

VI. FRID. OTTONIS MENCKENII de Vera vocum Exemplum & Exemplar ſignificatione Obſervatio critica. Pag. 319-340.

VII. GVIL. CAVEI & OTTONIS MENCKENII Epiſtolarum mutuarum Decas, cum Præfatione FRID. OTTONIS MENCKENII. Pag. 341-365.

* * *

# MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA,

AD INCREMENTVM SCIENTIARVM,

AB HIS,

QVI SVNT IN COLLIGENDIS ERVDITORVM NOVIS ACTIS OCCVPATI,

PER PARTES PVBLICATA.

*VOLVMINIS PRIMI PARS TERTIA.*

LIPSIAE,

APVD IO. FRID. GLEDITSCHIVM.

M DCC XLII.

# I.

## PETRI ZORNII,

IN GYMNASIO THORUNENSI RECTORIS, PROFESSORIS PRIMARII, ET BIBLIOTHECÆ PUBLICÆ PRÆFECTI,

## DISSERTATIO DE LIBRO FOEDERIS ANTIQUI JUXTA CUM ALTARI VICTIMARUM SANGUINE CONSPERSO, EJUSQUE REI MYSTERIO,

AD ILLUSTRATIONEM EPISTOLÆ AD EBRÆOS IX, 19.

---

### I.

Quis ille *liber Fœderis* fuerit, quem *Moſes Exodi XXIV*, 7, itemque *Paulus Ebr. IX*, 19, nominat, diu jam quæſitum eſt, quemadmodum varias variorum, ſive Judæorum, ſive Chriſtianorum, de hoc libro conjecturas recenſet *Guſtav. Philip. Morlius*, a) *Joſias*

a) Præſide *Jo. Chriſtoph. Wagenſeilio* in Diſſertatione *de Lingua authentica ſive originali Novi Teſtamenti*

*Joſias Henricus Opitius*, b) *Jo. Chriſtophorus Wolfius*, c) & *Conradus Ikenius*. d) Et vero, cum dici nequeat, univerſum Pentateuchum a *Moſe* jam tum conſcriptum & prælectum fuiſſe, cujus contenta nondum a Deo acceperat, anquirunt interpretes, quid per hunc librum Fœderis intelligendum ſit.

*menti & præcipue Evangelii Matthæi*, *Capite III* §. *I*, ſe nobis offert *liber Fœderis* Ebraice ספר הברית, cuius mentio fit *Exodi XXIV*, 7. De hoc varii varie judicant. Primo enim Judæi putant, continuiſſe illum geſta a *Geneſi* ad Legis usque lationem, & illa præcepta, quæ data ſunt in *Mara*. Deinde alii hic anticipationem quærunt, quod ſcilicet *capita* quædam fuerint a *Moſe* ore prolata, ac poſtea demum in librum relata. At *Auguſtinus* exiſtimat, in hoc volumine ſolas fuiſſe juſtificationes, hoc eſt, judicialia & cerimonialia mandata, quæ a *XX* usque ad *XXIV Exodi Caput* (excepto Decalogo) recitantur. *Cajetanus* autem, etiam Decalogum adſcriptum fuiſſe, cenſet. Nos *Hottingero* & *Hackſpanio*, de republica literaria bene meritiſſimis viris, adſtipulamur, qui putant, ספר hic *catalogum*, vel *enumerationem* & *ſchedulam*, ut alibi paſſim, ſignificare, ut ita non ſit aliquis diſtinctus liber ab ipſo *Exodo*, ſed aliqua pars illius, ubi *& Leges Morales*, *& Cerimoniales*, *& Forenſes*, *chartæ inſcriptæ* continebantur, quam deinde *Moſes* ipſe ſuo *Libro ſecundo* inſeruit. Minime itaque exinde probari poteſt, aliquod ſcriptum avthenticum interiiſſe.

b) In Diſſertatione *de Libris S. Scripturæ apparenter deperditis p*. 22.

c) *Bibliothecæ Hebrææ Parte II. pag*. 215.

d) In Diſſertatione philologica *de Adſperſionibus Hebræorum Capite IV* §. *III pag*. 55.

ſit. *Joannes Braunius* e), plane diverſum a Pentatencho librum fuiſſe, exiſtimat, qui deinde *temporis injuria interierit*. At vero, quemadmodum *Braunius* fallitur, f) ita omnes interpretes uno ore, & quidem recte, fatentur, *hunc librum Pentateuchi partem* fuiſſe, etſi inter ſe diſſentiant, quaenam illa pars Pentateuchi fuerit. *Jacobus Altingius*, *decem tantum verba* praelecta, vult, quem tamen refellit *Joannes Outreinius*, g) ex eo fundamento, quod דברי יהוה, *verba Jehovae*, & משפטים, *jura*, expreſſe diſtinguantur *verſu 3*, ubi per priora, verba decem praeceptorum, per poſteriora autem, cetera ſtatuta, ab *Exod. XX, 18*, usque ad finem *Capitis XXIII*, intelligit. Quam ſententiam ipſe *Paulus*, dum βιβλίον nominat, h) non obſcure confirmat. Nota

 poſſu-

e) In *Selectis ſacris Libro V Exercitatione I §. XXVI.*

f) Audiamus hanc in rem *Ikenium l.c.* „Non videtur probabile, ullas alias leges praeter eas, quae „in *Pentateucho* collectae ſunt, Iſraelitico populo „a Deo datas fuiſſe, quin imo, ſi leges iſtae tanti „momenti fuiſſent, ut populus, illas ſervando, „conditionibus divini foederis ſatisfeciſſet, utique „eas maiori cura conſervaſſent poſteri, neque unquam permiſiſſent, contenta earum legum interire. Hinc eſt, quod ipſe *Braunius* in eadem ſententia valde fluctuet.

g) *Tomo II. Commentarii in Epiſtolam ad Ebraeos pag. 642.*

h) Neque mirum alicui videatur, quod *ejusmodi exiguum ſcriptum* βιβλίο nomine appelletur; nam Ebraeis hoc familiare eſt. Etenim hodie a Judaeis vulgo *liber* vocatur *formula repudii*, quae *duo-*

poſſumus non ſubjicere verba *Joannis Georgii Abichtii* in Diſſertatione *de Libro Recti* §. I, „ספר הברית, *sepher habberith*, ſignificat *librum* „*iſtius fœderis*, quod Deus cum populo Iſraeli-„tico ſanciverat, ita ut ה cum *emphaſi* quadam. „Eſt autem *Sepher habberith*, liber fœderis, *libellus*, „qui leges, a Deo in monte Sinai acceptas, com-„plectebatur, quas *Moſes Exod. XXIV*, 3, ibidem „conſcripſerat, & libro poſtea ipſi inſeruerat, „quæ, uti videtur, leguntur *Cap. XIX*, 21 *ſeq.* & „*Cap. XX*, 1 *ſeq.* usque ad *v.* 17. „ Hæc ille.

II. Cum vero *Moſes nihil dicat de adſperſione libri per ſanguinem facta*; inde *Joannes Spencerus* i) de adſperſione libri per ſanguinem nullam facit mentionem, ſed tantummodo diſquirit, *cur dimidium ſanguinis ſuper altare, & dimidium ſuper populum, ſparſum ſit.* Quod ad *Hugonem Grotium* attinet, is vero exiſtimat, apud *Paulum* βιβλίον jungi debere cum participio λαβὼν, hoc modo: καὶ αὐτὸ τὸ βιβλίον λαβὼν, ut participium vim habeat verbi, et particula καὶ abundet, ut ſenſus ſit, ἔλαβε καὶ ἐῤῥάντισε, *accepit librum, & adſperſit populum.* Quemadmodum autem huic interpretationi calculum ſuum addit *Chriſtophorus Wittichius*, k) ita *Hermannus Witſius*,

*duodecim verſibus* abſolvitur, inde יב dictus, quia hæ duæ literæ in numero valent XII. Videatur *Alexander Morus* in *Notis ad loca quædam Novi Fœderis pag.* 8.

i) In Diſſertatione *de Theocratia Judaica Cap. II pag.* 314 *Libri I de Legibus ritualibus Ebræorum.*

k) In *Inveſtigatione Epiſtolæ ad Ebræos pag.* [illegible]

*ſus*, l) nulla *Grotii* mentione facta, haud obſcure tamen *negat*; *librum Foederis ſanguine victimarum conſperſum eſſe*. *Paulus* denique *Colomeſius* in *Obſervationibus ſacris* exiſtimat, copulam καὶ in verbis *Pauli* expungendam et delendam eſſe, quippe quæ irrepſiſſe videtur ex ſuperioribus, ubi ter ab Apoſtolo adhibetur. At vero, ſi validum eſt illud argumentum, quod ex *Moſis ſilentio* petitur, non ſolum copula illa καὶ, ſed et integra *Pauli* oratio, vel refingenda vel expungenda erat, quia *inter Moſen & Paulum non una diſcrepantia occurrit*. m) Optima igitur nobis ſententia videtur eſſe *Joannis Franciſci Buddei*, n) qui exiſtimat, *Paulum Moſis verba ita recitare, ut interpretis ſimul & explanatoris munere fungatur*. Neque vero, *Moſe* tacente, *Paulus* erit ſubleſtæ fidei ſcriptor. Etenim ſcribit *ex divino afflatu*, itemque *ex antiquorum Ebræorum libris*, qui illa adhuc ætate exſtabant, o) hæc omnia edo-



l) *De Oeconomia fœderum Dei cum hominibus Libro IV Capite XIV §. XVIII pag. 839.*

m) Primum enim *Paulus* ſanguinis hircorum & vitulorum mentionem facit, cum *Exod. XXIV, 5*, tantum פרים, *juvenci*, memorentur. Deinde *Paulus* aquam ſanguine mixtam affirmat. Denique meminit lanæ coccineæ, & hyſſopi, itemque tabernaculi cum ſupellectile ſanguine conſperſi, quæ omnia *Moſes*, eandem recenſens hiſtoriam, ſilentio involvit.

n) In *Meditationibus ſacris pag. 22.*

o) *Epiphanius in Hæreſi Ebionæorum a Joſepho* quodam *Ex-Judæo* ſibi relata narrat de *Gazophylacio Scriptorum variorum, poſt devaſtatum templum apud Tiberienſes Judæos obvio, &c.* quod paucis

edoctus, præſertim cum, *Paulum alias in Antiquitatibus Ebraicis longe verſatiſſimum fuiſſe*, *Eduardus Bernardus*, p) *Hugo Grotius*, q) *Petrus Poſſinus*, r) *Jacobus Triglandus*, s) & *G. G. Zeltnerus*, t) recte contendant.

III. Quæ cum ita ſint, doctiſſimi quique viri, *Auguſtin. Calmetus*, *Jo. Outreinius*, *Jo. Calvinus*, *Sam. Bochartus*, u) *Franciſcus Burmannus*, x) *Andreas Rive-*

paucis patuerit aditus. Ex eo loco conficit *Gothofredus Olearius* in *Obſervationibus in Matthæi Evangelium pag.* 75, a Judæis ea ſcripta, quæ ſtabiliendæ Chriſtianæ religioni poterant inſervire, diligentiſſime fuiſſe ſuppreſſa, quæ tamen Apoſtolis tanquam Judæis innotuerint, ut iis hic illic, divino Spiritu vel ſuggerente, vel dirigente, uti potuerint. Confer *Jo. Chriſtoph. Wolfium Parte II Bibliothecæ Hebrææ pag.* 212, *Gerardum Joannem Voſſium Harmoniæ Evangelicæ Libro II Capite III §. XXII*, itemque *Joannem Erneſtum Grabium* in Præfatione ad *Teſtamenta XII Patriarcharum filiorum Jacob*.

p) In Notis ad *Joſephi Librum IV Antiquitatum Judaicarum Capite VIII §. XXI*.

q) *De Veritate Religionis Chriſtianæ Libro II §. VI*, & *Lib. III §. V*.

r) In *Spicilegio Evangelico §. V*.

s) In *Sylloge Diſſertationum Theologicarum & Philologicarum pag.* 234 *ſeq.*

t) In ברכת המינים, ſeu Fragmento *Pauli quondam perverſi* [illegible] *inter Judæorum preces obvio, & ad examen vocato*, *§. LVIII ſeq.*

u) *Hierozoici Parte I Libro II Capite L pag.* 475: „Quoties efferuntur victimæ in *Exodo* & *Levitico*, toties *Sacerdos ſpargit ſanguinem* ad altare circumcirca. Et *idem victimæ ſanguis* libris, vaſibus, „veſtibus, Sacerdotibus, populo univerſo, *inſpergitur*.

*Rivetus,* y) *Franciſcus Turretinus*, *Joannes Piſcator*, *Joannes Braunius*, z) *Petrus van Hoeke*, a) *Salomo Glaſſius*, b) aliique, a celeberrimo doctiſ-

Aa 4 ſimoque

„*gitur. Paulo* eſt τῷ αἵματι ῥαντίζειν *Hebr. IX, 21.* „Et *Petrus*, eodem alludens, nos electos fuiſſe „ſcribit εἰς ῥαντισμὸν αἵματος Ἰησοῦ Χριστοῦ, *in adſper-* „*ſionem ſanguinis* Jeſu Chriſti, *1 Pet. I, 2.* Itaque „Judæorum hic Canon eſt notiſſimus: *Radix* (ſeu „eſſentia) *ſacrificii eſt in adſperſione ſanguinis.*„ Quæ verba *Bocharti* itidem commendat *Frider. Benedictus Kettnerus* in Diſſertatione ad *Exod. XXIV, 1*, de דם הברית, ſive *Fœdere Sanguinis*, §. *XIII.*

x) In *Expoſitione Exodi.*

y) *Tomo I Operum pag. 1100*, cujus verba recitavimus *Tomo I Bibliothecæ* noſtræ *Antiquariæ & Exegeticæ pag. 1069.*

z) In *Commentario in Epiſtolam ad Ebræos pag. 570.*

a) In *der zergliedernden Auslegung des Briefs an die Hebræer: Nach der Beſprengung des Altars hat er das Buch erſt genommen und geleſen, woraus ich ſchlieſſe, daß das Buch neben den Altar ſey gelegt geweſen: da dann Moſes, indem er den Altar beſprenget, auch das Buch ſelbſten entweder abſonderlich, oder zugleich beſprenget hat.*

b) En hujus verba in Diſſertatione philologica *de Adſperſionibus Hebræorum Cap. IV §. IX, pag. 64*: „*Moſes* priori ſanguinis parte altare conſperſum „dicit, cum tamen *Paulus* librum fœderis ſangui„ne imbutum aſſerat, & ne verbulo quidem alta„ris mentionem injiciat. Unde optime colligi„tur, *librum fœderis impoſitum fuiſſe altari, atque* „*ſimul cum eo conſperſum fuiſſe*; quæ ſententia eſt „doctiſſimi *Ainsworthi* in Notis ad *Exod. XXIV, 7*, „*Jac. Cappelli* in *Ep. ad Hebræos IX, 19*, & *Hadr. Ju*„*nii* in *Parallelis pag. 489*; quam confirmatam & „latius deductam legere poteris apud *Outreinium* „*pag. 657.*

ſimoque *Conrado Ikenio* laudati, recte affirmant, *librum Foederis itidem ſanguine conſperſum eſſe.* At vero, dicet aliquis, *ſi liber foederis ſanguine conſperſus fuit, quomodo ob crebras ex ſanguine adſperſo lituras prælegi potuit?* Neque vero veteres habuerunt libros ſcriptos & compactos, ut hodie, ſed *volumina*, quæ ſive ex membrana vel charta, ſive membranæ vel chartulæ plagulis inter ſe conjunctis, & in longum protenſis, compoſita erant, & circa *ligneos bacillos convoluta*, cujus generis voluminibus hodieque adhuc utitur *Synagoga.* c) Hujus formæ liber Ebræis dicebatur מגלה, hoc eſt, *volumen*, & plene מגלת ספר, *volumen libri*, dicebaturque *aperiri*, ubi evolvebatur, quo in variis Scripturæ locis reſpicitur. More autem fere receptum erat, ut *hujusmodi volumina intus tantum, ſive adverſa parte, ſcriberentur*, *rarius contra accidebat, ut eſſent ὀπισθόγραφα*, hoc eſt, *parte ſcriberentur averſa, ſive exteriore*, d) quod tamen factum, ubi materiæ major

c) Quæ ad illuſtrationem verborum noſtrorum & confirmationem attinent, legantur in *Hiſtoria* noſtra *Bibliorum manualium Cap. II not. XI pag. 19, Cap. IX not. XXVII pag. 99*, itemque in *Hiſtoria* noſtra *Bibliorum ex Ebræorum diebus feſtis & jejuniis illuſtrata, ſelectiſſimisque obſervationibus adornata, Cap. III not. XCVI pag. 42.*

d) De ὀπισθογράφοις veterum videantur *Joannes Dougtæus* in *Analectis ſacris Parte I Excurſu CLI pag. 256, Melchior Guilandinus* in *Commentario de Papyro*, & *Joſephus Scaliger* in *Animadverſionibus in Guilandinum*, *Gerhardus Joannes Voſſius* in *Etymologico Linguæ Latinæ* in voce *Adverſa*.

major erat copia, quam ut interior membranæ pars eam admitteret totam. Ceterum, teſte *Paulo*, *Moſes* librum ſanguine conſpergens, *adſpergillo quodam ex lana coccinea & hyſſopo* uti voluit; quæ omnia ut rectius intelligantur, conſuli volumus *Samuelem Bochartum*, e) *Jo. Chriſtoph. Wichmanshauſen*, f) *Claudium Salmaſium*, g) *Matthæum Hillerum*, h) *Theodorum Daſſovium*, i) *Paulum Hulſium*, k) *Conradum Ikenium*, l) &

 Con-

*verſaria.* Ceterum, cum iſtiusmodi ὀπισθογράφων mentio fiat *Ezech. II, 9*, & *Apocal. V, 1*, hunc poſtremum locum *Apocalypſeos* inſigniter illuſtravit *Claudius Salmaſius* in *Specimine Confutationis Animadverſionum Deſiderii Heraldi, ſive Tractatus de ſubſcribendis & ſignandis Teſtamentis, item de antiquorum & hodiernorum Sigillorum differentia*; *pag. 118.* Quandoquidem autem liber ille *Salmaſii* in paucorum manibus eſt, inde luculenta quædam fragmenta exſtare voluimus in *Bibliotheca* noſtra *Antiquaria atque Exegetica pag. 371 ſeq.* Confer *Hiſtoriam* noſtram *Bibliorum ex Ebræorum diebus feſtis & jejuniis illuſtratam, ſelectiſſimisque obſervationibus adornatam, Cap. III not. 95 pag. 42.*

e) *Hierozoici Parte I Lib. II Cap. L pag. 587.*

f) In ſingulari Diſſertatione *de Adſpergillo Ebræorum ſacro* אגרת אזוב הקדש,

g) In *Epiſtola III ad Thomam Bartholinum de Hyſſopo & Cruce pag. 592, 610.*

h) In *Hierophytico* apud *Joannem Clericum dans la Bibliotheque ancienne & moderne Tom. XXIV pag. 80.*

i) In Diſſertatione *de Luſtratione Hebræorum.*

k) In Diſſertatione ſingulari *de Adſperſione per hyſſopum.*

l) In Diſſertatione philologica *de Adſperſionibus Hebræorum Cap. III § VIII ſeq. pag. 43.*

*Conſtantinum l'Empereur* apud *Voſſium Harmon. Evangel. Lib. II Cap. IX §. 32.*

IV. Transeamus nunc ad *libri ſanguine conſperſi myſterium*, quod præter alios ſatis luculenter exponit *Joannes Calvinus*, his verbis uſus: *Dicit Apoſtolus, vetus Teſtamentum ſanguine dedicatum fuiſſe; unde colligit, jam tunc admonitos fuiſſe homines*, non aliter ſtabile & efficax eſſe poſſe, quam ſi mors interveniret. *Nam, quod tunc pecudum ſanguis fuit effuſus, id valuiſſe negat ad æterni foederis confirmationem. Quod ut clarius pateat, addit*, tabernaculum cum omnibus vaſis, adeoque ipſum librum legis, fuiſſe adſperſum; *qua cerimonia jam tunc populus edocebatur, non aliter Deum poſſe in ſalutem quæri, vel adſpici, nec aliter rite coli poſſe*; quam ſi ubique fides in ſanguinem intermedium intueretur. *Locus hic admonet, omnes Dei promiſſiones tunc demum nobis utiles eſſe, dum ex Chriſti ſanguine acceſſit confirmatio. Nam, quod Paulus omnes Dei promiſſiones etiam & amen teſtatur, id fit*, cum ejus ſanguis inſtar ſigilli cordibus noſtris inſculptus eſt, vel cum non tantum audimus loquentem Deum, ſed Chriſtum cernimus ſe offerentem in pignus eorum, quæ dicuntur. *Hæc tantum cogitatio ſi in mentem nobis veniret*, non tam atramento, quam Filii Dei ſanguine, ſcriptum eſſe, m) *quicquid*

m) *Chriſtus* enim *munus* ſuum *Propheticum martyrio mortis* ſuæ confirmavit, quo reſpexit Apoſtolus *1 Tim. VI, 13*: Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃, τȣ̃ μαρτυρήσαντος ἐπὶ Ποντίȣ Πιλάτȣ τὴν καλὴν ὁμολογίαν. Et hac emphaſi

*quid legimus, cum Evangelium prædicatur*, una cum voce ſacrum illum ſanguinem ſtillare; *longe major*

phaſi videtur dici Jeſus Chriſtus *Apocal. I, 5*, *ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς*, primogenitus ille ex mortuis. *Gregorio Nazianzeno Orat. XVIII* Chriſtus dicitur *πρῶτος μάρτυς*, *primus martyr*. Et, ne honori Chriſti quidquam decedere videretur, Lugdunenſes & Viennenſes olim *ὁμολόγους* ſe, quam *martyras*, dici maluerunt. Vide *Euſebium Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Lib. V Cap. XV*, indicio *Hermanni Witſii Exerc. X in Symbolum Apoſtolicum* §. *XV pag. 144*. *Mortis* autem *corporalis martyrio æternæ mortis dolores* acceſſerunt, *Matth. XXVI, 38, XXVII, 46*, quod in aliis Martyribus ſecus fuit, quibus in mediis tormentis cœleſtium gaudiorum non parca plerumque prælibatio concedebatur. Quamvis autem *mors Chriſti* ad *Propheticum* ejusdem *munus* referatur, quatenus *martyrium* eſt; maxime tamen ad *Sacerdotium* pertinet, quippe in qua eſt *oblatio Chriſti*, & *ablatio peccatorum noſtrorum*. Quia non ſufficiebat, ſalutem nobis annuntiari, niſi & impetretur ac procuretur; hinc neceſſe fuit, Chriſtum non Prophetam modo, ſed & Sacerdotem, eſſe. Audiamus hic *Hugonem Grotium* in *Defenſione fidei catholicæ de Satisfactione Chriſti Cap. X* §. *XXII pag. 130*: „*Non enim*, Jeſus ſi teſtis fidelis *dicitur* „Apoc. I, 5, *ideo lavare illud a peccatis noſtris ad* „teſtimonium *referri debet*, *ut vult Socinus*, *qui* „non ſine inſigni detorſione *ita interpretatur*: qui „lotos nos declaravit. *Non enim cohærent ἀμέσως*, „immediate, *illud μάρτυς ὁ πιστὸς*, teſtis fidelis, & „ἔλουσεν, lavit, *ſed intercedit* mentio primogenitu„ræ, regni, *deinde* charitatis, *ut vel cæco appareat*, „*multa officia atque beneficia Chriſti ad illuſtrandam* „*ipſius dignitatem una conjungi*.„ Atque utinam hanc bonam mentem ſemper retinuiſſet *Grotius*!

Enim-

*major tum noſtra eſſet* attentio, *tum* reverentia. n) *Hujus rei ſymbolum fuit adſperſio illa, cujus mentio ſit apud Moſem; quanquam plus hic habetur, quam Moſis verba exprimant: neque enim librum, ſed populum, fuiſſe adſperſum, narrat.* Etſi clare non poteſt evinci libri adſperſio; probabili tamen conjectura elicitur ex eo, quod dicitur *Moſes* eum protuliſſe in medium, poſtquam ſacrificaverat, idque, ut ſolenni ſtimulatione populum Deo obſtringeret. Hactenus *Calvinus.* Subjungere itidem placet verba *Hermanni Witſii Exercitat. XVI in Symbolum Apoſtolicum §. LXXIII pag. 265:* Vetus Teſtamentum *olim* confirmatum *fuit* ſanguine victimarum, *altari, & libro foederis, & populo Iſraelitico, adſperſo.* Quanto *autem* Veteri Novum præſtat, tanto id nobiliori ſanguine ſanciri par eſt: ſanguine *nimirum* filii Dei ut teſtatoris *ad confirmationem Teſtamenti* morientis, Ebr. IX, 15, 16. *Non quidem, ut morte ſua vacuam faceret hæreditatem, (mox enim revixit, bonorum ſuorum æternus poſſeſſor,) ſed ut promiſſiones Teſtamenti* omni modo faceret *irrevoca-*

Enimvero idem poſtea in Notis ad hunc *Apocalypſeos* locum inſignem egit prævaricatorem, in caſtra *Socini* tranſiens, uti recte *Campegius Vitringa* hunc hominem ἀλλοτριοεπίσκοπον notavit.

n) Indicio ſatis luculento ſunt in primigenia Eccleſia *Sancti Martyres*, qui, *cum tradere nollent Codices ſacros, ut a Paganis comburerentur*, inter graviſſimos cruciatus exclamabant: *Habemus Scripturas Dominicas, ſed in cordibus noſtris conſcriptas.* Vide *Hiſtoriam* noſtram *Bibliorum manualium Cap. IV §. III pag. 46.*

*votabiles.* Quibus *Witſii* verbis audimus etiam hæc verba *Franciſci Turretini;* o) *Omittere non poſſumus illuſtrem, quæ refertur à Moſe, hiſtoriam* Exodi XXIV de Foederis dedicatione variorum ſacrificiorum oblatione peracta; *cujus* myſterium *nobis aperit* Apoſtolus. *In ea enim, ſi uſpiam alibi, expreſſum veritatis, quam quærimus, occurrit documentum. Primo, quod* fœdus *illud* dedicari *debuit* ſanguine, *luculenter docuit, foedus Dei cum creatura peccatrice non poſſe pangi, niſi* interventu ſatisfactionis, *quæ in ſacrificiis illis expiatoriis adumbratur, unde alibi* foedus contraxiſſe *dicitur* ſuper ſacrificiis Pſalmo L, 5, *ut in Abrahamo viſum* Geneſ. XV, 9, *ſed quod umbratice tantum & typice ſanguis animalium præſtabat, hoc vere præſtat* ſanguis Chriſti, *qui eſt fundamentum foederis novi, unde* ſanguis Novi Teſtamenti *dicitur* Lucæ XXII, 20. *Secundo*, adſperſus eſt ſanguis *diverſimode* ſupra altare, populum, Legis librum, & tabernaculum. *Nam, etſi nec de* Legis libro, *nec de tabernaculo, expreſſam mentionem faciat Moſes, ſatis tamen ſubinnuit, cum ait,* altare *fuiſſe* ſanguine adſperſum, *& poſtea* librum aſſumtum, *ſcilicet* ex altari, *cui probabile eſt librum impoſitum fuiſſe, cum fieret* conſperſio, *unde Apoſtolus* ex divina inſpiratione *diſtincte* libri conſperſi *meminit, ut & tabernaculi, analogiæ ſcilicet & conſequentiæ ratione ex* Levit. XVI. *Ita* adſperſio multiplex ſanguinis Chriſti fit in Cruce, Corde, Verbo, & Coelo. *Prima eſt* altaris *coram Deo ad* expia-

o) In *Diſputationibus de Satisfactione Chriſti pag.* 221.

expiationem, *quia iram placavit, & juſtitiæ ſatisfecit.* *Secunda* populi *ad* remiſſionem & ſanctificationem 1 Pet. I, 2, Ebr. IX, 14, *quia in iſto ſanguine pacis noſtræ & juſtitiæ fons & origo eſt*, Epheſ. I, 7, Rom. V, 1, 1 Jo. I, 7. *Tertia* libri Legis *ad* promiſſionem & fœderis confirmationem, *quia in eo, ut Lex eſt impleta, ita promiſſiones omnes fundantur*, 2 Cor. I, 20. *Quarta* tabernaculi *ad* conſecrationem, *quia cultus noſter λογικὸς, qui per tabernaculum & vaſa deſignatur, Deo acceptus eſſe non poteſt*, niſi in virtute ſatisfactionis Chriſti, *in qua & perſonæ & opera noſtra Deo ſunt grata*, 1 Pet. II, 7, *vel quia ſanguine Chriſti via in tabernaculum coeleſte nobis aperta eſt*, Hebr. IX, 23, X, 19. Audivimus adhuc *Turretinum* de *myſterio libri ſanguine victimarum conſperſi* diſſerentem. Cum vero idem de *ſacri adſpergelli myſterio*, cujus tamen hic inprimis habenda erat ratio, taceat prorſus, hic audiamus, neceſſe erat, *Jo. Henr. Majum* in Diſſertatione *de Purificatione mirabiliter ſingulari & ſingulariter mirabili §. VIII: Tanta eſt vis virtusque medica hyſſopi, ut pectus & pulmones expurget, capitisque pituitam extergat, teſte* Levino Lemnio de Herbis Biblicis Cap. 36. *Et ſane, ſi ea hyſſopi efficacia eſt, non ineſſe Deus herbam humilem quidem, ſed tamen maximæ utilitatis adhiberi, voluit ad deſignandum καθαρισμὸν, per Meſſiam in abjecta forma comparentem, præſtandum.* Ejus vero purificationis compotes ii tantum reddebantur, qui intentis fidei oculis Meſſiam per iſtius-

iſtiusmodi figuras veluti per ſpeculum intuebantur. Deus enim per fidem purificat corda.

V. En *myſterium libri ſanguine conſperſi*, quod magis magisque illuſtrant verba *Pauli* in *2 Cor. III, 3: Dum manifeſtum ſit, vos eſſe Epiſtolam Chriſti ſubminiſtratam a nobis, inſcriptam non atramento, ſed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis; ſed in tabulis carneis cordis.* Phraſis eſt apud *Jeremiam Cap. XVII, 1, ſuper tabula cordis eorum*, & in *Proverbiis Cap. III, 3: Scribe ea ſuper tabula cordis tui.* Animus ſane tabulæ inſtar eſt, quia is veritates debet recipere, ſicuti tabula ſcripturam, vel ſculpturam, recipit. Addi igitur debet, *animum fidelis*, quando veritatem recepit, conſiderari ut ἐπιςολὴν, vel tabulam contractus, in qua certæ res conſcriptæ ſunt, quæ teſtimoniis egent. Id, quod Apoſtolus hic exprimit voce ἐπιςολῆς, proprie apud Scriptores Talmudicos eſt אגרת vel גט vel שטר. Pæne enim omnia verba hæc *tabulas* ſignificant, vel *inſtrumenta*, a perſonis publicis inſtructa, in quibus contractus, obligationes, cautiones, conſcribuntur, niſi forte in hoc verſu ἐπιςολὴ paulo ſtrictius ſumta ſit pro eo, quod tabulis inſcriptum eſt, vel pro ipſa ſcriptura illorum inſtrumentorum, quæ כתובה dicitur in *Bava Metzia Cap. I.* Vide *Maimonidem* in libro *Schophetim*, & Codicem *Bava Metzia* & *Bava Batra*, in quibus frequentiſſime tibi illæ denominationes obvenient. Id vero idem eſt, quod Apoſtolus in eo, quem illuſtramus, loco appellavit μαρτύριον, quod hic ſignificat *veritatem teſtibus confirmatam.*

En

Ea veritas, teſtibus confirmata, accepta erat a Corinthiis, unde ab Apoſtolo comparatur cum tabulis, in quibus ſcriptura quædam exſtat teſtibus confirmanda. Vaticinatus hoc fuerat *Jeremias Cap. XXXI, 33: Dabo legem meam in medio ipſorum, & ſuper corde eorum ſcribam eam.* תורה nihil aliud hic eſt, quam *veritas illa*, quam & Chriſtus de ſe & Apoſtoli de Chriſto tenebantur ſuis confirmare teſtimoniis diebus Novi Fœderis, hoc eſt, Chriſtum eſſe τὸ φῶς τοῦ κόσμου. Ea animis inſcribenda erat Fidelium Novi Fœderis, qui inſtar tabularum vel inſtrumentorum hic conſiderantur. Illa vero ſcriptura & ἐπιστολὴ eſt μαρτύριον, quia veritas eſt, vel ſcriptura eſt publica teſtibus confirmata. Hactenus *Campegius Vitringa* in *Exercitatione in difficiliora loca prioris Epiſtolæ Pauli ad Corinthios* §. *IX*; cui alios adde verborum horum *Pauli* interpretes, quos laudavimus in *Hiſtoria* noſtra *Bibliorum, ex Ebræorum diebus feſtis & jejuniis illuſtrata, ſelectiſſimisque obſervationibus adornata*, *Capite III* §. *XIV pag. 49.* Satis de *myſterio libri ſanguine conſperſi*, quod uti *Deum* in antiquo Fœdere habuit *auctorem*, ita nunc nefas erit, ejusdem injuſſu, ſine ullo Chriſti & Apoſtolorum exemplo, *conſimilem quodammodo ritum* in novo Fœdere repetere, hoc eſt *literas ſanguine Chriſti firmare.* Nimirum in ſequioribus Seculis, cum mos eſſet cruce ſubſcribere, ſeu ſignum ſubſcriptionis vice chartis & inſtrumentis apponere, interdum etiam, quo ſolennius ac firmius eſſet pactum, quod ſubſcribebatur, *cruces ipſæ exarabantur*

*tur calamo in pretioſo Chriſti ſanguine intincto*, cujus rei varia exempla exſtant. Videantur omnino *Carolus du Freſne*, p) *Leo Allatius*, q) aliique complures, quos alio loco & tempore citavimus, teſtes. r) Interim inde perſpicimus, *quo longius proceſſum fuit a vero ſacræ Euchariſtiæ uſu*, eo craſſiorem divinarum rerum in ſequioribus Seculis religionem hominum mentes occupaſſe, præſertim cum illius ætatis homines, ut cum *Tertulliano* s) loquantur, *Scripturarum lucifugas* appellare liceat. Quanto ſatius fuerit, hic cum *antiquis Ebræis*, t) itemque S. *Auguſtino*, u) *Scripturam ſacram, ne quid erremus, ſubinde con-*

p) In *Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis* in voce *Crux*.

q) *De Eccleſiæ Occidentalis atque Orientalis perpetua conſenſione*, & quidem in calce horum librorum pag. 1634.

r) In *Hiſtoria* noſtra *Euchariſtiæ infantium Cap. XXVIII pag.* 460.

s) In libro *de Reſurrectione carnis*, indicio noſtri *Martini Chemnitii Parte I Examinis Concilii Tridentini pag. 6.*

t) Teſte *Joanne Hilperto* in *Diſputatione Ebræo-Philoſophica adverſus Judæos ad Pſ. II, 6, 7. §. VIII pag.* 804 *Tomo I Theſauri novi Theologico-Philologici*, quem Viris doctiſſimis, *Theodoro Haſæo* & *Conrado Ikenio*, debemus, veteres Judæi, pro Sacra Scriptura Deo gratias agentes, ſubinde ingeminare ſolent: *Benedictus ſit Deus miſericors, qui dedit nobis Scripturam*, ברוך רחמנא דיהבלן אוריתא

u) *Lib. II contra Donatiſtas Cap. VI*: „Non afferamus „*ſtateras doloſas*, ubi appendamus, quod volumus, „& quomodo volumus pro arbitrio noſtro, di- „centes

*de conſulere.* Ceterum, an Epiſcopi in ſequioribus Seculis ex faſtu quodam Imperatores x) hac ſubſcribendi ratione imitari voluerint, in præſenti diſquirere nolumus. y)

II.

IOANNIS IACOBI BOSII,

S. THEOL. BACC. ET AD D. PETRI CATECH. LIPS.

# MELETEMA EXEGETICUM DE ORNATU SPONSÆ, CONVERSIONIS GENTIUM AD ECCLESIAM N. F. SYMBOLO,

AD ILLUSTRANDUM

Jeſ. XLVIII, com. 18.

## ARGUMENTUM.

§. I. *Utitur Spiritus S. ſæpe in Scripturis ſymbolico dicendi genere.* §. II. *Eccleſia Chriſti ejus* ſponſa *voca-*

„centes: hoc grave, hoc leve eſt; ſed afferamus „*divinam ſtateram de Scripturis ſanctis tanquam* „*de theſauris Dominicis*, & in illa, quid ſit gravius, „appendamus, ſed *a Domino appenſa recognoſca-* „*mus*.

x) Hi enim ſubſcribentes *literis purpureis* utebantur. Vide *Petrum Holmium de Scriptura Cap. IV*, & *Hiſtoriam* noſtram *Bibliorum pictorum.*

y) Confer *Chriſt. Ludov. Schlichterum* in *Comment. Hiſtorico-Theol. qua abuſus quidam Euchariſtici, ex antiquis monumentis bona fide excerpti, illuſtrantur.*

*vocatur.* §. III. *Meditationis diviſio.* §. IV. *Loci Eſaiæ analyſis & ſcopus, qui contra* Grotium *aliosque aſſeritur.* Cyrilli Alexandrini *inſignis locus.* §. V. *Emblema Prophetæ evolvitur.* כלה *quid Ebræis notet;* לבש *quid ſignet;* עדי *quod notet h. l. ornatum in genere contra* Vitringam *aſſeritur.* §. VI. *Sponſarum Ebræarum ornatus ex antiquitate evolvitur.* §. VII. *Sententiæ propheticæ explicatio exegetica.* §. VIII. *De quo tempore, & quibus hominibus, verba Eſaiæ debeant accipi, contra* Vitringam *diſputatur.* §. IX. *Veritas vaticinii jurejurando confirmata.*

## I.

Tanta eſt divinæ benignitatis in genus humanum propenſio, ut intellectum noſtrum, tenebris ignorantiæ, plus quam Cimmeriis natura obfuſcatum, divina illuſtrare luce, omnibus prorſus modis laboraverit. Symbolicum & emblematicum in Scripturis dicendi genus merito ad hoc caput revocamus, quo res ſpirituales ſub certis ſignis & imaginibus nobis proponuntur, & mentibus, terrenis aſſuetis rebus, quæ ſunt Spiritus S., exponuntur. Bene in hanc cauſam ſcribit *Matth. Flacius* a): *Incomprehenſibilia ſunt Dei opera & actiones, neque nos aſſequi aliquid de iis poſſemus, niſi ſacra Scriptura iis uteretur de Deo formulis, quæ rebus humanis propinquæ ſunt. Itaque Spiritui Sancto, Scripturarum auctori, placet, propter captus noſtri imbecillitatem noſtro more balbutire, & blandius humiliusque, quam tantæ majeſtati convenit, nobiscum per ſigna & verba agere.* Ad hæc ſigna & illud merito numeramus, quando Deus eccleſiam ſuam, quam amat atque tuetur, ſub imagine ſponſæ

 nobis

a) *In Clave Script. S. P. II pag. 346.*

nobis ſiſtit, ſpiritualia dona, quibus eam exornare ſolet, ſignificaturus.

II. Eccleſiæ, ſed veræ, ſed genuinæ, in ſacris literis *ſponſæ* nomen ſæpe tribui, neminem dubitare confido, qui modo mecum reputaverit attente vel eos ſacrarum paginarum locos, ubi nominatim eccleſia ſponſæ comparatur, *Cant. IV, 8, 9, 10, 11, 12, & V, 1, 2, Eſ. LXI, 10, LXII, 5,* vel illud cogitare voluerit, quod Deus & Chriſtus ſæpe ſe appellare ſoleat ſponſum, de quibus lege *Oſ. II, 19, 20,* col. *Jer. II, 2, Matth. XXV, 1 ſeq.* Haud parum differt hoc eccleſiæ nomen ab iſto titulo, quando virgo ſæpe compellatur in N. F. libris, ut *2 Cor. II, 2, Apoc. IV, 4,* & alibi, legi poteſt. Atque inde etiam factum olim fuiſſe credo, ut doctores eccleſiæ eodem nomine ſuos cœtus ornarent, quam in ſententiam *Clemens Alexandrinus*, b) Μία δὲ, inquit, *μόνη γίνεται μήτηρ παρθένος.* Εκκλησίαν ἐμοὶ φίλον αὐτὴν καλεῖν· *Una autem eſt ſola mater virgo, mihi vero placet, eam vocare eccleſiam;* & alio in loco, quando rationem reddit, cur Chriſtus non uxorem duxerit, ἐκ ἴσασιν τὴν αἰτίαν τȣ̃ μὴ γῆμαι τὸν κύριον, πρῶτον μὲν γὰρ τὴν ἰδίαν νύμφην εἶχεν, τὴν ἐκκλησίαν, κ. τ. λ. *Neſciunt cauſam, cur Dominus uxorem non duxerit. Primo ſuam ſponſam habuit eccleſiam &c.* c) Legi de hac ipſa re commode poterit *Euſebius*, d) quando memorat, *Hegeſippum*, Epiſcopum, eccleſiam Corinthiacam vocaſſe virginem, quia vanis ſermo-

b) *Pædagog. Lib. I pag. 103 B. edit. Col.*
c) *Stromat. Lib. III pag. 446 D.*
d) *Hiſt. Eccleſ. Lib. IV Cap. 22 pag. 115 Amſtel. edit.*

ſermonibus nondum fuerat corrupta. Quod uberius egregie explicavit *Jo. Andr. Schmidius* in erudita *de Eccleſia virgine* Diſſertatione, Helmſtadii A. 1697 emiſſa. In cauſas ſi inquirimus, cur Eccleſia nomine ſponſæ in Scriptura veniat, variæ quidem, eæque prægnantes, poſſent afferri, & elegantes hujus ſymboli reddi rationes, niſi nobis hac in re jam otium feciſſet laudatus *Schmidius d. l.* & *Jo. Gerhardus* e), ad quos illos remittimus, qui plenius hoc examinare volunt. Varia autem ſunt, quæ in ſponſa ſpectari poſſunt, & eccleſiæ vel ſtatum, vel rationes, depingunt, omnium tamen maxime ornamenta ſponſæ in die nuptiarum ſymbolum ſtatus eccleſiæ eſſe voluit *Eſaias*, quando de converſione gentium ad eccleſiam N. F. vaticinatur, & hac ipſa imagine mentes triſtes & calamitatibus obrutas ad ſpem & lætitiam erigit.

III. Verba Prophetæ, quæ paucis ſumus illuſtraturi, occurrunt *Cap. XLIX, v. 18*, & ita ſeſe habent: שְׂאִי סָבִיב עֵינַיִךְ וּרְאִי כֻּלָּם נִקְבְּצוּ בָאוּ־לָךְ חַי־אָנִי נְאֻם־יְהוָה כִּי כֻלָּם כַּעֲדִי תִלְבָּשִׁי וּתְקַשְּׁרִים כַּכַּלָּה׃ *Tolle circumcirca oculos tuos, & vide, omnes congregantur & veniunt ad te, vivus ego, dictum Jovæ, quod omnes ſicut ornatum indutura ſis, & circumligatura eos ſicut ſponſa.* Duplex, ſi *Vitringam* f) audiamus, in his verbis deprehenditur ſymbolum, alterum ad communitatem, ſeu civitatem, ſpectans, alterum ad ſponſæ ornatum. Nos in præſenti poſterius potiſſimum conſiderabimus emblema, & paucis Prophetæ



e) *Loc. Theol. Tom. V pag. 385.*
f) In *Commentar. ad h. l. Tom. II pag. 591 edit. Baſil.*

phetæ mentem explanabimus; quo in negotio ita verſari natura rei jubet, ut, præmiſſo ſcopo Prophetæ, ſponſæ ornatum, a quo Propheta ſymbolum deſumit, initio meditemur, deinde, qua ratione per hunc converſio gentium ad eccleſiam N. F. depingatur, perſpicue doceamus.

IV. Loquitur in hac pericopa quidem Propheta, ſed non ſuo nomine, quod totum argumentum ſatis ſuperque evincere poteſt, nec nomine redemtoris cujusdam hominis, quod nonnulli ex Pontificiis, teſte *Lirano ad h. l.*, ſomniarunt, ſed nomine Dei, cui ſoli conveniunt ea, quæ hoc in *Capite* legimus. Opportune tamen in mentem nobis hoc in loco revocamus regulam Hermenevticæ ſacræ eruditam, qua ſtudioſe inveſtigare jubemur, mutationem perſonarum in ſacris & quæ ex divinis potiſſimum ſermonem habeat. Ex toto hoc *Capite Eſaiæ* & iſta regula lucem accipit, ſiquidem & ſermonem Meſſiæ agnoſcimus a *v. 1* ad *6*, et verba Dei patris loquentis ad filium, & totum corpus myſticum, ſeu eccleſiam, *v. 7 ſeq.* quod pie & omni, qua decet, animi attentione meditantem, ipſa prædicata facile edocebunt. Ita vero orationem ſuam inſtruxit Deus Pater, ut *α*) Meſſiam alloquens, fructum officii mediatorii dilucide exponat, qui *partim* ad ipſum ſpectat ſalutis auctorem, Chriſtum, *v. 8*, *partim* ad populum, ad quem totum opus redemtionis pertinebat, a *v. 9* ad *12*, quibus ſubjungitur ἐπιφώνημα ad cantum & omne gaudiorum genus, *v. 13*; *β*) ad populum ſe flectens oratio varia dubia & objectiones ſolvat, quæ ſpei datæ videbantur eſſe contrariæ. Una ex his occurrit *v. 14* obje-

objectio, quam deſumit eccleſia N. F., quæ hoc in loco ita queritur, ab auxilio divino ſibi denegato, ut videtur. A parvis enim in N.F. profecta eſt eccleſia initiis. Summus tamen Deus eam erigit *v. 15* 1) argumento a ſua miſericordia deſumto, 2) a perpetua memoria eccleſiæ *v. 16* & *17* 3) a beneficiis futuris, quæ ipſi deſtinaverit, quæ prima eſt converſio gentium tempore N. F. *v. 18*, quem illuſtrandum nobis ſumſimus. Habes hic noſtri loci analyſin & nexum cum iis, quæ præcedunt, quæ ſi cum *Vitringa* & *Salom. van Till* g) conferre volueris, nos ab illis nonnihil decedere animadvertes. Omnia tamen hæc bene & attente in exegeſi hujus loci debere conſiderari, propterea monemus, ne in devia abducamur, id quod eveniſſe videmus *Hugoni Grotio* h), qui varie in hoc loco explicando eſt lapſus. Initio enim ille tribuit orationem hujus *Capitis Eſaiæ*, Prophetæ; &, quod caput eſt, illum de ſua loqui perſona, contendit, qua in re ex Judæis nonnullos ſequitur; alii enim, ut notat *Calvinus*, hæc verba de Chriſto accipiunt, qui veritatem hujus rei non in dubium vocare poſſunt. Bene & docte contra *Grotium* tribus & decem argumentis idem evicit ſuo more, hoc eſt, ſolidiſſime, B. *Calovius*, i) &, omnia de Meſſia debere intelligi, egregie docet. Pauci ſunt, qui cum *Grotio* faciunt, pleroſque evidentia rei commovit, ut Meſſiam veneratione hoc in loco exciperent, ſi



g) In *Opere analyt. Tom. II pag. 148.*
h) Vid. ejus *Commentar.* in *h. l.* in *Crit. Angl. Tom. II pag. 2841.*
i) *Bibl. illuſtr. Tom. II V. T. pag. 218.*

*Munſterum*, *Vatablum*, *Caſtalionem*, *Clarium*, *Forerium*, aliosque, quorum ſententiæ in *Criticis Anglicanis* legi poſſunt, nominavero, ſatis habuero. Ex multis tamen audire placet *Camp. Vitringam.* k) *Spiritus Dei*, inquit, *excitat Prophetam, ut vocationem gentium ſub regno Meſſiæ futuram, cum repudio majoris partis populi Judæi, de qua gentium vocatione jam in ſuperioribus varia occaſione vaticinatus fuerat, planius, diſertius, explicatius, deſcribat & prænuntiet cum veris piis cauſis, mediis, ſucceſſu, effectis, conſequentibus. Quæ conciones cum ab hac noſtra exordium ſumant, producitur hic ipſe filius Dei jam manifeſtus factus in carne, oratione ad gentes directe converſa, eas docturus, ſe a patre ſuo æterno conſilio ordinatum, & ab utero ſanctificatum, atque in tempore vocatum eſſe ad magnum illud & glorioſum opus converſionis gentium, ad verum & vivum Deum efficiendum, quippe deſtinatum illis illuminandis & ſalvandis, dum major populi Judaici Jacobitarum ſalutem ſuam ipſi oblatam aſpernarentur.* Satis grave, ni fallor, argumentum pro hac eſt ſententia, quod ex *Act. XIII*, 47, petitur, ubi *Paulus*, gentium Apoſtolus, ea, quæ in hoc Capite occurrunt, Spiritu S. actus, de Chriſto & paganorum vocatione luculenter exponit: ὄυτω γὰρ inquit, ἐντέταλταί ἡμῖν ὁ κύριος· Τέθεικά σε ἐις φῶς ἐθνῶν, τȣ͂ ἐιναί σε ἐις σωτηρίαν ἕως ἐσχάτȣ τῆς γῆς. l). Facile itaque ex his apparet, in tota hac

k) Ad *h. l. Tom. II pag.* 559.

l) Legi hic poteſt *Surenbuſius* in *libro* καταλλαγῆς *pag.* 429, ubi etiam oſtendit, quomodo Apoſtolus hæc verba ad præconium Evangelii ſui transferat.

hac pericopa de Chriſto, ſervatore hominum, ſermonem eſſe, ejusque eccleſiæ N. F. tanta bona promitti, quorum maximum eſt converſio gentium ad veram eccleſiam. In eo meam ſententiam a reliquis interpretibus nonnihil diſſidere ſentio, ſi eſt diſſidium, quod plerique etiam in noſtris verbis Meſſiam loquentem agnoſcant, cum tamen malim hæc verba Deo patri tribuere. Non negaverim, quod ambabus largior manibus, a *v. 1* usque ad *6* Meſſiam ſermonem inſtituere, quemadmodum ex iis, quæ ſupra dixi, ſatis liquet, quod præterea omnia prædicata & totius orationis ſeries dilucide demonſtrant. At vero mutatam perſonam loquentem agnoſco a *com. 7*, quæ melius, ſi quid mei eſt judicii, patri tribui poſſit, quod mihi non ſolum verba & prædicata *v. 7* & *8* perſuadent, ſed etiam eo argumento, ut credam, moveor, quod in omnibus reliquis nihil deprehendo verbis, quod meæ non faveat ſententiæ. Conferatur noſtra ſupra adducta analyſis. Ceterum nemini ex jam diſputatis obſcurum eſſe poteſt, quis per Sionem *v. 14* intelligatur, minime ſcilicet urbs Hieroſolyma, ut *Grotius* iterum exiſtimat, cum *Chaldæo* faciens, qui hæc reddit זקופי ירושלם וג״, ſed cum plerisque eccleſiæ afflictionem ſuſtinens, quam Deus ſolatio erigere cupit. Errorem etiam non levem committit in eo *Grotius*, quod illa, quæ ſequuntur, de Sione corporali, & denuo ædificandis Hieroſolymis, explicet, quomodo omnes iſti, per terras Aſſyriorum, Medorum, Babyloniorum, & Perſarum, diſperſi, iterum ſint congregandi

di, qua in re bene notatus eſt a B. *Calovio.* m) *Grotio*, ni fallor, aliqua ex parte præluſiſſe videtur *Theodoretus*, n) quando, Διδάσκει, inquit, ὅτι πάλιν τὸν οἰκεῖον ἀπολήψεται κόσμον. κοσμοῦσι δὲ πόλιν οἱ ἐνοικοῦντες. *Oſtendit illam ſuum ornatum recuperaturam. Ornant autem civitatem incolæ.* Qui vero attente omnia conſideraverit, longius & ad tempora N. F. reſpicere Prophetam, animadvertet, & ſolatii materiam ſuppeditare afflictæ eccleſiæ atque mœſtiſſimæ, quam attollere jubet oculos, & videre venientes multos ex gentibus ad ſe quondam deſolatam. Non dubitamus tamen, o) alluſiſſe Prophetam ad prædictam in aliis vaticiniis liberationem e captivitate, & reædificationem Sionis, quod plerique agnoſcunt Interpretes, & a veteribus quoque obſervatum, *Hieronymo* in primis ac *Cyrillo Alexandrino*, quia verba Prophetæ id inferunt; quod vero ita intellectum volumus, ut ſalvus maneat literalis ſenſus unicus de Sione ſpirituali, quem genuinum hic eſſe, hactenus oſtendimus, cui iſtud *v. 16, ecce in manibus meis deſcripſi te*, convenit, non æque Sioni terrenæ. *Cyrilli Alexandrini* verba digna ſunt, quæ legantur, & accurate conſiderentur, ex quibus ſimul apparebit, meliora eum dicere, quam quæ nobis memoravit *Grotius*. Hunc vero in modum *Cyrillus* diſſerit: p) Τί οὖν,

ἐν τῷ-

m) *cit. loc. pag. 224.*

n) In *Eſ. Cap. XLIX pag. 113 Tom. II edit. Pariſ. Jac. Sirmondi.*

o) Verba legis noſtri *Calovii Bibl. illuſt. pag. 225.* Junge his *Vitringam pag. 591.*

p) In *Comment. ad Eſaiam Lib. IV Orat. IV pag. 677 Tom. II edit. Io. Auberti Lutet. 1638.*

ἐν τούτοις ὁ θεῖος ὑπισχνεῖται λόγος; κλῆσιν καὶ συγκομιδὴν τῶν κατεσκευασμένων, καὶ τὴν ἐν πνεύματι τῶν ἀπολωλότων ἐπιστροφὴν, καὶ τὴν τῶν δραπετευσάντων ἐπάνοδον, ἐπιστροφήν τε, καὶ ἐγρηγόρησιν, καὶ τῆς εἰς Χριστὸν ἀγάπης τὰ γέρα. Περίβλεψαι γάρ, φησι, καὶ ἄθρει τοὺς ἅπαντας. ἰδοὺ συνήχθησαν πρός σε. ἵνα δὲ πίστιν ἀποφανῇ τὴν ὑπόσχεσιν, ὅρκῳ βεβαιοῖ τὸ ῥηθὲν, καί φησι, ζῶ ἐγὼ, λέγει κύριος, ὅτι πάντας αὐτοὺς ἐνδύσῃ εἰς κόσμον νύμφης. Κόσμημα γὰρ ἐκκλησιῶν τὸ σύστημα, διὰ γάρ τοι τοῦτο τὴν ἐκκλησίαν ἱματισμῷ διαχρύσῳ καὶ πεποικιλμένῳ κατακοσμεῖν ἔθος τῇ θεοπνεύστῳ γραφῇ, ὃν περ γὰρ αἱ πολυειδεῖς, καὶ πολυτελέστατοι τῶν λίθων, φημὶ δὴ τῶν Ινδικῶν, χρυσοῖς κανόσιν ἐνισχημέναι θαυμαστόν τι, καὶ ἀξιοθέατον ἐπιτελοῦσιν κόσμημα· οὕτω καὶ αἱ τῶν ἁγίων ψυχαὶ τοῖς ἀρετῶν αὐχήμασιν ἐξωραϊσμέναι, φαιδρὸν ἀποστίλβουσιν κάλλος τοῖς ἐξ τῆς θεότητος ὀφθαλμοῖς. ὥς τε καὶ ἕκαστον εὐχαριστοῦντα τῷ χριστῷ λέγειν, ἀγγαλλιάσθω ἡ ψυχή μου ἐπι τῷ κυρίῳ κ. τ. λ. *Quid igitur hiſce verbis divina promittit oratio? Vocationem & collectionem eorum, qui diſſipati ſunt, & reverſionem in ſpiritu eorum, qui perierunt, & reditum eorum, qui fugerunt, & reverſionem, & expergefactionem, & amoris in Chriſtum præmia. Circumſpice namque, inquit, & ſpecta, omnes ecce congregati ſunt ad te. Ut autem firmam ratamque promiſſionem faciat jurejurando, quod dictum eſt, confirmat, & inquit: Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus eis induam te, velut ornatu ſponſæ. Namque eccleſiarum ornamentum eſt multitudo*

*aggre-*

*aggregata. Nam ideo ſolet divinitus inſpirata ſcriptura eccleſiam veſtitu aureo & variegato exornare. Quemadmodum enim variæ & pretioſiſſimæ lapidum, Indicorum inquam, ſpecies aureis tegulis inhæreſcentes, admirabile quoddam & ſpectabile ornamentum adjungunt; ita quoque ſanctorum animæ, virtutum inſignibus decoratæ, ſplendidiſſima pulcritudine fulgent, divinitatis oculis, ita, ut quisque gratias agat Chriſto, & dicat: Exultet anima mea in Domino &c.*

V. Satis ex diſputatis de ſcopo & mente Prophetæ convicti, propius ad emblema ejus evolvendum progredimur. Eccleſiam, ad quam gentes in N. F. erant convertendi, cum ſponſa comparat, eaque ornata atque veſtita, gentes cum ſponſæ ornatu, תקשרים ככלה. Ebræis כלה dicitur ſponſa, cujus denominationis duplicem maxime rationem reddere ſolent Philologi. Omnes fere a radice כלל deducunt hanc vocem, quæ *abſolvere, perficere*, notat, hancque ita dici vel propterea volunt, quod priorem vitæ ſtatum, ſive virginitatis, ſive viduitatis, tunc, dum ſponſa fit, perficiat & abſolvat, vel a perfecto ornatu rationem deducunt, quia tunc omnia ſua ornamenta, quæ habet, producit, ut perfecte ornata appareat. q) In quam ſententiam etiam *Kimchius* r) aſſerit: כי האישה בימי חופתה כל יפיה וכל תכשיטיה אזהם:

q) Vid. *Buxtorfius* in *Lex. Talmud. Chald. Avenarius, Schindlerus rad.* כלל, quibus adde *Robertſonum* in *Theſ. ling. ſanct. pag.* 408.

r) In ספר שרשים *pag.* 325. Add. *Gaſſetius* in *Comment. ling. Ebr. pag.* 385.

אודם; Quamvis vero non negaverim, etiam in ſacris literis nurum dici כלה, quo ſenſu lege *Gen.* *XI, 31, XXXVIII, 24, Oſ. IV, 13, Ruth. I, 6 ſeq.* & alibi ſæpe, in quibus locis *οἱ* LXX vocem *νύμφη* adhibent; facile tamen apparet, in noſtro loco a Propheta ſponſam ſpectari, quæ in die nuptiali veſtibus & aliis pretioſis rebus eſt exornata. Clarius hoc apparet ex reliquis verbis Prophetæ, quando non ſolum verbum לבש adhibet, ſed etiam עדי ornatus & circumligationis in voce קשר mentionem facit, quæ omnia ad mundum muliebrem ſpectant. Namque, ut rem totam paucis complectar, לבש ſemper fere, & in omnibus derivatis, *induendi* notionem retinet, id quod in vulgus notum eſt, atque, ſi B. *Caſpari Neumanno* credimus, illud deſignat, quod maxime & efficaciſſime verſus intima vel interiorem capedinem verſum eſt. s) Ornatus ſponſæ voce עדי indicatur, quæ, quamvis alias in ſanctis literis os rictumve tum hominis, tum bruti animalis, deſignet, t) noſtro tamen in loco, ut ſæpius, u) ornatum notare, haud eſſe obſcurum exiſtimo, præſertim cum fontem agnoſcat עדה, quæ *ornatus* notionem haud raro admittit. Sed de eo dubitatio nobis poſſet oriri, num hæc vox עדי ornatum in genere *b. l.*, aut certam ejus ſpeciem, exprimat. *Vitringæ* ad *h. l.* placet poſterius, qui, non tam alludi hac voce, credit,

s) In *Exod. L. S. ad charact.* אל *pag. 51*, & *ad* בל *pag. 166.*

t) In reſpectu ad edendi vel mordendi actum, e. g. *Pſ. CIII, 5, XXXII, 9.* Vid. *Guſſetius d. l. pag. 580.*

u) v. g. *Ezech. XVI, 11.* *Guſſetius tranſeundi* ſignificationem plane expungit, ut ſola *ornandi* remaneat.

dit, ad pallam ſive pallium, amiculum muliebre, quod fœminæ in oriente ornatus omnis ad luxuriam usque ſtudioſæ, ex pretioſiſſima materia contextum, ornamenti loco habebant, ſed potius intelligi monilia & armillas manuum ac pedum. At, cum ſtatim ſubjiciat, hanc vocem ex etymo notare omne, quod corpori externe admovetur, nec illud, noſtro quidem judicio, rem conficiat, notionem עד, unde forte reliqua themata ducenda ſunt, idem valere, quod Latinis *ad*, nos non erraturos confidimus, ſi aſſeramus, hanc vocem in genere quodvis ornamentum ſiſtere, præſertim cum illud non inauditum ſit alibi. Lege hoc ſenſu *Exod. XXXIII, 5 ſeq.* *2 Sam. I, 24, Job. XL, 10, (al. 5,)* & ad hunc *Albertum Schultens*, cujus non ſpernenda eſt obſervatio, עדה notare amictum & apparatum ſplendidiorem, in publicum cum pompa ſolenni procedentis. x) Speciatim Propheta ornatum ſponſæ indicat per vocem קשר, quod *arctius copulandi, ligandi, colligandi*, notionem admittit *Devt. VI, 8, Proverb. VII, 21, VI, 3* quanquam & alias *conſpirare* ſignet *2 Reg. X, 9, XV, 15 ſeq. Amos VII, 10*, & alibi. Inter virginum ornamenta קשרים *redimicula* recenſentur *Jeſ. III, 20*, de quibus etiam noſtro in loco cogitavit *Vitringa*, quæ alligamenta & vittæ capitis ſunt. Bene R. *Kimchi* y) hanc vocem explicat: רוצה למאר על החליים והענקים שקושרת האישה בראשה או בגרגרותיה: Cum itaque Propheta his in verbis nobis ſponſam vehementer ornatam ſiſtat, maxime

x) In *Commentar. in Jobum pag 1143.*
y) *cit. loc. pag. 468.*

xime probabile quidem videtur, priori denominatione omnem ornatum, qualiscunque demum ſit, poſteriori ſpeciem ornatus, capitis ornamentum, tanquam præcipuæ partis corporis, intelligere.

VI. Antiquis temporibus, & maxime apud Ebræos, in uſu fuiſſe, ſponſas, inprimis eo die, quo nuptiæ celebrantur, maximo & pleniſſimo ornatu induere, antiquitatum conditores ſatis ſuperque confirmant, perſuadent nobis certe variis Scripturæ locis. Sponſi ornatus in die nuptiali conſtat ex *Pſ. XLV, 10, Cant. III, 11, Eſ. LXI, 10*, & ex *Pſ. XIX, 6*; ſponſæ ornatus haud obſcure colligitur ex *Pſalm. XLV, 10, 15, Eſ. LXI, 10, Jer. II, 32, Apoc. XIX, 7, 8, XXI, 2*. Certe, ſi ornatum filiarum Sionis, cujus *Eſaias Cap. III* amplam facit mentionem, conſideramus, inde facile poſſumus intelligere, ſponſas Ebræorum vehementer olim ornatas fuiſſe. z) Speciatim de ornatu ſponſarum multa ex antiquitate Ebræa adducere ſolent harum rerum conditores. Enarrant vel pretioſiſſimas earum veſtes, quibus quondam fulgebant, omniumque oculos in ſe convertebant, ut vel ex *Eſ. XXI, 10, Jer. II, 32, Apoc. XXI, 2*, & inprimis *Pſ. XLV, 9, 10*, abunde intelligitur. a) De ſponſis Ebræorum ſcribitur in

*Gema-*

z) Pleniſſime de toto hoc ornatu virginum diſſerit cel. *Vitringa* ad *h. l.*

a) Vid. *Corn. Adami Obſervat. Phil. Theol. pag. 159.* Opportune obſervat *Petr. Keuchenius* in *Annotatis* ſuis ad *Matth. VI, 29 pag. 41 ſeq.* quod vox δόξα apud Græcos ſcriptores, inprimis LXX, de egregio veſtium ornatu uſurpetur.

*Gemara Hieroſolym.* b) אילו הן חוצות התנים סדינים מציירין ולהדונו זהב הלוין בהם׃ *Velamina ſponſis ſunt ſindones acu pictæ, quibus appendantur monilia aurea.* Deus ipſe eccleſiam, ſuam ſponſam, armillis & torque ornaſſe dicitur *Ezech. XVI, 11*, ubi totus ornatus ſponſæ, niſi fallor, ſatis eleganter deſcribitur. Add. *Cant. I, 10, 11.* Vel coronis ornatæ die nuptiali dicuntur ſponſæ apud Ebræos, quæ vocabantur עיר של זהב, *civitas aurea*, quia hac forma ex auro corona erat conſtructa, cujus imaginem repræſentatam deprehendes a Cel. *Wagenſeilio.* c) Taceo in præſenti, quæ auctores Ebræorum rituum de velata ſponſa memorant, d) & de reliqua pompa & ſplendore ſponſæ in die nuptiali, ex quibus ornatus ejus facile animadverti poterit. Unum tantum in præſenti addo, quod curam Ebræorum in exornandis ſponſis nobis poterit perſuadere, quando in præparatione plerumque duodecim menſes conſumſerint. Legimus in libro *Cetuboth*: e) נותנין לבתולה שנים עשר חדש משתבעה הבעל לפרנס את עצמה׃ *Concedunt virgini duo-*

b) Apud *Seldenum de Uxore Ebr. Lib. II Cap. 16 pag. 197.*

c) In *Comment. ad Sota Tom. III pag. 260* Miſchnæ *Surenbuſii*, ad quem locum Commentatores etiam alias coronas ſponſarum adducunt. Vid. *Sota Cap. IX §. 14 pag. 304 ſeq.* Lege etiam *Seldenum* in *Uxore Ebr. Lib. II Cap. 16 ſeq.*

d) Lege *Seldenum d. l. Jo. Bened. Carpzovium* Diſſ. de *Chuppa Ebræorum pag. 390 ſq. Diſſ. Acad.* & *Sam. Frid. Buchert* Diſſ. *de Occulta Ebræorum ſponſa*, & ſe alios.

e) *Cap. V §. 2 pag. 72 edit. Surenbuſ. Tom. III.*

*duodecim menſes ab eo tempore, quo eam requiſiverit maritus, ad parandam ſe ipſam.*

VII. Symbolum hactenus conſideravimus Prophetæ, reliquum eſt, ut paucis depingamus, qua ratione per hoc deſignetur converſio gentium tempore N. F. Notiſſimum eſſe confidimus, diem ſponſaliorum ſæpe in Scriptura pro ſummo & maximo gaudio ſumi, quem in modum יום התנה exponitur per יום שמחת לב *Cant. III, 11;* f) idemque judicari poteſt ex *Jeſ. LXII, 5,* & illis locis, ubi, vocem ſponſi & ſponſæ ſe ablaturum eſſe, Deus minatur, id eſt, omne gaudium atque lætitiam, quod legitur *Jer. VIII, 34, XVI, 9, XXV, 10, Apoc. XVIII, 23,* quemadmodum e contrario vox ſponſi & ſponſæ audiri dicitur in civitate, in qua omnia lætitia reſonant, *Jer. XXXIII, 11.* Quo enim in loco nuptiæ celebrantur, nullus triſtitiæ relinquitur locus, ſed omnes ſuo indulgent genio, lætitiæque edunt ſigna. Atque hæc ſine dubio eſt cauſa, cur Syrus *Matth. XXV, 10,* verba ἐις τȣ̀ς γάμȣς per ܠܒܝܬ ܡܫܬܘܬܐ reddiderit. Sponſa in diebus nuptiarum inſignem ſplendorem atque decus ſuo ornatu veſtibusque pretioſis conciliare ſibi ſolet, ut omnium ad ſe oculos rapiat, & attentionem hominum excitet. Nemini propterea mirum videri debet, quod ſub hoc emblemate nobis Spiritus S. gentium converſionem ad eccleſiam ſiſtat. Duplex,

f) Quem locum egregie explicatum lege in Cel. *Sal. Deylingii Obſerv. S. P. III Cap. 16 pag. 120 ſeq.*

plex, ni fallor, ſubeſt cauſa, cur ornatum ſponſæ externum ad rem ſpiritualem deſignandam hoc in loco applicet. Initio enim gloriam & ſplendorem eccleſiæ per hanc imaginem nobis commemorat, quod hæc congregatio gentium ad veram eccleſiam omnes gentes in tantam admirationem rapiat, ut acceſſum tam amplum ſint miraturæ. Deinde conjunctionem arctiſſimam indicat iſtorum hominum cum membris Chriſtianæ gentis, quemadmodum veſtibus, quas induimus, intime unimur. Huc ſpectat potiſſimum vox קשר, quæ *alligandi* & *conſtringendi* notionem habet, quod ſupra docui §. V. Namque hac ratione ſacris ſcriptoribus *pudorem induere* eſt *ignominia prorſus operiri* *Pſ. XXXV, 26, CIX, 29, induere gloriam* eſt *eam prorſus poſſidere, inſtar veſtis ſemper præſentem habere, Pſ. CIV, 2*, & ſic porro. Addi tandem etiam his commode poterit, hoc ſymbolo perpetuam quoque & conſtantem communionem gentium converſarum cum vera eccleſia ſpectari. Commode hoc exponit B. *Seb. Schmidius*, g) & inprimis eleganter congregationem gentium ad veram eccleſiam his verbis doceri ait, quod honorifica ſit futura eccleſiæ, & conſtanter illas gentes eccleſiæ eſſe adhæſuras, ſicut ornamentum alligatum. Paucis ut rem comprehendamus, & ſenſum Prophetæ attingamus, hunc in modum Propheta ſuas rationes collegiſſe videtur. Quemadmodum ſponſa variis ornamentis & mundo muliebri, inprimis capitis decore in die nuptiali, qui-

bus

g) In *Commentar. ad Eſaiam pag. 438 ſeq.*

bus ſibi ſplendorem non minimum conciliare ſolet, ſe induere ſolet; ita etiam ampliſſima congregata multitudo, ad eccleſiam N. F. accedens, & ſeſe cum illa intime uniens, ſplendorem & gloriam ei conciliabit maximam.

VIII. Quodſi ex illis, quæ hactenus diſputavimus, ſatis apparet, converſionem gentilium a Propheta prædici, & eccleſiam querentem hoc inſigni populorum acceſſu erigi; non immerito ſumus ſolliciti, de quo tempore, & quibus hominibus, hæc capi debeant. *Vitringam*, quem jam ſæpe laudavimus, ſi hac in re conſulimus, figere is nos jubet totius hujus prophetiæ ſcenam in initiis Novi Fœderis, & quidem aliqua latitudine pro diverſis concionis partibus, h) initium tamen hujus ſcenæ fieri debere monet in illo tempore, quo Apoſtoli & miniſtri Chriſti ſe ex mandato divino converterant ad gentes, ut eas invitarent ad communionem Jeſu Chriſti. Quod ad noſtram pericopam in ſpecie attinet, tempus hujus prophetiæ ad primos annos imperii *Trajani* refert. i) Per ornatum vero myſtice ſignificari putat homines doctos, literatos, Philoſophos, Rhetores, inter ipſos paganos in magna dignatione verſatos, qui religionem Chriſtianam explicarent & ſcriptis, & apologiis ſuis defenderent, & per gratiam Dei eccleſiæ converſæ magnum decus adderent, inter quos *Juſtinus Martyr*, *Athena-*



h) *cit. loc. pag.* 500.
i) *ibid. pag.* 586, & in *Obſervat. ſacr. Lib. IV Cap.* 7 & 8.

*goras*, *Clemens*, *Tertullianus*, *Minutius Felix*, *Cyprianus*, & hiſce ſimiles multi. k) Nos, quamvis nobis non tantum ſumamus, ut de tali viro judicium nos ferre poſſe credamus, illud tamen fatemur, per hanc *Vitringæ* exegeſin promiſſionem tam amplam Prophetæ evangelicam nimis arctis limitibus includi. Illud fatemur, quod nemo negat, tempora N. F. intelligi, at, num ſola tempora indicata, & an non potius converſio gentium maxime notabilis, diverſis temporibus in N. F. facta, & acceſſus ex variis gentibus & populis, quod Prophetæ textus innuere videtur, hoc in loco ſit admittenda, de eo dubium moveri poſſet. Nos ultimum hoc defendimus, & ſententiæ Prophetæ convenientiſſimum eſſe exiſtimamus, naturam prophetiarum V. F. inprimis urgentes, quæ in ejusmodi promiſſionibus evangelicis non limitibus quibusdam circumſcribi poſſunt, ſed in tota ſua amplitudine intelligi omnino debent. Splendorem quoque & gloriam eccleſiæ, ornatu ſponſæ præfiguratam, nos non quærere jubet Propheta in magnis luminibus & viris, qui ſcriptis illuſtrarent, aut ſua facundia defenderent, Chriſtianum cœtum, ſed in acceſſu & inſigni incremento multorum ad veram fidem, quibus hæc congregatio fidelium reddenda erat illuſtrior.

X. Veritatem hujus vaticinii tandem Deus O. M. confirmat, quando addit חַי אֲנִי נְאֻם־יְהוָה, quæ loquendi ratio non infrequens eſt apud Prophetas. Malim ego illud propheticum נאם aſſon-

k) *pag. 591.*

a fonte אמן deducere, a quo hoc participium Paul per metatheſin etymologicam formatum eſt, quam cum nonnullis Auctoribus radicem נאם fingere præter omnem neceſſitatem, quod etiam *Buxtorfius* innuere mihi quidem videtur rad. נאם. Hæc vera eſt illa vox, quæ Sionem querentem & triſtem maxime erigere atque confirmare poterat, quæ propter calamitatem & numerum piorum valde exiguum in antecedentibus querelas moverat. Deus majores cum non agnoſcat, (*Ebr. VI, 13,*) rem certiſſime futuram, ſua confirmare ſolet in Scripturis vita, de qua nemo, qui modo Deum agnoſcit, dubitare poteſt; & propterea promiſſionem, hoc jurejurando confirmatam, ſuo tempore ſine omni dubio eventuram, planiſſime credat, oportet. Nec tantum his verbis certitudinem hujus rei teſtatam facit Jova eccleſiæ, verum etiam ſuam ſeriam voluntatem indicat, πληροφορίας ἕνεκα, quemadmodum bene monet *Vitringa*. Nos hodie quoque divinam celebramus gratiam, quæ nos, quondam gentiles & veri Dei cultus ignaros, ad ſuam eccleſiam, ſpiritualem ſponſam, ita congregavit, ut ornatus illius partem conficiamus, ſimulque Deum O. M. precibus veneramur, quo, nos in multa adhuc Secula hujus ornatus partem eſſe, benevole largiatur.

---

# III.
# IOANNIS CHRISTOPHORI HARENBERGII DISSERTATIO,
## QVA, HOMINEM, A DEO CREATUM, ESSE AD IMAGINEM DEI CONDITUM, ET EA MAXIMAM PARTEM PER LIBERTATIS ABUSUM HOMINES CARERE, EX LUMINE RATIONIS OSTENDITUR.

I.

Solent homines de malo morali, quo ſeſe obſeptos cinctosque intelligunt, ſæpius conqueri, ac illud vel in Deum, vel in principium quoddam malum, vel denique in indolem ſuam finitam, ratione originis conjicere. Viri, a genuina religione averſi, ſæpiſſime in errorum barathra & vortices ſeſe præcipitarunt, dum rationem eam exponere ſtuduerunt, in qua origo mali continetur. Sunt Philoſophi, qui, ut malum concilient cum divina mundi gubernatione, Deo detrahant infinitam ſcientiam, ac, eam ei ineſſe, negant, præſcientiam, qua eventus futuri, a mera hominis libertate pendentes, præſciri & antea cognoſci posſunt. Eſt, qui ſpiritum haud creatum, mali autorem, a Deo prorſus diverſum, ac huic obnitentem, denuo in ſcenam produxit, ut is eventus, in orbe terra-

terrarum fieri ſolitos, poſſit exponere. Infinitum Deo eſſe intellectum, omniſcientiam, ſapientiam infinitam, perfectionesque limitibus expertes, ſtrenue idem inficiatur. Horremus incruſtatum hunc Manichæiſmum merito, ac eapropter ex ipſo rationis lumine, in medium adſcito, oſtendere nobis lubet, non ſolum ineſſe Deo præſcientiam quorumcunque eventuum, ſed hominem etiam, primum, ad imaginem Dei eſſe conditum, malumque morale illum hominem ſibi ſua ſponte contraxiſſe, ac in poſteros tranſtuliſſe, dum libertate ſua ita abuſus eſt, ut in conditionem pervenerit, in qua actiones ſuas haud amplius direxit viribus, ſibi relictis ad conſequendam ſolidam tranquillitatem & beatitudinem ſempiternam.

II. Impedimenta hic nobis obſiſtunt duo, quo minus pede progredi liceat inoffenſo. Si quis enim dari exiſtimat autorem mali ſempiternum, a Deo nec creatum, nec pendentem, viribus inſtructum eis, quas Deus nec tollere, nec enervare, valeat; tunc is non poteſt non largiri atque concedere, autorem illum mali eſſe æque potentem, ac Deum ipſum; ſuffeciſſe illum mundo condendo; ac malum mentibus in ipſa creatione infudiſſe, ne res creatæ ab indole autoris diſcreparent. Infecerat hæc ſentiendi libido non unos ex apoſtolicis hæreſiarchis. Si is, qui autorem ejusmodi ſempiternum exiſtere credit, Deo quidem inviolatam permittit creationis gloriam, ei tamen potentiam poteſtatemque denegat in mali autorem, ſeu Arimanium; tunc ſane ſeſe non continere poterit, quin exiſtimet, autorem mali potuiſſe pro

arbitratu infundere, mentibus creatis nævos & vitia; ac mentes creatas autori illi ne quidem reſiſtere potuiſſe. Congruet cum hiſce ſententiis illud, quod inde conſequitur proxime, conſultum, quo perſuademur, hominibus invitis etiam inſpirari potuiſſe malum, immo exiſtimari ac haberi poſſe *imaginem Dei* pro fictione ac commento. Imaginem Dei intelligo, quæ mentibus olim recens creatis a Deo fuit inſerta atque impertita. Impedimentum itaque prius in eo conſiſtit, quem Philoſophus ſummus nuper recoxit, Manichæiſmo. Noſtrum eſt, Manichæiſmi hujus inſulſiſſimam compagem vinculis ſuis laxare, ac propius intuendam præbere, ne reliquam tractationem noſtram nauſeent homines, Manichæiſmo reſtituto amici, qui hiſtoriam de primo primi hominis peccato ſolent ſannis excipere, ludibriisque infeſtare.

III. Verſatur mihi ob oculos impedimentum aliud. Eſt, qui Deo infinitatem attributorum, ſeu propriarum virtutum, atque præſcientiam ipſam, ad futuros eventus ſingulos patentem ac extenſam, denegat, ideoque ad ſapientiam Dei imminuendam propendet. Deus hujusmodi in dies diſcit, ac quantitate intellectus voluntatisque limitata laborat, atque, quod inde proximo fluit alveo, increſcit quotidie intelligendo. Quis inficiabitur, Deum ejusmodi, a *Socini* prole excogitatum, ad gradus intelligentiæ eminentiores re ipſa adſpirare, & eo ipſo ſucceſſionibus idearum receptarum eſſe ſubjectum; ipſum haud præcognoviſſe eventus, a libertate mentium exorituros; ipſum eventuum mundi ſeriem futuram ignoraſſe,

ideo-

ideoque de exitu operum ſuorum, quæ cum actionibus ſpirituum conjunctiſſima ſunt, prorſus fuiſſe incertum. Notionem hanc cum ſumma Dei ſapientia, in concordiam redigi poſſe, haud arbitror. Cum vero non poſſim, quin juſtam de Dei ſapientia hic informem animis tradamque notionem, ut tractationi ſubminiſtrem præſidia & munimenta robuſta; infinitatem Dei animus eſt tueri & argumentis vindicare, ne quid exſtet impedimenti in re tam ardua tantique momenti, quam ad rationis libellam revocare in præſens oportet.

IV. Autorem mali ſempiternum, & a Deo prorſus diverſum, nec ab eo pendentem, exiſtere, credunt illi, qui doctrinam de origine mali *Leibnitianam*, Theologis probatam, ſacroque Codici conformem, explodere ſtudent & conculcare. Fatentur iidem aperte, doctrinam hanc congruere cum Orthodoxorum doctrina. Addunt porro, illam eſſe ſomnium, umbram, & fictionem. Viderint itaque ipſi, quid de doctrina Theologorum conſimili pronuntiandum eſſe arbitrentur. Nobis hic nil eſt negotii cum partium conſenſu & diſſenſu. Rem ipſam cauſamque rei invademus, nec in libertatem philoſophandi, vel in commoda publica, ſcientes peccabimus, rati, Philoſophis quam maxime propriam eſſe debere moderationem ac in diſſentientes caritatem, eo quod ipſi, ſepoſita verbi divini luce, in lubrica conſiſtunt ſcena, & perfacile hinc inde impingunt.

V. Aves ſcire, Lector, cur fictitium illum mali autorem, illum cacodæmonem æternum, nullius penſi habeamus. Adſeremus, cur

ſic agamus, & ſecus ſentiamus, rationes. Deum dari unicum, mundi conditorem, ſapientiſſimum ac omnipotentem dominum noſtrum, non poſſum non exiſtimare, mihique imperare ad arbitrandum. In hoc enim deprehendimus originem & principium entis cujusque, quod modo contingenti exiſtit, & aliquid eſt poſitivi. Quæ univerſa autem ſunt ita comparata, ut exiſtere non poſſint prorſus, vel ut non niſi defectus privationesque deſignent, eorum autores & principia haud inquirimus, quamdiu videlicet in rei negatione, defectu, ac privatione, cogitatio noſtra ſubſiſtit. Si ineſt poſitivo cuidam ratio, cur defectus exſtet; tum illa profecto conſiſtit in eo, quod ſubſtantia illa finita illum defectum tenet, vel ex finitudine, vel ex actionis debitæ omiſſione. Quicquid finitis ob finitudinis rationem adhæret, id cauſa omni caret. Fruſtra profecto eſt ille, qui inveſtigat cauſam laterum illorum, quæ tetragono ob naturam ſuam deſunt; eum, qui cauſam inveſtigat viginti laterum, quibus caret quadratum, merito ridemus. Eadem ratione is irritum laborem impendit, qui cauſam detegere & repræſentare ſtudet finiti, qua illud eſt finitum, nec ſimul eſt infinitum. Exiſtunt omnino res & phyſicæ & ſpiritu præditæ, quibus aliquid poteſt demi vel partium, vel virium. Qui vires partesve aliquot demit corporibus, is eſt, fatemur enim, cauſa illius imminutionis vel decrementi. At quid impedit, quo minus ſpiritus ille infinitus unicus, mentes reliquæ finitæ, & corpora ipſa, vicem cauſarum ſuſtineant, quotiescunque vires vel partes immi-

nuuntur

nuuntur vel transponuntur in rebus nonnullis creatis? Numerus cauſarum non eſt præter neceſſitatem augendus. Facile equidem pervideo rationem, cur nonnulli Arimanium quendam adſciſcere voluerint. Ipſi enim cauſantur, ſibi aliquot, easque imperfectiſſimas, mundi umbras, & maculas quasdam, obverſari, quarum phænomena non niſi cum Arimanio quodam in concordiam redigi poſſint. Simul ac vero ad illas mundi maculas ac imperfectiones propius intuendas te confers, haud difficulter intelligis, patronos Arimanii laborare hac hæreſi, ut exiſtiment, 1) unius rei deſtinationem ad unicum modo ſcopum conformatam eſſe; 2) imperfectionem, quæ in parte quadam eſt ſpectabilis, haud congruere cum univerſi perfectione; 3) ſibi perſpectas eſſe & exploratas rationes omnes, quas reſpiciunt artus nervique & partes hujus univerſi. Cum ipſi vident, arborem floribus pomisque abundare, quibus ad maturitatem pervenire haud licet; ipſi confeſtim rationes ſuas ita ducunt, ut quærant ex ſeſe: cuinam uſui tot flores? cui bono ceſſerunt poma illa, ex arboribus delapſa, antequam redderentur matura? quam inſignis ineſt rebus hiſce ſtructura? Deus certe, ſi eventum illum præſtituiſſet, ſapientiæ ſuæ haud habuiſſet rationem. Cum ipſi animadvertunt, pluviam montibus infrugiferis ſterilibusque incidere, valles vero fructiferas ea carere; tunc vel, Deum iſthæc præſciiſſe, negant, vel Arimanium in partes ſuas vocant ad nodos illos ſolvendos. Liceat commentari pauca, & nebulas objectionum illarum diſſipare. Nemo ſane ignorat, neminem

mor-

mortalium tanta veri perſpicientia valere, ut nexum & compagem totius mundi, vel ultima corporis cujuslibet ſtamina, vel ſingulas mentium finitarum vires, accurate contemplari & diſtincte cognoſcere, queat. Noſtræ mentis acies deprehenditur ſatis obtuſa, quotiescunque fines Dei intermedios & præſidia, quæ vocant *media*, ſigillatim definire audemus. Qui ex conſpectu unius trabis de palatio univerſo, nondum perluſtrato, judicium ferre haud erubeſcit, eum oportet eſſe valde graviterque audacem in judicando. Anne unius corporis ſtaminisque unus tantum datur ſcopus? Deus ſæpe proventus arborum & animalium nobis aufert, ne improbiores reddamur, & ut alimenta ipſe vitiis ſubducat. Ipſe profecto noluit, ut ex glandulis ſingulis ſingulæ enaſcantur quercus. Ad conſervationem arboris & animalis faciunt ſæpius ovula innumera, quibus arbores & animalia turgent. Uſus rerum eſt multiplex, & id, quod videtur alicubi perire, affert aliquid ſaginæ, ſalutis, & commodi ad res alias, æque conſervandas. Montes & ſilvæ in crebris irrigarentur pluviis; fontes & aquæ, ſubter telluris ſuperficie progredientes, damnum facerent. Et hactenus quidem neceſſum non eſt, ut Arimanium quendam arceſſamus ad phænomena mundi declaranda & exponenda.

VI. Suppetit præterea ratio melior, quæ docet, ſempiternum mali autorem ne quidem dari poſſe. Si enim is a Deo haud pendet, tunc is ſua vi exiſtet, independens erit, a ſeſe exiſtet, æternus erit, immenſus, primus & ultimus, incor-

ruptibilis,

ruptibilis, materiæ expers, ſimplex, a mundo diverſus, & neceſſariæ naturæ. Unde porro conficitur, nihil exiſtere, cujus potentia poſſit potentiam ejus limitare vel infringere. Sempiternus itaque mali autor æque ac Deus potuit mundum creare & conſervare, ac pro arbitratu in eum actiones ſuas immittere. Eo ipſo incertum erit, utrum Deus, an mali autor, mundum creaverit. Dum porro utriusque potentia fingitur æque excellens & magna, omnino autor mali obſiſtere poterit Deo in ſingulis hujus operibus, ni hic potentiam ineluctabilem illi opponat. At, quoniam uterque potentiam fingitur tenere ſummam, nec unus ab altero pendet, pugna inde orietur ſempiterna, ut autor mali tantum poſſit in deſtruendum Dei opus externum, quantum Deus poteſt in evertendum Arimanii ſempiterni opus externum. Cum igitur Deus non poteſt non mundum, e malis nudis contextum, averſari, & Arimanius ejusmodi commentitius non poteſt, quin mundum deteſtetur, in quo benignitati & perfectioni cuicunque morali eſt locus; inde conſequitur, ut neuter mundum produxerit, indoli ſuæ convenientem, ab altero quippe mutabilem, niſi unius potentia fuerit finita & ſuperabilis, alterius vero ſuprema & inexſuperabilis. Pone autem, potentiam utriusque eſſe æque magnam; tum pugna inter eos intercedet ſempiterna, & unus viribus æqualibus impediet alterum, operi producendo intentum, ita, ut neuter opus aliquod poſſit effectui dare. Cum tamen hoc ipſum ſit abſurdum, & experientiæ repugnet; non poteſt non illa de ſempiterno mali autore

ſen-

ſententia, ex qua illud abſurdi proxime emanat, æque eſſe abſurda. Sin vero fingis, potentiam Dei eſſe ſupremam & inexſuperabilem, Arimanii e contrario finitam & ſuperabilem, abſurditatis denuo te convincis. Ponis enim ea, quæ contradictionis ſunt plena. Quis enim non videt, contradictionem intercedere inter autorem mali ſempiternum, æternum, independentem, & potentia a nemine limitanda inſtructum, atque immutabilem; ac inter autorem mali, cui eſt potentia mutabilis & limitationibus expoſita? Quæ quidem rationes nobis videntur ad Arimanium illum fictitium explodendum ſatis valere.

VII. Cum vero recordor, Ens illud, quod aliunde haud pendet, ac prorſus eſt neceſſarium, immutabile, & æternum, noſtra ætate ſpoliari præſcientia eventuum futurorum, moraliter contingentium, non poſſum mihi temperare, quin infirmitatem Philoſophiæ recentiſſimæ deplorem. Ejus enim, cujus eſſentia eſt immutabilis, ſingula attributa ſunt æque immutabilia. Attributa certe Dei ſunt ipſa Dei eſſentia, & attributa haud ſunt alterius naturæ ac eſſentia ipſa. Si vero fingimus, Deum nonnihil neſcire, quod ſucceſſu temporis ipſe diſcat & animadvertat; intellectus Dei ita erit comparatus, ut ſcientia ejus poſſit creſcere & augeri, id eſt, mutari. Si deinde addimus, Dei eſſentiam eſſe immutabilem, eamque eſſe ſpiritualem; non poſſumus, quin Deo attribuamus intellectum perfectiſſimum & immutabilem; ac eo ipſo perſpiciamus, ſcientiam Dei eſſe perfectiſſimam & immutabilem. Hinc porro argumentor & colligo,

eos,

eos, qui Deo denegant præſcientiam eventuum mundi futurorum, moraliter contingentium, docere, eſſentiam Dei eſſe immutabilem, ac ſimul mutabilem. Quæ contradictio eſt tam luculenta, ut luculentior ulla dari haud poſſit. Quid igitur erit pro certo reputandum? Id perſtabit ſcilicet conſultum, Deum eſſe immutabilem, ejusque ſcientiam ejusdem eſſe indolis, & eam ob rationem eidem propriam eſſe *omnipræſcientiam*. Supereſt quoque aliud incommodum, quocum illa *Socini* ſententia, quam evertimus, conflictatur. Si enim Dei ſcientia augetur, ac in dies ex obſervatis mundi phænomenis creſcit; Deus eatenus a mundo dependet, quia in eventibus mundi, moraliter contingentibus, ineſt ratio ſufficiens, cur ſcientia Dei hac ratione creſcat, haud vero ratione creſcat alia. Erit itaque eſſentia Dei hoc pacto utique dependens. At quis non illico animadvertit, ſententiam hanc pugnare cum eſſentia Dei prorſus independente, quam Theologiæ naturalis doctores ſolide vindicant & defendunt?

VIII. *Liberas a nobis peragi poſſe actiones, experientia nos docet quotidiana.* Liberæ enim vocantur actiones, quæ ſunt voluntariæ, &, prouti nobis lubet, exerceri poſſunt. Opponuntur eæ proinde actionibus, mechanica & phyſica ratione productis, nec non effectibus, qui ſunt ineluctabiles, ac quibus reſiſti non poteſt. In numero poſteriorum quoque cenſentur impulſus naturales, iique fortiores, quibus eſt ſuccumbendum. Dum cogitamus, nos eſſe habiles ad actionem utramque, quæ per modum contradictionis invicem repugnat,

vel

vel inter ſeſe eſt contraria, eo ipſo in nobis notionem libertatis, quatenus hæc eſt non niſi facultas, excitamus. Facultas enim eſt potentia præſtandi id, quod eſt contradictionis plenum & contrarium. Notio autem libertatis, quatenus hæc eſt facultas, eſt ab exercitio actionum liberarum abſtracta, nec id ſignificat, nos libere ea effectui ſimul dare poſſe, quæ ſunt contradictionis plena vel contraria. Dum enim ſum domi, non ſum ſimul in agro, vel in coelo tertio. Dum ſcribo, non ſum eodem tempore ſimul ille, qui non ſcribit.

IX. Idem profecto non poteſt ſimul agi, & non agi, ſimul poſſibile & impoſſibile eſſe, ſimul fieri, & non fieri; nec niſi unum e duobus contradictione plenis ac contrariis in actum ſimul deduci poteſt. Ex qua cogitatione in nobis notio de *libertate applicata* naſcitur. Addo unum & alterum momentum. Recolo memoriam notionis de eo, quod eſt determinatum ac indeterminatum. *Determinatum* appellatur id, quod e duobus contradictoriis fit, & in actum ponitur. Dum vero libertas effectui applicata ponit actum unum ex duobus momentis, contradictionis modo disjunctis; inde cognitu eſt facillimum, libertatem applicatam inniti determinatis, vel actiones, in ſeſe liberas, reddere determinatas. Determinatio autem ſeu poſitio actus e duobus actibus æque poſſibilibus, in ſe tamen contradictione plenis, ac invicem pugnantibus, locum invenire poteſt citra effectionem. Effectio autem cogitari nequit ſine relatione ad rationem ſufficientem actionis. Qua de cauſa libertati applicatæ ineſt aliquid, quod rationem

ctionem applicationis & actus in ſeſe continet, & indoli momentisque circumſtantibus agentis eſt conſentaneum. Hoc modo intelligitur, actiones, libertate applicata fieri ſolitas, præcognoſci poſſe. Conjecturæ politicæ hoc principio nituntur. Is vero, qui indolem mentium finitarum intimam,& omnia earum momenta circumſtantia, novit, exquiſite præſcit actiones, e libertate applicata originem trahentes. Quo ipſo evidens eſt, *a Deo actiones, e libertate applicata orituras, præſciri poſſe.*

X. *Ad certam animi voluntatem ſequitur in corpore humano, dummodo nervi & muſculi ad id ſint apti, motus determinatus; ad determinatum vero corporis motum, ſenſibilem ſatis, ſequitur determinata in mentibus ſenſio.* Res ipſa ex intima cujusque experientia, & eventibus quotidianis, pateſcit.

XI. *Libertas applicata non infert mentibus vel rebus neceſſitatem, aut fatalem, aut phyſicam.* Neceſſitas fatalis eſt, cui quod eſt oppoſitum,per ſeſe eſt impoſſibile. Neceſſitas vero phyſica dicitur, cui quod eſt oppoſitum, per ordinem ſemel a Deo ſapienter poſitum, eſt impoſſibile. Experientia porro quotidiana docet, nos conſilia noſtra poſſe mutare, actionemque inchoatam omittere, immo noxia perficere. Unde fit evidens, libertatem applicatam non inferre mentibus neceſſitatem, ſive eam vocaveris fatalem, ſive malueris phyſicam appellare.

XII. *Perfectionem* voco conſenſionem plurium poſitivorum ad conſtituendum aliquid poſi-

tivi. Si qua conveniunt ad ens negativum, vel privativum, ea conſtituunt imperfectionem. *Andreas Rudigerus* a) definitionem Ill. *Wolfii* reprehendit, eo quod illa videtur traduci poſſe ad imperfectiones. Verum Vir Cel. vitio id vertit *Wolfio*, quod ab hujus definitione eſt alienum. *Conſenſus* enim *plurium in uno* ponit nec nihil, nec id, quod abeſt, ſed plura & unum. De poſitivis *Wolfio* erat ſermo.

XIII. *Actiones, noſtræ liberæ tendunt vel ad perfectionem, vel ad imperfectionem ſtatus noſtri.* Experientiam noſtram, & actionum conſecutiones, ſi conſulamus, de hac veritate non amplius dubitandi erit locus. Status autem noſter eſt vel internus, vel externus. Ille proprius eſt animæ & corpori; hic indigentiæ, honorum & fortunarum. Si quid nihil videtur conferre ad ſtatum noſtrum, id vocamus indifferens. Ignorantia noſtra patrocinatur indifferentiæ huic ſtabiliendæ. At inde non conficitur, dari ejusmodi per ſeſe indifferentiam.

XIV. Intelligimus, dari bonum, ſi ad eventus actionum noſtrarum attendimus, immo malum, id eſt, id, quod ſtatui noſtro prodeſt et obeſt, licet non intelligamus, exiſtere Numen ſupremum. *Dantur* igitur *actiones per* rerum eventus ac naturam, id eſt, *per ſeſe, bonæ & malæ.* Intellectui divino præſentiſſimæ ſunt habitudines omnes, quæcunque ad ſtatum quemque poſſibilem tendunt. Cum vero poſſibilitas rerum ſit æterna; eapropter malum et bonum erunt quo-

que

a) In *der Gegenmeinung vom Weſen des Geiſtes.*

que æternum poſſibilia. Quare actiones bonæ non ſunt ideo bonæ, quia Deus eas expetit ter optimus; ſed ideo eas vult fieri Deus, qui approbat bona, quia ſunt bonæ et ipſo dignæ. Datur itaque in Deo ratio approbationis eorum, quæ ſunt bona, tum objectiva, tum ſubjectiva.

XV. *Datur moralitas interna*, eo quod dantur actiones per ſeſe tum bonæ, tum malæ. (§.*14*)

XVI. *Appetentia & rationalis, & ſenſitiva, fertur in bonum, vel verum, vel apparens; averſatio contra, tum rationalis, tum ſenſitiva, tendit erga malum.* Experientia hic nobis eſt optima magiſtra. Deus, qui voluntatem et appetentiam ejusmodi indidit mentibus, creator quippe rerum, bonitatem ſuam luculente exhibuit reddiditque nobis teſtatam. Et hæc eſt ratio, cur negemus, mundum ab Arimanio quodam eſſe conditum.

XVII. *Actiones naturales gaudent rationibus finalibus, per quas determinantur.* Oculus eſt ad cernendum aptus, ſtomachus ad digerendum cibum potumque, et ad corpus nutriendum, anima ad cognoſcendum, appetendum, et averſandum. Finis dicitur id, quod ſubſtantia rationalis per actionem ſuam conſequi contendit. Rationes igitur finales exiſterent nequaquam opere expreſſæ, niſi exiſteret ſubſtantia rationalis ac ſapiens, quæ eas operibus ipſis inſeruiſſet. Quoniam vero nos oculum, ſtomachum, et animum noſtrum, non fabricamus; propterea intellectu eſt facile, exſtitiſſe ſubſtantiam rationalem nobis intelligentiorem, eamque ſapientem et benignam,

quæ fines illos, perfectioni obtinendæ proprios, intendit. Subſtantia hæc appellatur Deus. Autor mali, ſi quis exiſteret, ſempiternus hoſce fines haud intendit, nil niſi malum ſpirans. Patet itaque denuo, autorem mali non eſſe cauſam hominum et mundi.

XVIII. *Datur in actionibus liberis ratio, cur bonum ſit appetendum, & malum ſit averſandum.* Datur enim appetentia et averſatio naturalis, (§. *16*) et habitudo naturalis actionum cum eventibus, inde emanantibus. (§. *13*) Exiſtentia vero hujus appetentiæ, cum ſit contingens; ergo, exiſtat, neceſſe eſt, cauſa ſempiterna, quæ illam habitudinem in actum deduxit. Hæc vero cauſa non eſt autor mali ſempiternus. (§. *6*, *16*, *17*) Reſtat itaque, ut Deus ſit ejus autor.

XIX. *Ineſt rebus ipſis aliquid, quod nos ad bene agendum invitare, & a malo revocare, poteſt.* Demonſtrationem dedimus §. *18*. Sunt, qui connexionem illius invitamenti cum actione vocant obligationem. Vox obligationis tunc adhibetur ſenſu metaphyſico pro phænomeno, obligationibus ab autore obligationis tantiſper ſejunctis. Alii hanc obligationem vocant objectivam, internam, & naturalem. Quamprimum vero e nobis quærimus, quis obligationis hujus & virium finitarum atque propenſionum, eis inſitarum, ſit autor; tum ſtatim deprehendimus, optimum mundi conditorem ac conſervatorem eſſe agnoſcendum pro cauſa. Et eo ipſo perſpicimus, obligationem eſſe omnino divinam, & originis ad Deum referendæ.

XX.

XX. *Regula moralis eſt ſententia, enuntians, actionem eſſe vel faciendam, vel omittendam.* Lex eſt regula moralis, ad quam liberæ actiones diriguntur. Legiſlator eſt, qui legem ponit & conſtituit. Motivum dicitur, quod rationem continet, cur aliquid ſit ſuſcipiendum, vel intermittendum. Obligatio externa eſt debitum officium inſtituendi actiones ſuas liberas ad legiſlatoris mentem. Ubi proinde non exiſtit vel debitum id officium, vel legiſlator, vel libertas actionum, ibi ceſſat obligatio externa. Loquimur hic de obligatione externa, quæ vocatur juris perfecti; de cetero haud inficiantes, dari obligationem, ex principiis honeſti profluentem. De hac ſermo eſt apud Autorem *de Cauſis corruptæ eloquentiæ Cap. 9*, apud *Ciceronem Epiſt. ad Diverſos Lib. X Ep. 8*, ac *Lib. XIII Ep. 65.*

XXI. *Exiſtit legiſlator Deus.* Deum exiſtere, facili negotio comprobatur. Eundem vero eſſe legiſlatorem, ſolicite magis eſt comprobandum. Prior ſententia redditur invictiſſima, quamprimum contingentiam mundi, & progreſſum rerum contingentium in infinitum, impoſſibilem accurate eviceris. Poſteriorem ſententiam jam dedimus demonſtratam §. *17, 18, 19.* Argumentum, a contingentia mundi & ſingularum in eo ſubſtantiarum, eſſe firmiſſimum, nemo negat, qui illud curate expendit. Uni *Conrado Dippelio* illud ſordet, ſed immerito. Proſternunt id etiam, qui principium rationis ſufficientis evertere laborant, ſed imprudentes, & robur ejus ignorantes. Argumenta, quæ a motu, ab ordine, a perfectione, ab effectu, & rationibus finalibus, deſumuntur, robore

muniuntur, quamprimum ipſis conciliatur vis ex argumento, à contingentia arceſſito. Nullum tamen argumentum efficacius ac blandius eſt ipſo gratiæ Dei effectu, in animis fidelium obvio. Si quis vero ſenſione illa & experientia interiori caret, is eſt argumentis extrinſecus aſſumtis flectendus ac convincendus. „Qui effectum gratiæ, quem verbi divini annunciatio in animis producit, cum animis degenerum & atheorum communicare poteſt, is indubie ipſa literarum ſacrarum tractatione convincet atheos & ſcepticos. Et hæc eſt ratio, cur Apoſtoli non fuerint operoſi in recenſendis argumentis philoſophicis, cum præfractis hominibus cœleſtem nuntiarent doctrinam. Ineſt enim animis hominum quædam conſcientiæ vis, quæ plerumque vel evigilat, vel flectitur, ad verbum Dei ſapienter & prudenter annuntiatum. Videntur itaque illi haud prorſus ſequendi, qui præcipiunt, ut ſemper ex principiis utrinque notis & conceſſis diſputemus. Hæc enim diſputandi via ſæpius laborat diuturnitate, ſcopulis contradictionum in progreſſu, & certamine, triumphi avido, ſub finem.

XXII. *Deus in eſſentia & attributis eſt immutabilis.* Ipſe enim eſt a ſeſe, ſuaque vi exiſtit. Ens a ſeſe eſt neceſſarium. Entis neceſſarii exiſtentia eſt abſolute neceſſaria. Quod abſolute neceſſarium eſt, illud eſt immutabile. b) Eſſentia autem Dei eſt abſolute neceſſaria. Ergo eſſentia Dei eſt immutabilis. *Quod erat unum.*

Attri-

b) Vid. Ill. *Chriſtianus Wolfius* in *Ontologia* §. 292.

Attributum determinatur per eſſentialia, & enti conſtanter ineſt. Quare is, qui in eſſentia eſt immutabilis, in attributis etiam eſt immutabilis. *Quod erat alterum.*

XXIII. *Infinitum* dicitur, *quod actu ipſo poſſidet omnia poſitiva compoſſibilia.* *Finitum* eſt, *quod vim limitatam habet, ſucceſſu temporis ſeſe prodentem.* Qui ſibi perſuadent, Theologos ac Philoſophos noſtros eam Deo tribuere infinitatem, quæ complectatur poſitivorum congeriem, quorum unum pugnet cum altero, ii ſeſe magnopere fallunt. Vulgus ſubinde miſericordiam Dei opponit ejus juſtitiæ, & iram bonitati. Verum Theologi noſtri ac Philoſophi accuratius de attributis Dei ſentiunt.

XXIV. *Deus eſt infinitus, & omnium contingentium præſcius.* Ipſe enim eſt immutabilis, ideoque nihil poſitivorum acquirere, ſibique comparare, poteſt. (§.22.) Quicquid itaque virium & poſitivorum exiſtit, quod ſimul ſtare poteſt, nec ſecum pugnat, id Deo proprium eſt ab æterno & immutabiliter. (§.23.) Ergo Deus eſt infinitus. Finge, eum eſſe Ens finitum. At eo ipſo largiris, eum haud eſſe neceſſarium, nec immutabilem. Ita tibi repugnas, & contradictione te involvis. Deus enim eſt immutabilis. (§.22.) Quam ob rem ipſe haud eſt finitus. Quid igitur reſtat, niſi ut ipſe ſit infinitus? *Hoc erat unum.* Deus porro eſt omnium eventuum contingentium præſcius. Scientia enim ejus eſt attributum. Attributa autem ejus nec minuuntur, nec augentur; quia ſunt immutabilia. (§.22.)

Finge, Deum eventus moraliter contingentes ignorare, ac ſucceſſu temporis eos demum experiri. Ponis eo ipſo, attributum Dei, quod vocamus ſcientiam, in dies augeri, ac eapropter eſſe mutabile. Hoc vero eſt abſurdum. (§. 22) Ergo Deus omnium contingentium eſt præſcius. Ex infinitate Dei poteſt idem comprobari. *Hoc erat alterum.*

XXV. *Sanctus* is dicitur, *qui perfectionibus agit divinis congruenter.* Cum vero Deus ſit perfectiſſimus, & ea, quæ perfectionibus ſuis ſunt convenientiſſima, agat, ea autem, quæ illis repugnant, haud approbet; inde conſequitur, *Deum eſſe ſanctum.* Sacrum & ſanctum debemus ſolicite diſcernere. Ebræi unica voce expreſſerunt notionem utramque. Græci videntur illos imitati. Verum res ipſa eſt ſalva, dummodo id vocemus *ſacrum*, quod ſanctitati conciliandæ utcunque inſervit, ac per vocem קֹדֶשׁ generatim deſignemus id, quod perfectionibus Dei illuſtrandis inſervit.

XXVI. *Deus continuo agit convenienter fini, ſapientiſſime electo.* Ipſe enim eſt præſcius omnium rerum, (§. 24) & omniſcius. (§. 25) Idem eſt infiniti intellectus, infinitæque ſcientiæ, (§. 24) ac ſapientiæ immenſæ, c) qui perfectionibus ſuis agit congruenter. (§. 25) Quid igitur eſt evidentius, quam Deum agere ob finem, fines ſapientiſſime eligere, & eis convenienter agere?

XXVII. In Deo eſt proclivitas conferendi omni-

c) Conf. Cel. *Georg. Henr. Ribovii Inſtitut. Theol. Dogmat. Tom. I §. 533, 545.*

omnibus aliis tantum boni, quantum capere poſſunt, d) ac ipſe eſt ſapientiſſimus, ideoque actionibus humanis, mundi quippe partibus, praeſtituit finem. Unde conſequitur, *Deum velle, ut homines conſequantur finem beatum & ipſis ſalutarem.*

XXVIII. *Dependere* dicitur ab alio, quod rationem ſui continet in altero ita, ut ex hoc cognoſcatur, quare illud exiſtat, vel hoc modo agat. Dantur dependentiae gradus admodum diverſi. Dependentiae gradus ſupremus eſt ille, quando quis ab altero id accepit, ut exiſtat, & unde exiſtentiam continuet. Nemo ignorat, nos dependere a Deo, quippe a quo id, ut exiſtamus, & vitam continuemus, accepimus. Idem de creatis ſingulis eſt affirmandum.

XXIX. *Dominus* dicitur eſſe is, qui res, a ſeſe pendentes, finibus ſuis conſequendis adhibet. A Deo, quaecunque ſunt creata, dependent, (§. 28) Deusque, qui continuo agit congruenter finibus, ſapienter electis, (§. 26) ea adhibet finibus ſuis conſequendis, & saluti hominum promovendae. (§. 27) *Eſt itaque Deus 1) dominus hominum, isque 2) ſapientiſſimus, & 3) optimus.*

XXX. *Deus vult ſerio, ut homo ſtatum ſuum generisque humani perficiat.* Ipſe enim eſt ſanctus, (§. 25) & ſumme benignus, (§. 27) eamque ob rationem homini indidit vim appetendi bonum, & averſandi malum, ut hic poſſit ſalutaria perficere, & perniciosa quaevis omittere. (§. 16, 17.) Quis vero exiſtimabit, ſe poſſe eſſe ſalvum, niſi ſocietas, in qua vivit, ſit ſalva?



d) Idem §. 715 ſeq.

XXXI. *Deo tribuendum eſt jus obligandi hominem ad actiones non ſuo arbitratu, ſed ſecundum voluntatem divinam, determinandas.* Homines penitus ab ipſo dependent, adeoque ſunt ejus ſervi. (§. *29*) Cum vero dominatus intelligatur eſſe jus pro arbitrio penitus de eo diſponendi, quod eſt in dominio; ipſe utique Deus, qua rerum creatarum dominus, jure gaudet diſponendi de liberis hominum actionibus pro arbitrio ſuo. Hoc vero jus foret nullum, ſi homini relinqueretur integrum, quid facere mallet, id eſt, niſi homo obligaretur ad illud faciendum, quod Deus vult fieri. Aliam præterea demonſtrationem hujus ſententiæ exhibuit Ill. *Chriſtianus Wolfius* in *Theol. natur. P. I §. 986.*

XXXII. *Deus eſt hominum legislator.* Ipſi enim jus obligandi homines ad bene vivendum, ac ex arbitrio ejus agendum, ſtat inviolatum. (§. *31*) Ipſe autem hoc jure uſus eſt, dum mundi compagem ita conſtituit, ut illa exhibeat invitamentorum copiam, quibus homo ad bona effectui danda per eventum bonorum phyſicorum, cum actionibus conjunctorum, allicitur, ac a malo retrahitur per eventum actionis pravæ ſiniſtrum. (§. *30*) Nexus ille eventuum cum actionibus liberis per ſeſe eſt contingens, ac propterea a Dei ordinatione pendet. Reſtat etiam diſtributio fortunæ utriusque, quæ quidem ſerius apparet, juſte tamen inſtituta & conformata eſt, Deo ſic providente. Inde triſtiſſima in vulgus nota ſunt proverbia: *De male quæſitis non gaudet tertius hæres. Male parta male dilabuntur.*

*tur. Raro antecedentem ſceleſtum deſeruit pede poena claudo.* &c. Quis vero eſt, qui fata & duriora & lætiora hominibus impertit, ſi a Deo diſceſſeris? Conſtituit proinde Deus obligationem non ſolum naturalem, ſed etiam ex arbitrio ejus fluentem, ad actiones hominum in eventum præſtantem dirigendas. Prior legis divinæ cognoſcendæ modus eſt brevior & evidentior; poſterior eſt longinquior & operoſior.

XXXIII. *Deus poteſt, ſi velit, legem ſuam quamcunque* clariori quoque ratione *pateſacere vel uni homini, vel permultis.* Ipſe enim eſt ſpiritus, intellectu & voluntate præditus, omniſcius, ſapientiſſimus, ac omnipotens. Niſi credidiſſent olim mortales, declarationem ejusmodi, ſeu revelationem, Deo eſſe dignam; ipſi non jactitaſſent oracula et libros varios, ſacrificiorum genera, et alia divini commercii argumenta.

XXXIV. *Homines ſunt divinitus obligati ad id, quod bonum, eligendum & exercendum, haud ſecus atque ad mala obſervanda & omittenda, pro viribus mentis ac corporis, & pro ratione ſtatus ſui externi.* Nam Deus, dominus ipſorum, vult ſerio, ut ipſi ſtatum ſuum et generis humani perficiant, (§. *30*) ac eum in finem bifariam illos obligavit. (§. *32*)

XXXV. Præmia actionum bonarum exiſtunt haud una. Primo enim eventus cum eis copulati ſunt grati et jucundi. Deinde is, qui actionibus bonis ubique et ſemper vacat, in utraque fortuna eſt conſtans et tranquillus. Tertio conſcientia fruitur et recta et tranquillante, dummodo

do judicium de moralitate actionum ſuarum legi divinæ conformium tulerit genuinum et ſincerum. Tandem Deo gaudet propitio et legislatore, actiones ipſius approbante. Pœnæ autem actionum, prava mente admiſſarum, et pravarum, ſunt eventus naturales ingrati, fortunæ acerbitas, conſcientia mordens, ac Dei legislatoris improbatio, quâ is actiones pravas averſatur.

XXXVI. Immortalitas animæ huc inprimis ſpectat, quâ homo admonetur, ſeſe beatitudinis ac ægritudinis ſempiternæ eſſe capacem. Invitamentum igitur ex doctrina de mentis immortalitate enaſcitur ponderoſum ad bene agendum, ac ad actiones pravas omittendas. Quicquid vero nos obligat ex vero ad actiones bonas efficiendas, illud legislatoris præſcripto obligatorio eſt annumerandum. At præmia et pœnæ hujus immortalisque durationis noſtræ nos obligant ad bene agendum, et ad actiones pravas omittendas. Ergo *Deus his præmiis & pœnis expendendis nos ad virtutem excolendam obligavit & invitavit.*

XXXVII. *Anima noſtra nec eſt corporea, nec corpus cogitare poteſt.* Animam vocamus id, quod ſui aliarumque rerum finitis viribus ſibi eſt conſcium, libereque appetit bona, & averſatur mala, vel vera, vel imaginaria. Corpora non niſi per motum vel inteſtinum, vel externum, mutantur; partiumque immutatio nihil efficit, niſi loci, figuræ, & magnitudinis, mutationem. Anima autem repræſentat ſibi objecta, diſtinguendo ea inter ſeſe & a ſeſe, veluti extra ſeſe collocata. Motus contra propagatur per particulas contiguas

ejus

ejus rei, quæ movetur. Propagatio hæc exſerit ſeſe, quamdiu motus durat, haud extra motum. Anima vero valet ſibi repræſentare longinqua & abſentia, a quibus ipſis immediate haud afficitur. Motus e contrario fit ſemper a percuſſione præſenti, & in contactu puncti phyſici. Anima eandem ſenſionem diu præſentem in conſcientia retinere, immo ſæpius pro arbitrio repræſentare, valet; motus contra inteſtinus ceſſat, quando corpus contiguum conflictum deſinit exercere. Anima actionem determinatam libere velle, eandemque nolle, poteſt, licet argumento hoc & illo invitetur, vel abſterreatur; motus contra ea directioni certæ conformis eſt, & ſemper congruit naturaliter menſuræ & gradui directionis, quæ eſt in corpore irruente, ſeu confligente. Anima ſibi repræſentat objecta abſentia cum recognitione ejusdem ſenſionis, antea factæ; motus e contrario idem in corpore non poteſt continuari, niſi continuato corporis ejusdem irruentis impulſu ejusdem menſuræ. Anima ſenſionibus gaudet & ideis de rebus non compoſitis, non coagmentatis, individuisque; corpus autem afficitur motu per res non niſi compoſitas coalitasque, dum ipſum movetur. Anima ſenſiones capere poteſt de objectis univerſalibus & abſtractis, eisque valet invitari, & ad actionem allici; corpus e contrario afficitur non niſi ab individuis logicis, ſeu rebus ſingularibus. Anima afficitur objectis numerorum citra ea, quibus aſſignatur numerus; at corpus a numeris ſolis ac abſtractis haud moveri poteſt. Anima affici poteſt ideis rerum re

vera

vera haud exiſtentium, poſſibilium & impoſſibilium; ſed corpus non niſi a ſubſtantiis, quæ re vera exiſtunt, movetur. Ergo anima non eſt corpus, nec corporea. *Id quod erat prius.* Jam progrediendum eſt ad ſententiæ partem poſteriorem. Quicquid eſſentiæ corporis repugnat, nec ex ea explicabile eſt, illud corpori, ſecundum eſſentiam ſpectato, conferri nequit, eo quod eſſentiæ rerum ſunt plane immutabiles. Motus vero ex vi motrice oritur, quæ derivanda eſt e ſimplicibus elementis, e quibus corpora coaluerunt. Vis motrix ſeſe per motum tradit. At motu non poteſt produci cogitatio, quemadmodum paullo ante oſtendimus. Addimus iſtud etiam. Corpus, ſive id ſit ſubtiliſſimum, ſive craſſius, retinet nunquam non eſſentiam ſuam. Cum vero corpus in particulas continuo infinitas dividuum non eſt, illud conſiſtat tandem ex elementis individuis, ſeu ſimplicibus, neceſſum eſt. e) Suſpicatur fortaſſis aliquis, corpus cogitare poſſe per vires illorum elementorum compoſitas. Quo minus autem huic ſuſpicioni locum relinquamus, impediunt ea, quæ jamjam adjungemus. Eſto enim, ſuſpicionem illam veri ſpeciem præferre, tunc totuplicem, numero diverſam, cogitandi facultatem in materia quadam compoſita eſſe oporteret, totidemque adeo diverſas etiam cogitationes in eadem oriri, quot partes diverſæ ſimpliciſſimæ in ea exiſterent;

neque

e) Vid. *Lettre d'un Mathematicien à un Abbé, ou l'on fait voir, que la matiere n'eſt pas diviſible à l'infini. à Paris* 1737, 8.

neque totum illud compoſitum ut unum ſubjectum cogitans, neque una etiam ex diverſis illis particulis cogitantibus cogitatio poſſet. Cum enim cogitatio unius elementi haud ſit cogitatio alterius ob diverſitatem ſubſtantiarum ſimplicium, adeoque nec repræſentatio unius poſſit fieri repræſentatio alterius: nihil autem præter elementa illa, ſeorſim cogitantia (ex hypotheſi), in congerie ſeu complexu eorum exſtet, quod ſeparatas ſingularum cogitationes in unam jungere, & ita unum quoddam cogitans, vel unam quoque cogitationem, efficere inde poſſit; hinc certe conſequitur, materiam quamcunque compoſitam nunquam fieri poſſe unum ſubjectum cogitans. f) Jubet etiam principium indiſcernibilium, ut credamus, elementa corporum individua, licet illa idearum capiendarum eſſent fœcunda, tot diverſis ideis gaudere, quotus eorum eſt numerus, & quotuplex eorum eſt ſitus ratione confinium elementorum, quæ rurſus inter ſeſe differant, neceſſum eſt. Ergo corpus non poteſt cogitare. *Quod erat poſterius.*

XXXVIII. *Anima humana non eſt e pluribus partibus conflata, ſed eſt per ſeſe individua & ſimplex.* Ipſa enim cogitat, notionesque, ab omni corpore abſtractas, format, ac eapropter corporea eſſe non poteſt. Quicquid vero exiſtit, id eſt vel dividuum vel individuum, vel compoſitum vel ſimplex. Atqui anima non eſt dividui quiddam, non eſt corpus, non eſt compoſitum. (§. 37) Ergo humana anima eſt individua & ſimplex.

XXXIX.

f) Vid. Cel. *Sam. Chriſt. Hollmannus* in *Inſtitut. Pneumat. Theol. nat. Cap. I* §. 14.

XXXIX. *Anima humana per ſeſe non interit.* Ipſa enim eſt individua & ſimplex, ideoque in partes dividi ac diſtrahi non poteſt per ſeſe. Animæ ipſi quo minus eam vim attribuamus, obſiſtit non ſolum experientia, ſed etiam facultas, miraculorum effectrix, quæ ſoli ineſt Deo. Homini haud eſſe ulli eam vim, ut animam poſſit tollere, vel vita omni exuere, id eſt, deſtruere, docet etiam magiſter præſtantiſſimus, ipſe Jeſus, *Matth. X, 28. Luc. XII, 4.*

XL. *Deus animam humanam non vult in nihilum redigere.* Ipſa enim eſt finitis intelligendi, appetendi, averſandique, viribus inſtructa. Quam ob rationem ipſa non ſimul, eodemque temporis puncto, vim ſuam omnem prodit & evolvit, ſed eam ſuccedente tempore expromit. Adjunge huic annotationi ex ſcitis Theologiæ naturalis, Deum ferri benignitate ſumma in omne bonum, & voluiſſe, ut eventus præcedentes eſſent adminicula futuri finis conſequendi. Accedit, quod cogitationes mentis præſentes continuo ſunt fœcundæ ſtatu futuro, ejusque rationem continent ſufficientem. Quæ cum ita ſint, Deus finem plenum ultimumque per actiones mentium finitarum haud aliter conſequitur, atque per ſeriem actionum, ex viribus animarum profluentem, perpetuo progredientem. Deus omnino eſt ſapientia immenſa plenus, finemque plenum ac ultimum per res creatas intendit. Ergo idem voluit, animam perpetuo perdurare, viribusque fieri, præmii loco, inſtructiorem.

XLI. *Anima perſiſtit ſemper actuoſa, & cogitandi* appe-

appetendique viribus prædita. Hæ enim vires ipſi haud accedunt ex adjuncto corpore. Hoc enim nec cogitat, nec cogitare poteſt. (§.37) Ergo vim cogitandi, qua illud ipſum caret, animæ impertiri nequit. Reſtat proinde, ut, animam ſua ipſius vi cogitare, exiſtimandum ſit. Cum vero vires animæ eſſentiales tam diu durent, quam diu ipſa anima perdurat; perſpicuum ſane eſt & evidens, animam perſtituram eſſe ſemper actuoſam, cogitandique & appetendi viribus præditam.

XLII. *Corpore moriente, anima, quæ ei fuit juncta, nec ſimul moritur, nec cogitandi vim amittit.* Anima enim diſſolvi, & per ſeſe in nihilum redigi, non poteſt, (§.39) nec Deus eam vult deſtruere, (§.40) quin potius ipſa ſemper perdurat actuoſa, & cogitandi appetendique viribus prædita. (§. 41) Eandem ſententiam ſanctiores literæ paſſim confirmant. Mirandum proinde eſt, homines potuiſſe ad Pſychopannychiſmum amplectendum inclinare & traduci unquam.

XLIII. Anima humana dicitur *incorruptibilis*, quatenus in partes diſcerpi, dividi, deſtruique, non poteſt. Eam vero appellamus *immortalem*, quatenus vim & facultatem ſuam conſcientiamque ſtatus prioris ſemper retinet. Dicitur ipſa *immaterialis*, quatenus nec ex materia minus conſpicua, nec ex partibus corporeis, coaluit.

XLIV. *Anima humana* eſt *immaterialis*, quia eſt ſubſtantia ſimplex: (§.37) eſt *incorruptibilis*, eo quod interire nec poteſt, nec debet: (§.39,40,)

eſt *immortalis*, quia vim cogitandi actuoſam non amittit. (§. 41, 42)

XLV. *Animam humanam Deus* ex ſtatu poſſibilitatis deduxit in actum, id eſt, *creavit*. Ipſa enim exiſtit, ergo eſt poſſibilis. Ipſa eſt contingens, quia finitam tenet naturam, & exiſtere, non exiſtere, ſic, aliterque, comparata eſſe, poteſt. Quicquid vero eſt contingens, & exiſtit ſimplex, illud a Deo ex nihilo eſt creatum. Ergo anima humana a Deo ex nihilo fuit producta.

XLVI. Eadem ratione oſtenditur, *corpus humanum a Deo eſſe ex nihilo in rerum humanarum exordio creatum*. Corpus enim conſtat ex elementis ſimplicibus, in quæ illud reſolvi poteſt, (§. 37) atque eſt finitum & contingens.

XLVII. *Homo primus a Deo eſt creatus*. Autor mali ſempiternus mundum haud produxit, nec exiſtit; (§. 16, 17, 6,) ſed autor mundi eſt Deus benigniſſimus. Homo conſtat ex anima & corpore. Anima prima a Deo eſt creata, (§. 45) & corpus humanum primum a Deo eſt creatum. (§. 46) Ergo homo primus a Deo eſt creatus. Quicquid vero eſt ſucceſſivum, & numerari poteſt, in eo datur aliquod primum. Atqui genus humanum conſtat ſucceſſione, & dinumerari poteſt. Ergo datur in genere humano aliquid, quod eſt primum.

XLVIII. *Deus terricolæ primo impertivit tantum boni & perfectionis, quantum hic capere potuit*. Deus enim tanta eſt bonitate, ut proclivitatem re ipſa exhibeat conferendi rebus creatis tantum boni, quantum hæ capere poſſunt. (§. 27)

XLIX

XLIX. Homo primus, antequam exiſteret, libertate ſua abuti non potuit. Proinde Deus hominem primum, recens creatum, nulla perfectione privavit ob libertatis abuſum, quippe qui abuſus locum tunc nondum habuit. Quamobrem *Deus homini primo nullam perfectionem denegavit, cujus hic erat capax.*

L. *Deus hominem primum, terricolam, & parentem generis humani, majori perfectione impertire per ſapientiam ſuam haud potuit, quam fuit illa, qua eum impertivit.* Benignitas enim Dei eſt immenſa, & ſapientia ejus convenientiſſimum quodque fini eligit. Creavit igitur Deus terricolam primum eis perfectionibus præditum, quarum hic fuit capax, ſiquidem nec Dei impotentia, nec benignitatis defectus, nec libertatis humanæ abuſus, tunc fuit impedimento, quo minus Deus terricolæ primo conferret tantum perfectionis, quantum benignitas ejus impertire, & homo capere, poſſet. Ne vero exiſtimes, terricolam primum potuiſſe creari inſtar angeli boni, vel cœlitum in bono confirmatorum, obſtat Dei ſapientia, quæ hominem primum juſſit eſſe terricolam & progenitorem generis humani, tellurem incolentis, & per virtutes ad præmia progreſſuri.

LI. *Homini primo jus nullum fuit, majores a Deo opes, majora ornamenta, poſtulandi, præter eas opes & illa ornamenta, quibus eum Deus inſtruxerat.* Homo enim ille a Deo nihil non acceperat, (§. *47, 28,*) ac eapropter penitus ab eo pendebat. (§. *28*) Unde cogitur efficiturque, Deum ejus exſtitiſſe dominum, (§. *29*) eumque & ſapientiſſi-

mum, & bonitate ante omnes præſtantiſſimum. (§. *26*, *27*) Quid itaque homo primus potuiſſet deſiderare melius? (§. *48*) Quonam, obſecro, jure præſtantius quiddam expetiiſſet?

LII. *Cum Deus hominem primum crearet, præſcivit eventus ſingulos, quibus vel homo primus, vel poſteri illius, ſeſe erant ſubjecturi, ornaturi, oneraturi.* Quid enim intellectui Dei eſt clauſum abditumque? Nonne is omnium actionum & eventuum, moraliter contingentium, eſt præſcius? (§. *24*)

LIII. *Deus hominem primum haud creavit in eo ſtatu conſtitutum, ut in primo creationis momento abuteretur libertate ſua, neque ſeſe continere poſſet, quin abuſu libertatis illius ſeſe confeſtim oblectaret.* Nam quis ignorat, Deum terricolæ primo impertiviſſe tantum boni, & perfectionis, quantum hic capere potuit? Poterat vero hic capere eam mentis facultatem, quæ legem Dei & modum bene beateque vivendi ſervare valet. Quid enim obſtitit, quo minus ille eam caperet?

LIV. *Deus perfectionibus delectatur, cui quippe nihil placet, niſi bonum.* Conſcientia enim & conſpectus perfectionum in rebus gratis locum habent, ac mentium ſanctarum indoles & natura ſic fert, ut ipſis placeant bona, ac diſpliceant mala. (§. 25)

LV. *Deo placent perfectiones ſuæ; diſplicet autem ipſi, quicquid perfectionibus illis repugnat, & adverſum eſt.* Quidni enim ei perfectiones placerent ſuæ, cui perfectiones quæcunque placent? Sed quomodo perfectiones & ea, quæ perfe-

ctionibus penitus ſunt oppoſita, ſimul placere poſſunt? Cui enim unum ex oppoſitis placet, ei alterum certe placere non poteſt.

LVI. *Virtus eſt habitus conformandi actiones ſuas liberas legi.* Si lex intelligitur naturæ, virtus illa eſt philoſophica; ſi lex deſignatur civilis, virtus ſignificatur politica: ſi lex in N. ac V. Teſt. patefacta ſignificatur, virtus intelligitur Chriſtiana. Quid ſit *vitium*, ex definitione allata facile pateſcit. Id enim virtuti eſt oppoſitum. *Vitium* proinde *eſt conſuetudo vivendi contra legem.*

LVII. *Id, quod fit, vel omittitur, contra legem,* dicitur *peccatum*, idque eſt vel voluntarium & deliberatum, vel involuntarium ac inconſultum. Illud, quod evitari poterat & debebat, autori imputatur, ſimul ac ipſe illud admittit. Peccatum itaque eſt vel imputabile, vel minus imputabile. Vitari poteſt peccatum vel in herbis ac ipſo principio cupiditatis, deliberationem præcurrentis, vel ſolicite præcavendo occaſionem peccandi, & corroborando animum cultura virtutis.

LVIII. *Imputatio*, a qua peccatum dicitur imputabile, eſt *declaratio alicujus pro autore facti.* Ipſa eſt vel *metaphyſica*, ſeu poſſibilis, vel *moralis*, ſeu actualis. Priori imputationis ſpecie aliquis pro autore facti nude declaratur, non habita ratione actionis ſecundum legem dijudicatæ; poſteriori ratio illius præcipue habetur autoris, quatenus id, quod conſequitur actionem ſecundum legem, ad eum pertinet. Imputatio hæc ad factum quodvis, ſive bonum, ſive malum, quadrat. Ex bono profluit nexus præmii; ex malo enaſcitur

nexus pœnæ. Quare imputatio alia eſt remuneratoria, alia eſt vindictæ plena. Curate hanc doctrinam tractarunt Cel. *Carpovius* in *Comm. de Imputatione facti proprii & alieni*, Cel. *Iſrael Theophilus Canzius* in *Civitate Dei Sect. IV Cap. 4. §. 73*, atque Cl. *Joannes Erneſtus Schubertus* in *univerſa Philoſophia practica* §. 111 *ſeq.*

LIX. *Virtus eſt perfectio.* Quid enim virtute ad conſenſionem variorum, quæ exiſtunt, in uno quodam obviam, eſt excellentius? Dum virtutem colis, concordas cum lege Dei, cum ſalute tua, cum fine legislatoris. Dum virtutem colis, vires mentis congruunt & conſpirant ad ſtatum tuum perficiendum. Dum virtutem colis, vires corporis mentisque in concordiam redigis ad finem eundem obtinendum. Dum virtutem colis, actiones præteritas, præſentes, & futuras, redigis in conſenſionem, earumque concentu ad illud unum, ut te ac ſocietatem tuam conſerves, felicemque reddas, contendis. Dum virtutem colis, conſentis cum fine Dei, & approbante ejus voluntate. Dum virtutem colis, concordia ineſt verbis tuis cum ſalute alterius; & actiones tuæ ad beatitudinem tuam, junctis viribus partibusque, collineant.

LX. *Virtus Deo placet; vitium diſplicet.* Probatur enim ſummo Numini perfectio; minus ipſi placet id, quod perfectioni repugnat. At vero virtus eſt perfectio, & vitium cum perfectione pugnat. Ergo virtus Deo placet; vitium diſplicet.

LXI.

LXI. *Deus creavit hominem primum facultate colendi virtutem, & evitandi vitium, inſtructum.* Si Deus ei contuliſſet proclivitatem vitioſe agendi, vel ei denegaſſet vires ad virtutem colendam accommodatas, ipſe demonſtraſſet re ipſa, non virtutem, ſed vitium, ſibi placere. Quis vero eſt, qui haud illico animadvertit, conſectarium illud eſſe inſulſum, ac veritati, quaquaverſum dilucenti, repugnans?

XXII. *Terricolam igitur Deus primum impertivit viribus, ad virtutem colendam accommodatis.* Nihilo minus ipſum inſtruxit etiam intellectu & voluntate, eaque libertatis aſſervatrice. Præterea hominem creavit primum finitis viribus inſtructum. Quis enim exiſtimabit, Deum poſſe creari, ac ex nihilo produci? Quo ipſo convincimur, *terricolam primum accepiſſe a Deo vires, virtuti colendæ idoneas, a proclivitate ad vitium ſejunctas, libertatis dono decoratas, at finitas, limitibusque circumſcriptas; nec non animam immaterialem, a corruptione & deſtructione immunem, immortalem; præterea corpus organicum, incommodis vacuum, quæ originem ex vitio trahunt.*

LXIII. *Terricola primus cibo, potu, ac adminiculis, ad ſeſe ſervandum indiguit.* Tellus profert varias ſpecies nutrimentorum. Niſi itaque exiſtimes, Deum homini primo ventriculum, inteſtina, vaſa chylifera & excretoria, dediſſe fruſtra: niſi arbitrere, tellurem beſtias, aquam, vitem, frumenta, arbores, fœtus, fruſtra ſuppeditare debuiſſe: niſi putes, terricolam primum ſine motu & alimentis vixiſſe: niſi tibi perſuadeas, aerem ipſi

circumfuſum nil ſudoris ex eo ſuſcepiſſe: niſi credas, uxorem ejus ex corpore ſuo alimenta fœtui concepto ſuffectura ſubminiſtraſſe; non potes, quin ſententiæ noſtræ ſubſcribas.

LXIV. Deus voluit tellurem, hominibus abundantem, fovere & conſervare, quemadmodum eventus docuit. Voluit itaque idem, ut primus homo terram incoleret, vitamque exigeret in ea. Qui finem ſuum obtinere ſtudet, ejusdem eſt, adminicula, ei conſequendo apta, adhibere. Deus vero eſt ſapientiſſimus, nec miraculis utitur, ubi adminicula naturalia ſuppetunt. Idcirco nihil eſt evidentius, quam *Deum homini primo dediſſe jus in alimenta vitæ, quæ tellus profert.*

LXV. *Homo primus fuit dominus telluris, quantum ad alimenta vitæ continuandæ pertinet.* Is enim dicitur dominus rei, qui eam finibus uſibusque ſuis congruenter adhibendi jus habet.

LXVI. Imago eſt proxima ſimilitudo rei unius cum altera. Similitudinem noſtri proximam reddit ſpeculum. Quapropter dicimur in eo conſpicere noſtram imaginem. Ita appellamus filium patris imaginem, qui proximam ejus ſimilitudinem refert.

LXVII. *Homo primus ad imaginem Dei eſt conditus.* Deus enim eſt ſpiritus; & ipſe homo reſpectu animæ fuit ſpiritus. Deus eſt immaterialis, incorruptibilis, & immortalis; hominis ſpiritus æque eſt immaterialis, incorruptibilis, & immortalis. Homo peræque præditus eſt intellectu & voluntate. Deus eſt ſanctus, quia perfectionibus ſuis agit convenienter; homo etiam

pri-

primus; quamprimum fuit creatus, virtutis fuit ſtudioſus, a vitio averſus, ac perfectionibus divinis egit convenienter, ideoque fuit benignus, bonus, ſapiens, juſtus, æquus. Deus eſt dominus telluris; homo primus æque fuit partis terræ dominus.

LXVIII. *Homo primus fuit autor generis humani, & ex uxore progeneravit poſteros.* Hiſtorica monumenta ſignificant, genus humanum intercidiſſe nunquam ex omni parte. Ergo homines ſinguli ex homine primo ſunt exorti. Modus progenerationis eſt perpetuus, & ſapientiſſime a Deo deſtinatus. Nec ſolet Deus miracula adhibere, cum adminicula ſuppetunt naturalia, quibus fini ſuo conſequendo congruenter uti poteſt. Ergo creavit Deus uxorem, ex qua homo primus generaret liberos, poſterorum progenitores. Deeſt nobis ratio, cur plures uxores exiſtimemus creatas. Suffecit enim una.

LXIX. *Uxor prima, labis expers, fuit creata.* Demonſtratur hoc eadem ratione, qua ſupra expoſuimus allata, hominem primum facultate colendi virtutem, & evitandi vitium, fuiſſe in creatione inſtructum. (§. 61) Adde, quod commercium viri ſancti cum fœmina ſtatim vitioſa fuiſſet inconveniens & penitus inſulſum. Hinc perſpicitur, uxori *Adami*, ſeu hominis primi, æque Deum impertiiſſe imaginem ſuam.

LXX. Experientia triſtiſſima oſtendit, homines quaquaverſum diffuſos ad vitia eſſe pronos, eisque ſeſe nonnunquam adſpergere. Miſeria hæc itaque eſt univerſalis. Si primus homo, ejusque poſteri, ex parte perſtitiſſent in ſanctitate,

nonnulli autem eorum in vitia prolapſi eſſent; homines deprehenderentur in orbe terrarum haud unius generis indolisque. Hinc redditur probabile, hominem primum in eo ſtatu, in quo ipſe cum uxore fuit a Deo conditus, haud perſtitiſſe, ſed induiſſe vitioſam cupiditatem, quam in progeneratos ex ſeſe poſteros propagaverit. Deo certe hæc vitiorum propagatio attribui nequit. *Homo* itaque *primus cum uxore a ſanctitate, & proclivitate in virtutem, deſcivit.*

LXXI. Quem præſcit Deus idem eſſe libere facturum, in eisdem circumſtantiis verſantem, ei imputare poteſt factum certo futurum vel in præmium, vel in pœnam. Animum magiſtratus quoque punit, non factum, animo & libertate vacuum. Cum itaque Deus, qui præſcit eventus quoscunque moraliter futuros, homines alios haud creaturus fuiſſet meliores & perfectiores primo homine, in quem quippe contulit tantum boni, quantum hic capere poterat; (§. *28*) ipſe omnino præſcivit, an reliqui hominum firmiori propoſito virtutem culturi, legemque ipſius cuſtodituri fuiſſent, quam primus homo cum uxore, ſi ipſi iisdem dotibus ornati, iisdemque conditionibus cincti fuiſſent. Cum vero firmitas propoſiti ſequatur dotes divinitus impetratas, earumque menſuram; quæſtio oritur, an firmius propoſitum tribui poſſit eis, qui plus boni in creatione impetrare haud potuerunt. Terricolas certe creare volebat Deus, dum *Adamum* creabat, quorum eſſentiæ ſunt æque æternæ, ac rerum aliarum.

Quo-

Quoniam vero exiſtimant nonnulli, finitudinem & labilitatem primorum duorum hominum haud conciliari poſſe cum perfectionibus Dei, ejusque operibus, adjungenda ſunt nonnulla, quibus nebulæ objectionum poſſint diſcuti ac diſpelli.

LXXII. *Deus non poteſt creare ſubſtantiam immenſe ſanctam, & perfectionibus Dei ſummis inſtructam.* Quicquid enim creatur, illud, antequam crearetur, haud exſtitit, ideoque haud eſt ſempiternum. Quicquid creatur, illud aliunde dependet, & contingens eſt. Quicquid aliunde dependet, illud eſt mutabile & finitum. Deus creatus eſt id, quod contradictione laborat. Quicquid itaque Deus creat, illud ſucceſſionum eſt capax, minusque neceſſarium. Quam ob rem illud non ſimul vires omnes finitas exſerit.

LXXIII. *Primi duo homines finitis viribus præditi fuerunt, earumque effectus haud ſimul repræſentare ac prodere potuerunt.* Demonſtratio patet ex eis, quæ jamjam expoſuimus.

LXXIV. *Malum* eſt defectus ejus, quod perfectionem conſtituit. Id, quod eſt finitum, haud continet omnes poſſibiles perfectiones. *Malum metaphyſicum* dicitur abſentia perfectionum, quæ per eſſentiam & indolem rei infinitæ in ſubjecto finito nequeunt adeſſe. *Malum morale* eſt actio, vel omiſſio, contra legem pugnans. *Malum phyſicum* eſt abſentia eorum, quæ per eſſentiam & indolem finitarum rerum nequeunt rebus finitis ineſſe ad beatitudinem mentium, ob admiſſum morale

rale malum. Malum phyſicum eſt vel in illo conſpicuum, qui peccat, ob malum morale illud; vel in alio exſtat propter illum, qui peccat. Illud vocabimus *pœnam*; hoc vero vocabimus *maledictionem*.

LXXV. *Homines primi duo poterant peccare.* Ipſi enim nec ſapientia, nec ſanctitate, nec bonitate, perfectiſſima & infinita erant præditi, (§. 73) & ipſi vires intellectus ac voluntatis haud ſimul exercere univerſas potuerunt. Potuerunt itaque ipſi judicium præcipitare, & actionem concipere, legi Dei adverſam.

LXXVI. *Poterant duo primi homines non peccare.* Inerat enim ipſis libertas. Inerat eis vis excitandi attentionem, poterant legem Dei continuo ob oculos habere, actionibus moras præmittere, & ſtatum imaginis Dei, in quo fuerant conditi, conſervare. Quare ſponte ſua & libere in leges Dei peccarunt.

LXXVII. Imago Dei ſumitur vel latiori, vel anguſtiori, ſenſu. Ad poſteriorem ſenſum referenda eſt notio perfectionis moralis finitæ, a lege Dei violanda liberæ. (§. 67) Hanc imaginem Dei homines primi duo, quia ab illa perfectione deſcivere, (§. 70) amiſerunt.

LXXVIII. Illud Deus per ſanctitatem ſuam impedire poteſt & debet. Impedire potuit ipſe omnino, ne homines illi primi imagine Dei privarentur. At quis dixerit, ipſum debuiſſe id ipſum impedire? Quis in Deum vel dominatum, vel majus perfectionum lumen, adhibebit, ut ipſum

ipſum poſſit vel cogere, vel convenientiora docere?

LXXIX. *Deus, ſalva ſanctitate ſua, permittere poteſt, ut homines libertate ſua abutantur.* Permittimus peccatum, ſi malum morale haud impedimus, quando poſſumus. Permiſſio ejusmodi eſt duplex. Una eſt recta, altera eſt prava. Illa eſt permiſſio, qua quis non impedit actionem, cui per ſeſe ineſt peccatum, cum impedire eam poteſt & debet. Deo autem præſcribere normam debiti quis poteſt? Si legislator continuo vellet impedire mala moralia, legi ſuæ repugnantia, quem in finem is tunc promulgaſſet legem? Si Deus nullum in homine permittere voluiſſet libertatis abuſum, quare ei, quippe finito, libertatem impertivit? At, libertatis, inquis, donum illud erat exitu funeſtum. Fuit ſane, fatemur. Deus etiam exitum illum calamitoſum prævidit. Nihilo ſecius verum eſt, 1) homines, a primis parentibus ortos, labem mali moralis in poſteros propagaſſe, 2) & Deum id ipſum permiſiſſe; 3) cujus ſanctitatem & perfectionem infinitam nemo in dubitationem revocare debet. Fuit ſane Deo graviſſima ratio, cur permittere voluerit, ut primi parentes ex malo metaphyſico in malum morale prolaberentur. At numquid puerulus, ſenem ſapientem inſipienter agere, merito ſuſpicatur?

LXXX. Ob malum morale ſequitur in peccante malum phyſicum, & in peccantis rebus ipſa ſuccedit fauſtitati maledictio. Sanctitas Dei legislatoris ſic id ipſum exigit. Non itaque eſt mirandum,

randam, exſtare in ambitu terrarum paſſim inundationes, famem, bella, peſtem, miſerias, incendia, procellas, aeris ſubitam viciſſitudinem, grandinem, ac complura alia ſanctiſſimi legislatoris monumenta, maledictionis plena. Deploranda ſane eſt hominum cœcitas, qui tot monumenta luculentiſſima haud convertunt in horrorem peccati, in emendationem mentis, ac in ſalutem generis humani novam.

LXXXI. Et hactenus quidem nihil rationis ſuppetit, cur ea, quæ *Moſes* de conditione hominum duorum primorum tradidit, in dubitationem ullam revocemus. Qui animadverterunt, plantas marinas nunc paſſim per fodinas & cavernas inveniri, plantas, inquam, olim marinas, nunc disjectas, diviſas, petrefactas, illi non poſſunt, quin aperte fateantur, univerſali quondam innundatione ambitum terræ marisque fuiſſe quaſſatum ac mutatum. Non eſt, quod jam de homine antediluviano petrefacto, de quadrupedibus inventis, piſcibusque effoſſis, eisque petrefactis, nonnihil commemorem. Id tantum adjungam, ex hiſce monumentis intelligi, expoſitionem de diluvio *Moſaicam*, ac delicta id prægreſſa, eaque teterrima, omnem præferre veriſimilitudinem, ſi Philoſophus, moderate & ſapienter hiſtoriam *Moſis* expendens, ad res orbis terrarum antiquiſſimas acceſſerit tractandas.

---

IV. IO-

# IV.

## IOANNIS CONRADI SCHWARZII OBSERVATIO DE ORIGINE NOMINIS ENTHUSIASMI

### I.

Ενθουσιασμὸς ex ἔνθα & ἴσια conflatum eſſe nequit, propterea quod nullum adverbium, cum hoc nomine coaleſcens, afferri, neque ſignificatio duorum iſtorum vocabulorum ſatis apta confingi, poteſt. Reſtat igitur, ut de nomine θεὸς cogitemus, a quo datur ἔνθεος, unde ἐνθεόω fieri potuit, ſicut ἀποθεόω, ἐκθεόω, ſuperſunt. Si quæras, unde verba, in ουσιάζω deſinentia, ducantur; nihil probabilius afferri poteſt, quam ex nominibus in ουσιος exeuntibus, quale eſt γερούσιος, unde γερουσιαστὴς reperitur, ἐθελούσιος, & conſimilia. Hæc autem etiam ipſa ex participiis fœminini generis nata videntur. Nam γέρων jam a *G. Oleario* ad participiorum referri cœpit numerum. His ante conſtitutis, facile dijudicari poteſt, utrum ἐνθουσιασμὸς ab ἐνθεόω, an ab ἔνθα & ἴσια, derivari commodius poſſit. Nam, qui apud gentes priſcas Dei alicujus pleni erant, ii, propter vividam & agilem Deorum naturam, vi quadam & motu efficaciſſimo pollere videbantur. Hinc exiſtere credebatur Baccharum furor, Pythiæ concitatio, impiorum hominum exagitatio & inconſtantia, quæ furiis auctoribus tribuebatur. Vid. *Montfauconius Antiq. illuſtr. Tom. I Cap. XXI.*

§. III

*§. III pag. 255*, *Livius Lib. XXXIX Cap. 15*, *Euripides in Bacch. v. 115 ſeq. & 298 ſeq. Virgilius Æneides Lib. VI v. 77 ſeq. Ovidius Metamorph. Lib. IV v. 498 ſeq.* Multos ſcriptores alios citare ſuperſedeo, cum nihil hæc res habeat dubitationis. Sed οὐσία ſignat vel *eſſentiam*, vel *ſubſtantiam*, vel *naturam*, vel *facultates*, ſeu *bona*. Quid igitur ſignarit vocabulum ex ἔνθεα & οὐσία compoſitum? *Remne*, ubi ſit *eſſentia*? At res omnes, etiam inertiſſimæ, ſuam habent naturam. Quid autem hæc natura ad vim quandam & motum eximium pertinet? An ἐνθουσία ſit *ſubſtantia inteſtina*? Quid vult ſibi *ſubſtantia* illa *domeſtica* & *interior*? Multis in cavis ſæpe multi jacent lapides, vaſa & ſupellectilia omnis generis. Num idcirco vis ibi ulla & agitatio vivida noſcitur? In hortis per hiemem multæ arbores, plantæ, herbæ, inveniuntur, ſed vita & vigore illo mirifico deſtitutæ. Ergo nec hæc ſignificatio talis eſt, ex qua ἐνθουσιασμὸς cooriatur. Mitto ceteros hominis οὐσίας poteſtates, quæ commotionem quandam animi vehementiorem, atque impetum mirabilem, non magis ſignificant, quam ſuperiores iſtæ. Ergo noſtri eſt officii, ut prior illa ἐνθουσιασμοῦ origo poſteriori præferatur.

II. Quodſi quis forte, contractionis inſolentia offendi ſe, dixerit; noſtrum eſt, ut huic quoque malo medeamur. Eſt, fateor, minus uſitata contractio vocalis ε & ο tali tempore, quale hic cernimus. Sed, meminerimus, licet, nomen Θουκυδίδου, *Thucydidis*, & νουμηνίας, *novæ lunæ*. Ita durities illa contractionis ſenſim lenietur.

III. Con-

III. Conſtat ergo ἐνθȣσιασμȣ̃ origo; conſtat contrahendarum literarum conſuetudo. Jam vis & natura illius nominis perveſtiganda erit. Reperitur enim ſine dubio definitio ejus alicubi. Quorſum illa *Plutarchi* verba *de Oraculorum defectu pag. 432* cumprimis pertinent: τὸ δὲ μαντικὸν, ὥσπερ γραμματεῖον ἄγραφον καὶ ἄλογον καὶ ἀόριστον ἐξ αὑτȣ̃, δεκτικὸν δὲ φαντασιῶν πάθεσιν καὶ προαισθήσεων, ἀσυλλογίστως ἅπτεται τȣ̃ μέλλοντος, ὅταν ἐκστῇ μάλιστα τȣ̃ παρόντος. Ἐξίσταται δὲ κράσει καὶ διαθέσει τȣ̃ σώματος, ἐν μεταβολῇ γινόμενον, ὃν ἐνθȣσιασμὸν καλȣ̃μεν. *Natura divinatrix, tanquam tabula raſa, & rationis expers, & ex ſe indefinita, affectibus autem imaginationum & præſenſionum capax, citra ratiocinationem res futuras aſſequitur, cum in præſens maxime fuerit extra ſe rapta. Rapitur autem extra ſe corporis temperie quadam & habitu immutata, quam rem enthuſiaſmum appellamus.* Pergit *Plutarchus*: τὸ μαντικὸν ῥεῦμα καὶ πνεῦμα θειότατόν ἐστι καὶ ὁσιώτατων, ἄντε καθ᾽ ἑαυτὸ δι᾽ ἀέρος, ἄντε μεθ᾽ ὑγρȣ̃ νάματος ἀφαιρῆται. *Divinatio eſt fluxus & afflatus diviniſſimus & ſanctiſſimus, ſive per ſe ex aere, ſive ex vino, corripiat.* His ex locis intelligitur, motu quodam acerrimo mentis, interea dum corpus temperatum & tranquillum eſt, enthuſiaſmum effici, & motum quidem iſtum extrinſecus in mentem incidere, non per aliquam naturæ, ſed Dei, vim excitatum. Ergo jam hoc confectum eſt, ut præclare intelligatur, per enthuſiaſmum *vim divinam*, &, quod ei conſequens eſt,

 maxi-

maximam & auguſtiſſimam, ab antiquis ſcriptoribus ſignificari. Quanquam autem vis iſta hic de divinatione dicatur; tamen nihil obſtat, quo minus ea etiam aliis rebus declaretur: dummodo hoc, quod *Plutarchus* meditate dictitat, acriter teneatur, vim illam eſſe diviniſſimam & ſanctiſſimam, hoc eſt, divinitatis propriam, divinitatis pleniſſimam. Eſt alius *Plutarchi* locus *de Pyth. oracul. pag. 404 E.:* Ουτως ὁ καλέμενος ἐνθεσιασμὸς ἔοικε μῖξις ἐιναι κινήσεων δυοῖν, τὴν μὲν ὡς πέπονθε τῆς ψυχῆς ἄλλα, τὴν δὲ ὡς πέφυκε κινεμένη. *Sic, qui vocatur enthuſiaſmus, miſturis duarum commotionum ſimilis eſt; alteram patitur, ut res ab animo diverſæ, alteram, uti natura ejus fert, cum movetur.* *Plutarchus* enthuſiaſmum comparat cum vertigine corporum, hoc eſt, rem divinam cum naturali; ſicut ſupra eundem ut divini quiddam cum viribus terræ contulerat. Non igitur origo nominis ἐνθεσιασμȣ̃ obſcura eſſe poteſt. Addatur *Plutarchus de Pyth. orac. pag. 406 B. & de Oracul. defect. pag. 412 A, & pag. 431 B.* Dæmones dicuntur facere κατόχες τοῖς ἐνθεσιασμοῖς καὶ φανταςικὲς τὲς προφήτας καὶ τὰς προφήτιδας, *prophetas & prophetiſſas vi divina plenos & imaginatione præſtantiſſimos.* Vide etiam *Diodorum Siculum Lib. IV pag. 211, Nicetam Iſaacum Angelum Lib I Cap. 5 B. pag. 238, Diodorum Lib. V pag. 323 D. edit. Rhodom. Ælianum Hiſt. Var. Lib. II Cap. 44 pag. 157, Pollucem Lib. I Cap. 18,* inprimis *Diodorum Siculum Lib. XVI pag. 427.*

IV Simillimum verbo ἐνθεσιᾷν eſt verbum ἐνθεάζειν apud *Euſebium Præparat. Evangel. Lib. II*

*Cap.* 2 *pag.*57 ex *Diodor. Bibliothec.*: Τὴν μητέρα πλανᾶσθαι κατὰ τὴν χώραν, λελυμένην μὲν τὰς τρίχας, διὰ τυμπάνων δὲ καὶ κυμβάλων ἐνθεάζουσαν &c. *Matrem furore actam ſparſis crinibus tympaniſque ac cymbalis afflatum numinis & impetum oſtendentem.* Et nomen ἔνθεος, ἔνθους, ſimiliaque,ſunt notiſſima, neque originem nominis ἐνθουσιασμοῦ minus confirmant.

V. Ad propriam hanc ſignificationem alludunt veteres ſcriptores identidem. *Polybius Hiſt.Lib.XI Cap.*10 de militibus Philepœminis: Ὥστε παραπλησίαν ἐνθουσιασμῷ τὴν ἀντιπαράκλησιν γίνεσθαι τῶν δυνάμεων. *Ut cobortatio copiarum divino furori ſimilis eſſet.* Paulo hinc longius recedit illud *Polybii de Virtutibus pag.* 1463, de *Scipione Africano Æmiliano* loquentis: Διὸ καὶ παραγενόμενος τις τὴν Ῥώμην καὶ προσλαβὼν τὸν τοῦ Πολυβίου πρὸς τοῦτο τὸ μέρος ἐνθουσιασμὸν κ. τ. λ. *Quamobrem, Romam poſtquam venit, adjuncto Polybii in ea parte ſtudio atque ardore.* Atque hæc translatio in multis Scriptorum veterum locis reperitur. Sed idcirco nondum eſt probatum, ἐνθουσιασμὸν a nomine θεοῦ non eſſe profectum. Si quis Latino nomine *ficulneus* translate uteretur pro *fragili*; num propterea *ficulneus* proprie non eſſet a *ficu*, neque *rem ficui propriam* ſignaret? Nemo ſibi hoc perſuadebit. Quocirca loca iſta, quæ Vir quidam literatiſſimus in contrarium attulit,ut nova illa ſuſpicio de ἔνθα & οὐσία conſtabiliretur, me non movent, nec movebunt. Rationes enim,quas initio propoſui, ut opinionem illam labefactarem, ſatis ſunt firmæ ac dilucidæ.

# V.

## IO. HENRICI LEICHII, LIPSIENSIS, SPECIMEN NOTARUM ET EMENDATIONUM AD GRÆCAS INSCRIPTIONES, A CEL. MURATORIO EDITAS.

Poſt tot inſignia veterum Scriptorum monumenta, e ſitu & tenebris in lucem protracta, Cel. *Muratorius* novum ac ſplendidum antiquitati lumen accendit, dum literatos lapides, partim nondum editos, partim ab eruditis, aliud agentibus, adductos, conjunctim emiſit. In his nonnullos, quorum jam *Gruterus* ceterique collectores mentionem fecere, deprehendi. Atque, ut exempla afferam, Ara J. O. M. dicata, cui ſacrificium inſculptum eſt, *pag. VI, 1, novi Theſauri*, apud *Gruterum* in *Auctario Inſcript. pag. 1007, 1*, reperitur. Idem elegantiſſimam tabulam votivam, Græcis verſibus exaratam, quæ plurimis graviſſimisque mendis maculata, apud *Muratorium pag. LI, 2*, habetur, *pag. 1068, 1*, emendatiſſime edidit. *P. CDL, 1, Murator. Collect.* Epigramma, *Trajano* imperante, Alonæ, ædiculæ inſculptum, ex *Cyriaci* ſchedis producitur; cujus octavus verſus ita concipitur:

*Scilicet & Superis munera ſola litant.*

*Ambro-*

*Ambroſius Morales*, qui ejus *Lib. XV de la Coronica general de Eſpanna pag. 285* primus mentionem fecit, ex fugientibus literis nihil ſe exſculpere potuiſſe, ait, verſumque ab *Antonio Nebriſſenſi* ita ſuppletum eſſe, *Petrus Pithoeus* in *Not. ad vet. Poemata pag. 582* prodit. Quare ſchedæ illæ a *Cyriaci*, qui forte nunquam in Hiſpaniam iter inſtituit, doctisque viris, quos modo nominavi, centum annis ætate præſtitit, manu eſſe nequeunt: licet alioquin, multas ipſum Inſcriptiones, quaſi in Hiſpania exſtantes, finxiſſe, compertum ſit; idque *Anton. Auguſtinus Dial. XI pag. 291*, & *Morales Lib. IX pag. 276, 281*, aliisque in locis, a) teſtentur.

 Dein-

a) Verba ejus, Latine a me converſa, in Præfatione hæc ſunt: *Adduxi paucos alios lapides ex iis, qui in doctorum & antiquitatis ſtudioſorum virorum, in Hiſpania, manibus verſantur, qui quidem non ſuſpicione carent, nec ullas, eos ſe vidiſſe, aut ab aliis, quod viderint, accepiſſe, teſtatur; ſed tantum ex Cyriaci indicio cognoſcuntur. Fuit ille in humanioribus literis & omni antiquitate egregie verſatus, multumque, in iis rebus, judicio valuiſſe videtur. Multis regionibus peragratis, collectisque Inſcriptionibus, librum de iis compoſuit, in quem plurimas, per Hiſpaniam repertas, congeſſit, quarum nonnullæ adhuc ſuperſunt, aliæ non amplius exſtant. Has quidam deperditas, lapidesque, quibus inſculptæ fuerunt, fractos eſſe, volunt; alii, Cyriacum eas finxiſſe, ut genio ſuo indulgeret, & ingenium oſtentaret, ſuſpicantur. Quocunque ſe res modo habeat, veniunt ipſæ in cenſum Hiſpanicarum antiquitatum, ſuntque admodum elegantes. Quapropter omnes ſuo loco protuli, ut nihil, quod in eo genere ab aliquo deſiderari poſſet,*

Deinde lapis ille non in civitate Alonenſi, (*Alicante*,) ſed Norbæ Cæſareæ, quæ & Pons Trajani, hodie *Alcantara*, eſt, exſtat, ejusque ultima verba: *C. Jul. Lacer H.S.F. & dedicavit amico Curio Lacone Igætidano*, quæ in Cl. *Muratorii* editione deſunt, *Andr. Reſendius*, a *Morale* per literas conſultus, docte explicavit. Vid. *Hiſp. illuſtr. T. II pag.* 1021 *ſeq.* Tegulas, Regis *Theoderici* nomine inſcriptas, *pag. DIV*, 10, *novi Theſauri*, *Gudius pag.* 96, 3, 4, & *Sponius* in *Miſc. pag.* 277, exhibent. Tumulum *Oneſimi*, *pag. DCXXI*, 1, memoratum, *Pithoeus* inter *vetera Poemata pag.* 119 retulit, pro: *Oneſimi Anicetus cariſſimo fecit Domino*, legens: *Oneſimus Anicetus.* In decreto Athenienſium, Delum inſulam inhabitantium, *pag. DCLXIII*, 1, ex *Monteſalconio* adducto, Græca non deſiderantur, ſed tum apud *Gruterum pag.* 405, 1, tum apud laudatum *Monteſalconium Diar. Ital. pag.* 43 *ſeq.* emendatiſſima habentur; citantur quoque ex parte a *Sam.* Petito *ad Leg. Attic. pag.* 202, & *Ant. van Dalen Diſſert. VI pag.* 451. *Oppiani* Poetæ epitaphium, ex Cod. MS. Biblioth. Ambroſianæ *pag. DCCXXVII*, 1, erutum, in vita ejus, a *Rittershuſio* Græce edita, licet ultimi verſus ibi paulo aliter concepti ſint, memoratur. Conf. *Fabricii Bibl. Gr. Lib. IV pag.* 626. Græcum marmor Tornaci a Cl. *Bimardo pag. MCXXVI*, 4, deſcriptum, *Gruterus pag.* 703, 1, & Epigramma, cujus initium eſt:

*Invi-*

*poſſet, deeſſet. Quoties vero ex incertis his lapidibus aliquem produxi, toties, eum talem eſſe, addito Cyriaci nomine, indicavi; æque vero, quos ipſe vidi, notavi.*

*Invida florentem rapuerunt fata puellam,*
*Muratorianis pag. MCCXXXIV*, *2*, inſertum, *pag.* *670*, *5*, imprimendum curavit. Apud eundem *pag. 718*, *1*, & *Pithoeum pag. 112*, *Septimiæ* titulus, initio mutilus, longe rectius ſuppletur:

*Verius hunc titulum matri tu nata dicaſſes:*

quam *Prius hunc titulum* &c. *pag. ead. 7*. *Mejæ* contra epitaphium, a Cel. Editore *pag. MCCLXIV*, *11*, integrius, quam a *Pithæo pag. 113*, profertur: *Coſſutii Cladi*, fabri, monumentum, *pag. MCCCXXXV*, *1*, a *Mazzochio p. 100. b.* & *Grutero pag. 644*, *1*, & Epigramma:

*Æternam tibi ſedem, Hermes, aramque dicavi* &c.

quod *pag. MCCCLI*, *11*, *Theſ. Murator.* legitur, *pag. 1034*, *5*, correctius luci datum fuiſſe, animadverti. In Procopes imprecatione, quam *Gruterus* etiam *pag. 820*, *1*, exhibet, ſublatæ in cœlum manus, a doctiſſimo Editore *pag. MCDXCII*, *9*, omiſſæ ſunt. Eas autem in hujusmodi monumentis perpetuo apparere, duo lapides, in Columbario ad Ariciam detecti, probant. Vid. *Ficoroni della bulla d'oro*, *pag. 20*. *Aurel. L. Fil. Hermiæ*, (ita enim emendandum) titulum, *pag. MDXXII*, *2*, apud *Gruterum pag. 1046*, *6*, & integriorem apud *Fabrettum Inſcr. Cap. V* *pag. 421*, Græcam *pag. MDCLXXX*, *11*, *Syllog. Murat.* apud *Smetium* & *Gruterum pag. 820*, *1*, reperi. Geminæ tumulum, *pag. MDCCXXIV*, *18*, editum, *Reineſius Claſſ. XVII*, *174*, & *Sponius* in *Miſcellaneis Sect. X pag. 357*, illuſtrarunt. Neque magis Salernitana illa: *Have Septimia, ſit tibi terra levis*, *pag. MDCCXLIII*, *14*, cum in *Gruteri Theſauro p. 1148*, *17*,

inveniatur; aut ſepulcralis inſcriptio, *pag. MDCCLXIX,7*, a *Grutero*,& *Petro Pithœo*,memorata,pro ineditis habendæ ſunt. Conf. *Muratorius pag. MCCXCII, 6, MCCCLXIV, 9, MCDXXVIII, 3*, & *MDXXXVIII, 8*, cum *Pithœanis pag.101,103,104*. In *Atimeti* & *Homonœæ* titulo ultimi verſus,quos *pag. MDCCLXXI, 1*, deſiderari apud *Gruterum* ait, in utraque magni Operis editione diſerte leguntur, & a *Petro Apiano*, *Mazzochio*, *Boiſſardo*, aliis, ita proferuntur. Sequenti eadem pagina Inſcriptioni:

*Nata, ſed in lacrymas ſolum: dolor omnibus inſtat* &c.,

a *Pithœo pag.114* hæc præfixa ſunt: *Vettia Megiſte & Vettius Oneſimus Symphoruſæ Alumnæ. Narciſſionis* quoque tumulus, mendoſe a *Ligorio* deſcriptus, *pag. MDCCLII, 12, Theſ. novi*, apud *Sponium pag.368* correctior prodiit. Lapis, Moguntiæ effoſſus, qui *pag.MDCCLXXII,11*, exſtat, ab *Heræo* inter Moguntina monumenta *n. VIII* ſuppletus explicatusque fuit. Ad ſpurias dubiæque fidei Inſcriptiones *pag. MDCCCXIII, 1*, hæc refertur, & Romæ in horto *Auguſtini Bronzoni* ſupereſſe dicitur:

*Dum rides, mihi baſium negaſti,*
*Dum ploras, mihi baſium dediſti,*
*Nata eſt de lachrymis mihi voluptas,*
*De riſu dolor, o miſelli amantes,*
*Sperate ſimul omnia & timete.*
*Mortuus oblivisſcar Flaviæ.*

Eam vero nunquam fortaſſe in marmore lectam, ſed ex *Joviani Pontani Carmine in Bathyllam*, quod inter ejus Hendecaſyllabos *pag. 193 ed. Ald.* legi-

legitur, effictam eſſe, obſervavi. Poſt verſum ſecundum duo alii a *Pontano* inſeruntur:

*Una in triſtitia libens benigna es,*
*Una in lætitia volens ſevera es.*

Ultimus autem ab aliis inepte adſutus eſt. Epigramma ſecundum *ead. pag.* recentioris Autoris fœtum eſſe, *Gruterus* quoque *pag. 912, 1*, pronunciavit:

*Cur natum cædit Venus? arcum perdidit. Arcum?*
*Nunc quis habet? Veneto Flavia nata ſinu.*
*Flavia cur rapuit? Dedit hic. Cur? Lumine formæ,*
*Deceptus, matri ſe dare crediderat.*

Ego vero illud *Ant. Thebaldei*, Ferrarienſis, Poetæ elegantiſſimi, & amici *Pet. Bembi*, eſſe, & inter *Carmina illuſtr. Poetar. Ital.* relatum, animadverti, ubi tamen *v. 2* ita exhibetur:

- - - *Tuſco Flavia nata ſolo.*
*Qui factum? Petit hæc, dedit hic.*

Multo elegantius, ut puto. *Pag. MDCCXVI Apollinis* oraculum, ad *Iſthmum* Peloponneſiacum inventum, quod *Petrus Apianus* quoque, ſed tantum Latine, inter ſacroſanctæ vetuſtatis Inſcriptiones *pag. 172* edidit, ubi tamen ſemper *Iſchion* pro *Iſthmon* vitioſe excuſum eſt, Græce producitur b). Id procul dubio *Cyriacus*, inter cujus *Epigrammata pag. 41* legitur, ex ingenio confinxit, homo, ut



b) Ejusdem generis Χρησμὸν Σιβύλλης, *Æmil. Porti* notis illuſtratum, cujus Cel. *Mosheimius* in Epiſtola ad *Lacrozium* meminit, eſſe arbitror. Inſerta eſt *Theſauro Epiſtol. Lacroz. pag. 299.*

ut e *Poggii Epiſtolis* apparet, ſatis quidem eruditus, ſed peſſimæ fidei. Ejus enim ætate, cum ad ingenua ſtudia homines rediirent, & vetuſtatis reliquias imprimis colligerent, cum illo ardore, verſutia & artes aliorum, qui magis ingenio præſtabant, creverunt. Tum libri, venerandam antiquitatem mentientes, e caſcis Bibliothecis eruti, omnis generis numi & inſcriptiones comparebant, quæ & Romani ſermonis terminos proferre, & origines urbium, familiarumque, illuſtriores facere, imo omnem veterem memoriam, a ſcriptoribus ſervatam, in aere & lapidibus exhibere videbantur. Addo, quod eruditi ejusmodi cimeliis plane inaſſueti eſſent, quippe quæ pauci legere, intelligere pauciores, poterant: ut illuſtri exemplo *Leonardus Brunus, Aretinus*, in literis ad *Nicolaum Nicolum*, Conſtantia perſcriptis, docet, quas inter familiares ejus Epiſtolas Cl. Abbas *Mehus*, novum literarum in Italia & inſigne ornamentum, non ita pridem edidit. Sed redeo jam ad Cl. *Muratorii Theſaurum*.

*Pag. CCXXX, 6*, ſequens marmor exſtat, Niceæ, in Bythinia, repertum:

*Αυτοκρατορι Νερβα Τραιανω,*
*Καισαρι Σεβαστω Γερμανικω*
*Δακικω και - - - συγκλητω*
*και δημω Ρωμαιων.*

Quæ *linea 3* deeſt vox, *βουλὴ* eſt, quæ cum *σύγκλητος* conjuncta in Græcis monumentis habetur. *Zoſimus Hiſtor. Lib. II pag. 129 ed. Oxon.*: *τȣ̃το βȣλευομένων αὐτῶν, ἧκε Τιτιανὸς, εἷς τῶν ἀπὸ τῆς ἐν Ῥώμῃ συγκλήτȣ βȣ-*

λῆς

λῆς, λόγυς ἀπὸ Μαγνεντίυ φέρων ὑπερηφάνυς. Frequenter quoque in lapidibus occurrit, quales inter Oxonienſes editi fuerunt, ut δόγματι συγκλήτυ *n. 182.* Conf. *Budæi Comm. Ling. Gr. pag. 552*, qui σύγκλητον βυλὴν pro Senatu Romano notat a Græcis poni, cum, ſi de Græcorum magiſtratibus ſermo ſit, ἐκκλησίας ſæpius dici ſoleat.

*Pag. CDXCIV, 3*, Epigramma non invenuſtum, baſi, cui tres Gratiæ inſiſtunt, Romæ inciſum, legitur. Ejus initium eſt:

*Sunt nudæ Charites niveo de marmore. At illas*
*Diva Columna ſuis ædibus intus habet.*

Diu multumque ſe dubitaſſe, utrum veterum, an recentiorum carmen hoc ſeculorum fœtus ſit, Cl. Editor profitetur. Tributum eſſe *Jo. Georg. Triſſino*, Poetæ Vicentino, c) cum in ejus adverſariis

c) Ejus Tragœdia, Sophoniſbe, & Beliſarius, ſeu Italia liberata, Poema heroicum, laudatur a *Jo. Oricellario*, (*Giov. Rucellai*) in *Apibus pag.* 233:

*Et tu, Triſſino, honor del bel paeſe,*
*Ch' Adige bagna, il Pò, Nettuno, e l' Alpe*
*Chiudon, deh, porge le tue dotte orecchie*
*Al' humil ſuon delle forate canne - - -*
*Deh, poni alquanto per mi' amor da parte*
*Il regal oſtro, e i tragici coturni*
*De la tua lacrimabil Sophoniſba,*
*E quel gran Beliſario, che frenando*
*I Gothi, poſe Heſperia in libertade,*
*O chiariſſimo honor de l' età noſtra.*

Orationem *Triſſini*, cum Vicentinorum Legatus eſſet, ad Principem Venetorum, *Gritti*, *Franc. Sanſovinus*

ſariis repertum fuerit, ſed vero ſimilius videri, quod ex antiquò marmore ab ipſo deſcriptum ſit. In eadem opinione *Petr. Pithæus* fuiſſe videtur, dum illud inter vetera Poemata retulit *pag. 124.* Ego vero, illud vix ducentos ætate annos ſuperare, certis ex indiciis cognovi. Primum verſus ipſi ſatis id probant, & DIVÆ appellationem viventi tributam, vereor, ut Latinæ linguæ genius admittat, aut ulla veterum autoritas, & conſuetudo, confirmet. Scriptores contra, qui a tenebris bona ſtudia in lucem revocarunt, ut in aliis, ita in hoc, antiquorum veſtigia deſeruerunt. Sic *Franc. Philelphus Lib. IX Ep. X: Tu me interim* Divo *Alphonſo commendato. Jo. Ant. Campanus Carm. Lib. III ad Pium II, Pont. Max. Opp. pag. XI edit. Rom.:*

*Ad te,* dive *pater, noſtrum decus, ire jubemur,*
*Et terræ ante tuos oſcula ferre pedes.*

Deinde *Pet. Apianus*, qui in *Inſcript. ſacroſ. vetuſt. pag. 126,* hos verſus in baſi vetuſtiſſima trium Nympharum marmorearum, Romæ in ædibus Dominorum *de Columna* repertarum, exſtare, ait, omne dubium Cel. Viro eximere potuiſſet. Quare ego, hic *Victoriam Columnam, Ferdinandi,* Marchionis Piſcariæ, conjugem, ſingularis animi & exempli fœminam, indicari, arbitror. Hæc illa eſt *Victoria,* quæ, cum carmina, Latine & Italice, elegantiſſima ſcriberet, præſtantiſſimorum ejus ætatis hominum ore ac ſermone celebrata fuit.

*Jovinus* in Orationibus variorum ad Principes Venetos edidit, loco primo.

fuit. d) Venit mihi hic in mentem alius Epigrammatis, eodem circiter tempore compoſiti, & a *Petro Apiano pag. CCCXXV*, *Boiſſardo T. VI pag. 25*, *Grutero*, *Petro Pithœo* inter *vetera Epigrammata pag. 3* & *614*, *Thomaſino* in *de Donar. pag. 203*, *Chiffletio de Aqua Virg. pag. 788*, & *Sponio Miſcell. pag. 37*, pro genuino vetuſtatis monumento adducti. Solus *Smetius* haud ſibi imponi paſſus eſt. *Hoc Epigramma*, inquit, *recenti marmori nuper*

d) *Paulus Jovius* de vita & rebus geſtis *Ferd. Davali ad Victoriam Columnam pag. 295*, *Gyraldus Hiſt. Poetar. ſui temporis Lib. II pag. 99 ed. Flor.*, Abbas *Dominicus de Santis* in *Memoria Columnenſium Procerum* (Romæ 1675): *Fabricius Columna filiam habuit poſtremam inter ſex natos, Victoriam, quæ natalium ſplendore non minus, quam formæ elegantia, morum candore, & ingenii acumine, præſtantiſſima fuit. Decem enim annorum infans, Ferdinandi, Regis Neapolit. contemplatione, Ferdinando, Marchioni Piſcaræ, filio, etiam Infanti, in uxorem arrhata, ut hic a Bellona & Marte nutritus, illa inter Muſas ab Apolline edocta, in armis & literis pariter claruere, merito Victoria, ob ſtyli altitudinem & inventionis raritatem, in ſuis operibus poeticis Sappho & Lesbiæ aſſimilata. Obitum viri, qui in obſidione Papiæ deceſſit, ſequenti Epigrammate aſſociaſſe traditur:*

*Non vivam ſine te, mi Brute, exterrita dixit*
*Portia* &c,

Sed errat *Dominicus*; hoc enim Carmen non *Victoriæ*, ſed *Joannis Thomæ Muſconii*, Soncinatis, eſſe deprehendi. Exſtant in Muſeo Ill. *Maſcovii* Carmina *Victoriæ Columnæ* Italica, Venetiis A. 1540 excuſa, in quibus Triumphus Crucis pietatem & ingenium plane egregium ſpirare mihi videtur.

*nup[illegible] inciſam, in hortulo Colotii ad aquæ virginis ductum, collocatum eſt: ſed, an vere antiquum ſit, & in vetuſto marmore alibi olim exſtiterit, neſcio.* Eſt autem hoc:

*Hujus Nympha loci, ſacri cuſtodia fontis,*
*Dormio, dum blandæ ſentio murmur aquæ.*
*Parce, meum, quiſquis tangis cava marmora, ſomnum*
*Rumpere: ſive bibis, ſive lavare, tace.*

Aquam Virginem, cujus ductus, *Tiber. Claudius* Cæſar, diſturbatos, a fundamento novos fecerat, *Angelus Colotius*, Epiſcopus Nucerinus, vir ſtudioſiſſimus antiquitatis, per hortos ſuos derivaverat. Id Poetis, quos illa ætas plurimos ferebat, ingenii aciem experiendi, occaſionem dederat. Carmina, quibus fontem illum celebrarunt, *Ubaldinus* in *Angeli Colotii vita pag. 32* adduxit, plura *Fauſtus Sabæus*, cuſtos Bibliothecæ Vaticanæ ſub *Paulo III*, cecinit, e quibus proxime ad noſtrum, quod inter ejus *Poemata Lib. I. pag. 67* exſtat, accedit. Allati autem verſus, quorum autor ipſe *Colotius* eſt, *Ubaldino* teſte *pag. 34*, ſoli marmori inſculpti ſunt; quamvis & illa verba, quæ ex Romano lapide *Boiſſardus Tom. VI pag. 78* deſcripſit:

NYMPHIS LOCI BIBE LAVA TACE.

eadem occaſione inciſa eſſe, ſuſpicari aliquis poſſit. Cum vero de Epigrammatibus, pro vetuſtis perperam adductis, mentionem hic injecerim, non poſſum non, quin Lectorem moneam, verſus, a *Petro Pithæo* inter *Poematia antiqua pag. 97*, a *Grutero* autem inter ſpurias Inſcriptiones relatos:

*Heu!*

*Heu! quid amor, male caſtus amor, mala crimina, poſſint,*
*Ipſa manu doceo cæſa Miella viri.* &c.

nec antiquos, nec unquam in marmore lectos eſſe. Eorum autor *Jovianus Pontanus* eſt, cujus inter Tumulos *Lib. II pag. 78 edit. Ald.* editi ſunt. Similes errores uno atque altero loco *Marq. Gudium* in *Sylloge Inſcriptionum* commiſiſſe, *Joſephus Bimardus*, Vir Cl. in *Diſſertatione ad Marm. Ant. Cap. VII pag. 32* notavit.

*Cyriaci Anconitani* Inſcriptiones ex ſchedis *Barberinis* fere omnes Clar. *Muratorius* repetit. Easdem habeo, forma majori in Italia juſſu Cardin. *Barberini*, anno circiter 1660, (ut ex *Bigotii* ad *N. Heinſium* Epiſtola, *Præf. Gruteriani Theſauri* edita, didici,) excuſas; quod ipſius miror diligentiam fugiſſe. Quam ex iis *pag. DLXXII, 5*, affert, Delphis inventam, partem alius conſtituit, *pag. CXXXIV, 2*, & denuo *pag. DXCIII, 1*, editæ:

Αγαθα τυχα
Αρχοντος εν Δελφοις τȣ Φλαβιου
Πωλλιανȣ μηνος Ειλαιου ιβ
βουλευοντων δε τας πολιος Επινεικȣ
τȣ Ευδωρου και Σωκρατȣς τȣ Κοσμȣ
και Τιβ. Ιȣλιȣ Λεοντος Αυτολυκȣ
τȣ ονησ ανεικα σω σωσυλου αι αυτου
προνοουντος αυτης Λαιδατȣ απεδοτο
τω Απολλωνι τω Πυθιω επ᾽. Ελευθεριᾳ
Γυναικα Σωσυλαν ετων κ.

Lin.

*Lin.* 7 nomina corrupta ſunt, legendum forte: τοῦ Ὀνησίμου. Σώστης Σωσύλου, ut ſenſus ſit:

*Bonæ Fortunæ*
*Archonte Delphis Flavio*
*Polliano, menſe Elæo, die XII.*
*Senatoribus urbis Epinico, filio*
*Eudori, & Socrate Coſmi*
*Et Tib. Julio, Leontis, & Autolyco*
*Oneſimi, Soſtes, Soſyli filius*
*Proſpiciente ipſi Lædato, tradidit*
*Apollini Pythio Libertam*
*Fœminam Soſylam, annorum XX.*

Sequitur deinde, ut ex editis *Cyriaci pag.* IX apparet:

Εν τη ωνη προγεγραμμενοις πασιν υπονοιεα σωσιτης σωσυλου τιθομαι την ωνημηνη μεν ενχαραζασα εις το ιερον του Πυθιου Απολλωνος εις θεατρον κατα τον νομον κηδεο εμη εις τα δαμοσια τας πολιος γραμματα δια του Γραμματεω Τιβ. Ιουλιου Λικαριονος Μαρτυρες οι ιερεις του Πυθιου Απολλωνος Γ. Μεμμιος Ευθυδαμος και Ευκλειδας Αστοξενου και Ιδιωται Ευδωρος Επινεικου, και Πολεμαρχος Δαμονος Μνησιθεος Αντιςεγους.

*Lin.* 1 pro υπονοιεα leg. ὁμόνοια; *lin.* 2 pro ωνημηνη μεν εγχαραζασα: ὠνημένην. ἐγχαράξας. *Lin.* 4 κατὰ τὸν νόμον, κ᾽ ἐδόμην, ut in *Marm.* 34 *Muſ. Kempiani*: δοῦναι ἐις τὴν στήλην. Vel ἀναγέγραπται, ut in *Oxon.* II, 85; Αναγραψάτω δὲ καὶ ὁ γραμματοφύλαξ τῆς βουλῆς καὶ δήμου τὰ ἀντίγραφα τῆς ὁμολογίας, ἐις τὸ δημόσιον. *Lin. ult.*

ult. pro Αντιγένες *Cyriacus* legit Αντιγένες. Inſcriptionis ſenſus hic eſt:

*In emtione ſupraſcriptis conſenſus. Soſtes Soſyli F. emtam mulierem offero, inſculpens id (memoriæ cauſa) in templo Pythii Apollinis, in Theatro, ut lex exigit, & retuli in publicum urbis tabularium, per ſcribam Tib. Julium Litarionem. Teſtes, Pythii Apollinis ſacerdotes, C. Memmius Euthydamus & Euclides Ariſtoxeni F. & Idiotæ Eudorus Epinici, & Polemarchus Damonis, Mneſitheus Antigenis (Antiſthenis).*

Manumiſſionis formulas, ad perpetuam rei memoriam, tum lapideis columnis inciſas, tum in publica tabularia per ſcribam ſenatus relatas eſſe, ex antiquis Inſcriptionibus apparet. Hic *Soſtes*, *Soſyli* filius, emtam a ſe mulierem libertate donaturus, in *Apollinis Pythii* templum, & theatrum, producit. Athenienſibus, in theatro manumittere, ne ſuſpicionem incurrerent, quaſi popularem auram captarent, lege olim interdictum fuit. Vid. *Sam. Petitus ad Leges Atticas Lib. II Tit. VI pag. 179.* Simile monumentum apud *Cyriacum* exſtat, & *Muratorium pag. DXCIII, 2*:

Ἔδοτο Καλλικράτεια τῷ Ἀπόλλωνι τῷ Πυθίῳ σῶμα γυναικεῖον· κ. τ. λ.

Aliud, quod, ex *Cyriaco* repetitum, *pag. DXCI, 4*, & integrius *pag. CXL, 4*, occurrit, in eundem cenſum referendum videtur:

Πόλις Κόαττονα ἀντίθειναν τὴν ἰδίαν θεράπαιναν Καλλιὼ ἱερὰν τῇ Ἀρτέμιδι.

 Quid

Quid ſit *κοάτονα*, ignorare me, fateor; forte urbis nomen latet. Pro Καλλα ſcribo Καλλιδα, ut *pag. ead. n. 51*:

> Αντίθησι τὰς ἰδίας δȣ́λας Καλλιδα, καὶ Πύθην.

Inter *Cyriaci* Inſcriptiones editum quoque eſt nobile illud eruditæ antiquitatis monumentum, quod apud *Muratorium pag. DLXXVIII* exſtat:

> Δεχονται το αργυριον επιτιμιον οριζετωσαν αυτοις κατα την της απεθιας αξιαν. ενειδροι παραδοντες ει εισφερειν μή βȣλονται ητα υπευθου πι εστωσαν τι πρωτον μεν κκατοσιαιον τοκω αφ ου δεον ποιησασθαι την ασορον ουκ εποισαντο μεχρι μηνων αλλωνδυο της τελευταιας αποδοσεως. μετα δε τȣς τοιουτȣς ει μένοιεν μη πειθομενοι αποδοσθωσαι οι αργυρο ταμιαι μετα τȣ κηρυκος τας υποθηκας εχοντων αυταις εξουσιαν αυξασθαι εξηκοντα ημερων πρωτον μεν τον δεδοκοτων ειτα και τον εγγυητων οι τιιες υπευθυνοειτων των ενδεησαιυδεν οφελȣ υπευθανοειτων ενδεησαντων οφ' εξηκοντα ηραιρων αφιλȣσιν εκτεισαι.

Mihi, ſingulis accurate perpenſis, ita legendum marmor videtur:

> - - - - - δέχονται τὸ ἀργύριον, ἐπιτίμιον ὀριζέτωσαν αὐτοῖς, κατὰ τὴν τῆς ἀπειθίας ἀξίαν. Ἔνεδροι παραδόντες ἐι ἐισφέρειν μὴ βȣ́λονται, ὑπεύθυνοι ἔςωσαν, ὅτι πρῶτον μέν ἑκατοςιαδιον τόκον, ἀφ' ȣ̃ δέον ποιήσασθαι τὴν ἐισφορὰν, ȣ̓κ ἐποιήσαντο, μέχρι μηνῶν ἄλλων δυοῖν τῆς τελευταίας

ἀπο-

ἀποδόσεως. μετὰ δὲ τούτους εἰ μένοιεν μὴ πειθόμενοι, ἀποδιδόσθωσαν οἱ ἀργυροταμίαι μετὰ τοῦ κήρυκος τὰς ὑποθήκας, ἐχόντων αὐτῶν ἐξουσίαν αὔξεσθαι ἑξήκοντα ἡμερῶν πρῶτον μὲν τῶν δεδανεικότων, εἶτα καὶ τῶν ἐγγυητῶν. Οἵτινες ὑπεύθυνοι, ἐν δεσμοῖς, ἐφ᾽ ἑξήκοντα ἡμερῶν, ὀφείλουσιν ἐκτίσαι.

Hoc eſt:

\- - - - *pecuniam accipiunt, ipſis multam definiant ſecundum contumaciæ culpam. Inquilini, fœnori pecuniam dantes, ſi conferre nolunt, rei ſunto, quod primum centeſimam uſuram, unde collationem facere oportet, non fecerunt, usque ad duos alios menſes ultimæ ſolutionis: poſthac vero, ſi contumaces perſiſtant, vendant fiſci præfecti pignora per præconem: habentibus poteſtatem, ea per ſexaginta dies prorogandi, iis primum, qui dederant, deinde etiam ſponſoribus. Si qui contumaces, in vinculis, per ſexaginta dies, pœnam ſubeant.*

Mos olim Athenienſibus fuit, certam pecuniæ ſummam in rempublicam conferendi, de qua εἰσφορᾷ ſingulis diebus triobolus δικαστικὸς civibus dabatur. Id vectigalium genus optimum ac tutiſſimum videbatur, cum plurimi civium plus inde quotannis reciperent, quam contulerant in fiſcum, ut ex *Xenophonte* & aliis *Cl. Salmaſius Lib. I de Modo Uſurarum pag. 30 ſeq.* docet. Alia eraniſtarum εἰσφορὰ erat, qui communem arcam habebant, in quam ſingulis menſibus certam ſtipem inferre ſolebant, obſervante eodem *Cap. III de*

*Uſur. pag.* 49, & in *Obſeru. ad Jus Attic. & Rom. Cap. I pag.* 48. Inquilini, fœnus exercentes, centeſimo menſe ſortem æquans, illam εἰσφορὰν diu neglexerant. Quod ne in poſterum accideret, ærarii præfecti, vendere pignora per præconem, lege jubentur; quod apud Athenienſes more receptum fuiſſe, ex *Androclis Sphettii*, & *Naucratæ Caryſtii*, Syngrapha apud *Demoſthenem* in *Orat. adv. Lacritum pag.* 592 *edit. Wolff.* apparet: Ἐὰν δὲ μὴ ἀποδῶσιν ἐν τῷ συγκειμένῳ χρόνῳ, τὰ ἀποκείμενα τοῖς δανείσασιν, ἐξέστω ὑποθῆναι καὶ ἀποδόσθαι τῆς ὑπαρχούσης τιμῆς. *Andocides Orat.* περὶ μυστηρ. *pag.* 208. Ἄτιμοι εἰσὶν, οἱ μὲν ἀργύριον ὀφείλοντες τῷ δημοσίῳ - - ἢ ὠνὰς πριάμενοι ἐκ τοῦ δημοσίου, μὴ κατέβαλον τὰ χρήματα, ἢ ἐγγύας ἠγγυήσαντο πρὸς τὸ δημόσιον, τούτοις ἡ μὲν ἔκτισις ἦν ἐπὶ τῆς ἐννάτης πρυτανείας· εἰ δὲ μὴ, διπλάσιον ὀφείλειν, καὶ τὰ κτήματα αὐτῶν πεπρᾶσθαι. Conf. *Sam. Petitus ad Leg. Attic. Tit. IV Lib. V pag.* 406. Ante vero, quam eo res perveniebant, debitoribus LX dies juſti fuiſſe videntur, ut triginta olim apud Romanos, qui ſucceſſu temporis ad duos menſes prorogati fuere, *l. un. C. Th. de Uſur.* Poſtremo autem, ſi contumaces debitores erant, per ſexaginta dies in vincula conjiciebantur, ut apud Romanos, ex lege Decemvirorum: *ni cum eo pacit, LX dies endo vinculis retineto.* Quod etiam *Heſychius* in voce ἐγκαλοσκελεῖς teſtatur: Οἱ μὴ ἀποδιδόντες τὰ χρέα, ἐν κάλοις ἐδεσμεύοντο τοὺς πόδας. Eam imprimis pœnam, qui ærario debebant, ſubire apud Græcos cogebantur. Inſignem locum apud

*Ando-*

*Andocidem Orat.* περὶ τῶν μυστηρ. *pag.* 218 obſervavi: Κηφίσιος μὲν οὑτοσὶ, πριάμενος ὠνὴν ἐκ τοῦ δημοσίου, καὶ ἐκ ταύτης ἐπικαρπίας τῶν ἐν τῇ γῇ γεωργηθέντων ἐνενήκοντα μνᾶς ἐκλέξας, οὐ κατέβαλε τῇ πόλει, καὶ ἔφυγεν· εἰ γὰρ ἦλθεν, ἐδέδετ' ἂν ἐν τῷ ξύλῳ.

*Pag. DLXXXVII*, 3, hi verſus leguntur, e *Cyriaci* ſchedis excerpti:

> Οἶδα δ' ἐγὼ ψάμμου τ' ἀριθμὸν καὶ μέτρα θαλάσσης,
> Καὶ κωφοῦ συνίημι, καὶ οὐ φωνεῦντος ἀκούω.
> Ὀδμή μ' ἐς φρένας ἦλθε κρατερὴ, οἷα χελώνης
> Ἑψομένης ἐν χαλκῷ, ἅμ' ἀρνειοῦσιν κρέεσσιν.
> Ἧ χαλκὸς μὲν ὑπέστρωται, χαλκὸν δ' ἐπίεσται.

Ad eos Cl. *Muratorius* ita commentatur: *Quid ſibi velint arcana hæc myſteria, & ſintne luſus, an aliquid ſerii, illis, qui talibus delectantur, perpendendum relinquo.* Hæc ille. Verum ii, qui in *Herodoto*, optimo ac vetuſtiſſimo ſcriptore, & unde nonnulla Vir Cl. *T. I pag. CXVII*, 1, *T. II pag. DCCXXI*, & *T. III pag. MDCCLXX*, 3, inſeruit, verſati ſunt, *Apollinis* reſponſum, Lydis, ad oracula tentanda, a *Crœſo* miſſis, datum agnoſcunt. Vid. *Herodoti Clio Cap. XLVII pag.* 18, ubi ſimul ea, quæ obſcura in hoc carmine videntur, prolixe explicantur. Primum verſum imitatum quoque *Horatium* eſſe conſtat *Od. XXVIII Lib. I v.* 1, 2:

> *Te maris & terræ numeroque carentis arenæ*
> *Menſorem perbibent, Archyta.*

 Citan-

Citantur porro a *Porphyrio* in *Plotini Vita p.γ.2*, *Oenomao*, cujus verba *Euſebius Lib. V Cap. 21 Præp. Evangel.* ſervavit, &, *Origene Lib. II contra Celſum pag. 65.* Ceterum, ſi ulla in re, certe in eo, *Cyriaci* ego fidem deſidero, quod, carmen lapidi inciſum, apud Delphos, ſe deſcripſiſſe, ait, multoque ſimilius vero videtur, eſſe ex *Herodoti* membranis ab ipſo erutum. In hujus enim æque, ac reliquorum Græcorum, monumentis tam egregie volutatus fuit, ut *diligentiſſimus antiquitatis indagator* ab *Ambroſio Camaldulenſi* vocari promeruerit *Hodœpor. pag. 30.*

Ex eodem ſequentem Inſcriptionem, Lacedæmone repertam, *pag. DXCV, 1*, denuo producit, cujus ultima verba in mendo cubare, arbitror:

Ιȣλιος Φιλικρατιδας - - - ενεγγοι
Μ. Πονιος Αλκαστος Ιȣλ. Φιληκρατιδας
Πολαμος Φιλοσοφος
Νεικοκλης Διμοσιος
Νεικοκλης νεος Διμοσιος
Εςιλτεμενος δις κατα Περσον.

Vertit *Muratorius: Julius Philocratida. Sponſores M. Ponius Alcaſtus, Julius Philocratida, Polamus Philoſophus, Nicocles popularis, Nicocles novus popularis, Eſtiltemenus bis juxta....*

*Lin. 1* legendum: Φιλοκρατίδας, ἔγγυοι. *Lin. 5* νέος δημόσιος perperam redditur: *novus popularis*, cum ſit *actuarius junior*; eoque ſenſu apud *Demoſthenem* περὶ παραπρεσβείας reperiri, *Thom. Reineſius* ad Marmor Arundellianum *Claſſ. VII n. 24*

*n. 24 Inſcript. pag. 501* obſervat. Εϛιλτεμενος quoque in ultima, monſtrum vocabuli eſt, & pro eo ſubſtituendum: ἐπεϛαλμένος δὶς κατὰ Πέρσας, *bis contra Perſas miſſus.*

*Pag. DCLVII, 1,* Græci verſus, Hermæ *Menandri* Comici inſcripti, poſt *Fulv. Urſinum, Boiſſardum, Gruterum, Clericum,* e *Gronovii Theſauro* e) denuo prodeunt, addita interpretatione, in qua nonnulla emendationem requirunt. Primum ac ſecundum verſum:

Ἐχρῆν μὲν στῆσαι σὺν Ἔρωτι φίλῳ σε, Μένανδρε,
Ὧι συνζῶν ἐτέλεις ὄργια τερπνὰ Θεῷ.

ita reddidit:

*Decet ſane initium ducere cum amore. Ama te, Menander.*
*O - - - - perficiebas Orgia jucunda Dei.*

Verus autem ſenſus hic eſt:

*Decebat ſane, te, o Menander, in una ſede cum amico tibi Cupidine locare, cujus in convictu Dei Orgia amœna celebraſti.*

*Verſu 7* melior forte lectio foret ἐδίδαξας, cum ſit ad *Menandrum* allocutio, quam ἐδίδαξα: in *v. 8* γαμῶν retinendum eſt, cum ita, omnium conſenſu ſcriptorum, in marmore exſtet, & γανῶν, quod *Clerico* placet, tam commodum & elegantem ſenſum minime recipiat:

Ἡδωνᾶς σκηνὴν δράμασι πᾶσι γαμῶν.



e) Vid. *Fulv. Urſini* Imag. Viror. Illuſtr. *Boiſſardi* Antiq. T. VI, 34, *Gruterum* pag. MXXVII, 2, *Clerici* Præfat. ad *Menandri* & *Philemonis* reliquias, *Gronovii* Theſaur. Ant. Gr. T. II pag. 19.

Quintum Diſtichon:

> Ου φαύλως ἔστησα κατ' ὀφθαλμοὺς, σε, Μένανδρε,
> Τῆς δὲ τ' ὁμηρείης φίλτατέ μοι κεφαλῆς.

ita converti poteſt:

> *Non male te, amiciſſime Menander, in conſpectum ſimulacri Homeri collocavi.*

In *Æliani* enim Bibliotheca, quæ Romæ erat olim in via Oſtienſi, *Homerum* ac *Menandrum*, heroici carminis & comœdiæ principes dedicatos, & truncum *Homeri*, quem, poſt *Urſinum*, *Boiſſardus* & *Gronovius* ediderunt, e regione *Menandri* ſtatutum fuiſſe, ex his verſibus apparet. Eos ita *Muratorius* interpretatur;

> *Non immerito meos ante oculos te ſtatui, Menander*
> *Amiciſſime, hominis ſane tibi obſequentis.*

Verum ὁμήρειος hoc loco non ab ὅμηρος, *obſes*, aut ἀπὸ τοῦ ὁμηρεῖν, *in unum convenire*, ſed ab Ὁμήρου, Poetæ, nomine, deſcendit, totiusque acumen Epigrammatis in hoc conſiſtit: *Menandrum*, qui *Amori* proximus ſtatueretur, quam *Homerus*, digniorem quidem eſſe; interim nec hujus ipſum conſortii pudere debere, cum *Ariſtophanes*, Grammaticus, eum ingenio & arte proxime ad *Homerum* accedere, pronuntiaverit. Locum ex *Ariſtophanis* Διορθώσει Ποιημάτων Ὁμηρικῶν, quam olim exſtitiſſe *Euſtathius* docet, indicari puto. Ceterum hæc antiqui Poëtæ Carmen *Anthol. Lib. V pag. 396 ed. H. Steph.* egregie illuſtrat:

Ἐστή-

Ἐστήκει δὲ Μένανδρος ὃς εὐπύργωσιν Ἀθήναις
Ὁπλοτέρε κώμοιο σελασφόρος ἔπρεπεν ἀστήρ·
Πολλάων γὰρ ἔρωτας ἀνέπλασσε παρθενικάων,
Καὶ χαρίτων θεράποντας ἐγείνατο παῖδας ἰάμβους,
Ἄρπαγας διστρέφεντας ἀεδιώτοιο κορείης,
Μίξας σεμνὸν ἔρωτι μελίφρονος ἄνθος ἀοιδῆς.

Quos totidem Latinis reddere conatus ſum:

*Sidus Athenarum, magnus luſusque jocique*
*Arbiter, hanc faciem tulit atque hæc ora, Menander,*
*Ipſe puellarum teneros formavit amores,*
*Progeniemque ſibi, ſine matre, creavit Jambos,*
*Pugnaces Jambos, Charitum Veneriſque miniſtros:*
*Eloquii miſcens divinum flumen Amori.*

Hinc etiam, cur *amabilis Menander* ſit ab *Auſonio Eidyll. Lib. IV* appellatus, apparere arbitror; *Quintiliani* vero locus ab ultimo editore ἀπροσδιονύσως videtur adductus eſſe, Ὁπλοτέρε autem κώμου ἀστὴρ dicitur, ut in Epigrammate *Thomæ Scholaſtici Anthol. Lib. IV pag. 376 Demoſthenes, Thucydides, Ariſtides,* Ῥητορικῆς τρεῖς ἀστέρες. Ceterum *Guil. Fleetwoodi* ſententiæ, qui, verſus, lapidi inſculptos, diverſos diverſorum luſus eſſe, nec magnam vetuſtatem, aut elegantiam, ſpirare, putat, accedere nequeo. Vid. *Syll. Ant. Inſcr. pag. 174.*

Parenti, quæ Iſtriæ civitas eſt, hodie *Parenzo*, ſequentes verſus lapidi inciſos *pag. DCCVII*, *3*, profert, quorum autoritate, ſepultum apud ſe *Homerum* eſſe, cives urbis mentirentur:

Ἔνθαδε τὴν ἱερὰν κεφαλὴν κατὰ γαῖα καλύπτει
Ἀνδρῶν Ἡρώων κοσμήτορα θεῖον Ὅμηρον.

Verum, hoc inepti nebulonis commentum eſſe, nec unquam ibi eos inſculptos fuiſſe, conjicio. Sunt tamen vetuſti, atque ex *Authol. Lib. III pag.* 328 repetiti, eosque imitata eſt *Aurelia Atalanta*, *Alcibiadis*, patroni ſui, monumento ipſos inſcribens. Lapis Romæ exſtat, & apud *Muratorium pag. DCLXXI, n.* 2:

Ἔνθαδε τὴν ἱερὰν κεφαλὴν κατὰ γαῖα καλύπτει,
Ἀνδρῶν ἡρώων κοσμήτορα θεῖον Ἀλκιβιάδην.
Αὐρηλ. Ἀταλάντα ἰδίῳ πατρώνῳ καλῶς βεβιωκότι ἐποίησε.

Similis apud *Gruterum pag. MXLIII*, 1:

Ἔνθαδε τὴν ἱερὰν κεφαλὴν κατὰ γαῖα καλύπτει
Ἀνδρὸς θείου Πουβλίου Ταπλίου Καπιτῶνος κ.τ.λ.

Cum hic de ſepulcralibus lapidibus mentionem fecerim, non poſſum non, quin unum alterumque integritati reſtituam, ex iis, qui *Claſſe XIII* a Cel. *Muratorio* editi ſunt *pag. CMLVIII*, 1:

Ιτοριοιο ταφος νεοπενθεος ω ταφος
Οσσην συγκλητοῖς αρετης ευκλεειην.
Ηα τεκεις ουκ ιδεις τραγικης μεσης
Ουκ ευληρος ανηρ ουκ απεων ρητηρ.
Αξια σειο φρασει ονος εφυς πραπιδας

Θιος

Οιος χρονος οιος ιελλες οσσ ανθ ως
Πρεσβυς καιρος εων κρατεες Νυμφην δ
Η - - - - - ει εγω θειεστ εες ετρεφον οιω τλη
Μον ευυφευσων ηρπασε προσθ αιδης ουδε
Γαμων υμεναιον αεισαμεν αμαρει μενοι
Παρθενιην ερατην σωσαντεως Αιδου.

Vertit *Muratorius*:

> *Itorii ſepulcrum, o ſepulcrum quotidie deflendum,*
> *Quantam reſolviſti gloriam virtutis!*
> *Retines & neſcis tragicam Muſam,*
> *Non præperitus homo, non eloquens rhetor,*
> *Digna ſatis de te dicat. Qualis mentis ſapientia;*
> *Qualis venuſtas corporis fuit in prima lanugine, qualis erat, uti*
> *Senis in adoleſcentia virtus - - - - -*
> *- - - - - - - - - - ſed miſerum*
> *Nunc heu, cum perfectus eſſet, rapuit ad inferos. Neque*
> *Nuptiarum Hymenæum cecinimus unquam,*
> *Caram virginitatem ſervavit usque ad inferos.*

Ex decem verſibus hoc elogium conſtare, & *Itorium* Poetam Tragicum exſtitiſſe, ſibi videri, in addita nota Cl. Editor ait.

Mihi elegantiſſimus titulus ita conſtituendus videtur:

> Ἰτορίοιο τάφος νεοπένθεος· ὦ τάφος, ὅσσην
> Συγκλείσας ἀρετῆς εὔκλειαν, - - - - -
> Οὐκ ἴδρυς τραγικῆς Μούσης, οὐκ εὔλιρος ἀνὴρ,
> Οὐκ ἐπέων ἰητὴρ ἄξια σεῖο φράσει.

Οἷος

Οἷος ἔφυς πρόπιδας, οἷος χρόας, οἷος ἰούλους,
Ὅσσην θ', ὡς πρέσβυς, κοῦρος ἐὼν, κρατέεις.
Νύμφην δ' ἣν σοι ἐγὼ, θεῖος τεὸς, ἔτρεφον, οἴ, ὄι
Τλήμονα! νυμφεύσων ἥρπασε πρόσθ' Ἀΐδης.
Οὐδὲ γάμων ὑμέναιον ἀείσαμεν ἄμμ' ἄρα μοῦνον
Παρθενίην ἐρατὴν σῶσαν ἕως Ἀΐδου.

*Itorii, magno in luctu nuper ſepulti, tumulus.*
*O tumule, quantam*
*Clauſiſti virtutis gloriam, - - - - -*
*Non tragico carmine, aut lyra, cantare doctus vir,*
*Non diſertus orator, digno te elogio celebraret.*
*Qualis pectore, qualis facie, qualis lanugine, eras,*
*Quantum, ut ſenex, cum ætate juvenis eſſes, pollebas!*
*Sponſam vero, quam tibi ego, patruus tuus, educabam, væ, væ*
*Miſeram! ſponſus antea jam orcus rapuerat.*
*Neque hymenæum ſimul cecinimus; nempe tantum*
*Caram virginitatem usque ad inferos ſervavit.*

Cum primis verſibus plane conveniunt hæc *Leonidæ* ex Epigrammate *Anthol. Lib. III pag. 214*:

Οἵαν γαῖ' ἀμφέχανες κεφαλήν.

Verſus octavus ex *Euripide* videtur expreſſus eſſe, cujus verba in *Iphigen.* in *Aulide v. 450* hæc ſunt;

- - - - τί; παρθένον
Ἅδης νιν, ὡς ἔοικε, νυμφεύσει τάχα;

Confer, quæ ad *pag. MDII, 11*, infra notamus. Ultimi verſus alludunt ad morem antiquorum, qui in

in nuptiis liberorum Hymenæum canere ſolebant. *Muſæus* de *Herone* & *Leand.* *pag. m.* 13:

Οὐχ ὑμέναιον ἄεισε πατὴρ, καὶ πότνια μήτηρ.
Ἀλλὰ λέχος στορέσασα τελεσσιγάμοισιν ἐν ὥραις
Σιγὴ παστὸν ἔπηξεν, ἐνυμφοκόμησε δ' ὀμίχλη·
Καὶ γάμος ἦν ἀπάνευθεν ἀειδομένων ὑμεναίων.

Epigramma, quod *Lib. III Anthol.* occurrit, *pag.* 212:

Ἀλλὰ μὲν ἐ γεννύων ὑπεδέξατο κέριον ἄνθος
Ἡλικίη ἐρατή, ἐ γάμον, ἐ δαΐδας,
Οὐχ ὑμέναιον ἄεισε περικλυτὸν, οὐ τέκος εἶδεν &c.

Initium Epigrammatis *pag. MLXXVI, 4,* ita poſt *Gruterum* a Cel. *Muratorio* exhibetur:

Υιος εγω γενομην Αγαπωλλενε ωμελλιγεισσα
Κουιντα τεκεν θαλερη ρηγμω εν διερω
Ενδυκεως δ' ετρεφον τε κατειμητον με καλεσσαν κ. τ. λ.

& Latine redditur:

*Filius ego fui Agapolleni. Omelligiſa*
*Quinta me peperit juvenis humido in Rhegio*
*Accurate vero nutrierunt & honore me dignum vocabant.*

*Verſu 1* legendum eſt, ut *Gruterus* quoque edidit: Ἀγαπωμένε, ὦ με μιγεῖσα, & in *tertio*: οἱ δὲ τρέφοντες Ἀτίμητόν μ' ἐκάλεσσαν. Ita autem vertendum;

*Filius ego Agapomeni fui, cui mixta,*
*Me Quinta, adhuc ætate florens, in humida urbe Rhegii peperit.*
*Cum cura vero nutrientes me, Atimetum vocarunt.*

Figura literæ λλ paſſim Virum ſummum in errorem induxit, ut pro duplici λ acciperet. Ita in *Narciſſionis* titulo *pag. MDCCLII, 12*, Θεολιηστορος, λλιατρωνα, pro Θεομηστορος, & Ματρωνα, & *pag. 321, 10*, αμα pro ἀλλα, excuſum eſt.

*Pag. MCLXV, 10*, ſequens Inſcriptio exſtat, cujus ultima verba deſcriptoris vitio corrupta ſunt:

Θ Κ.
Φλ. Αλεξανδρω
βιωσαντι ετη Ζ μ. Α Ημ. γ.
Ω. Ζ. Κλ.
Ηλιονη βιωσαση ετη λε. μ. α. ημ. γ.
Κατεσκουασ. αν το μνη. μνα
ασχαριν τα τε
κηλ αυτων εκ
των ιδιων.

Ex verſione Cel. *Muratorii:*

*Diis manibus. Flavio Alexandro, qui vixit annis VII, menſe I, diebus III, horis VII. Claudia Helione, quæ vixit annos XXXV, menſem I, dies III, - - - - memoriæ cauſa.*

Ultima verba ita emendari debent:

Κατεσκεύασαν τὸ μνημεῖον μνείας χάριν τὰ τέκνα αὐτῶν ἐκ τῶν ἰδίων.

Totam

Totam vero Inſcriptionem ita reddo:

*Diis manibus*
*Flav. Alexandro*
*qui vixit annos VII, menſes I, dies III,*
*horas VII,*
*Claudiæ Helionæ*
*quæ vixit annos XXXV, menſem I, dies III,*
*Monumentum, memoriæ cauſa,*
*Liberi eorum de ſuo poſuerunt.*

Obiter *Jac. Sponii*, Viri Cl. παρόραμα noto, qui in *Miſcellaneis erud. antiqu. Sect. X pag. 331* Græcum marmor:

Σωτιας Σωσθενη τον γλυκυτατον μȣ ανδρα
Εκ των εαυτȣ μνειας χαριν,

ita convertit:

*Sotias Soſthenem meum maritum ex meâ pecunia, memoriæ ergo* : cum debuiſſet, *ex ipſius pecunia.*

Epitaphium Juvenis naufragi, quod etiam apud *Cyriac. pag. XX* legitur, exſtat *pag. 1079, 2*, &, ſanatis iis, quæ hiulca erant, ita conceptum eſt:

Βασιλείδης ἔτων κγ

Πυνθάνεαι τίς ἔφυν, ξεῖνε, τίς δ᾽ ἐγενήθην
Ὦ παροδῖτα, μάθε, σὰς ὀλίγον πρὸ τάφων.
Γεννᾷ μὲν Γλαῦκος με πατὴρ, τίκτει δὲ με μήτηρ
Χρυσογόνη καί μου δύσμορος οὐκ ὄνατο.
Τηλόθι γὰρ πάτρης Βιθυνίδος ὤλεσα θυμὸν
Ναυτιλίῃ κρυερᾷ, νηῒ δὲ μὴ πίσυνος.

Κεῖμαι

Κεῖμαι δ'. ἐν Σχερίῃ παρὰ θεῖν' ἁλὸς ἠνεμόεσσαν
Ὕπατα λυγρὸν ἐμοὶ δερκόμενος πέλαγος.

*Quæris, quis fuerim, hoſpes, quibus natus ſim,*
*O viator, diſce, paululum ante ſepulcrum gradum ſiſtens.*
*Genuit me Glaucus pater, peperit vero me mater*
*Chryſogone, nec a me infelix adjuta eſt.*
*Procul enim a patria Bithynia animam amiſi*
*Horrido naufragio, & navi non confidens.*
*Jaceo vero in Scheria ad ventoſum maris littus,*
*Ultimum, triſte mihi pelagus intuens.*

In primo verſu duæ ſyllabæ deſunt; in ſecundo perperam *Muratorius* παροιχοδέντα edidit; quartum vero ita reddidit:

*Chryſogone. Sed, me infelicem! nihil profuit.*

Lacunam in ſexto: Ναυτιλίῃ - - - ſupplevi voce κρυερῇ, ut in *Anthologia Epigramm. Græc. Lib. III*:

- - - κρυερῆς ἥψατο ναυτιλίης.

*Pag. DLXXXIX* elegantiſſimum extat civitatis Delphorum ψήφισμα, quo *Dicarcho Laodiceno*, optime in civitatem promerito, προξενίας & ſacerdotii dignitatem, aliaque jura, decernit. Mendoſiſſime editum eſt primum a *Cyriaco pag. XXVII*, deinde a *Muratorio* Latine redditum:

Ἀγαθῇ

Αγαθα τυχα Αροντος Ελεον.

Επειδη Δημοκρατης και Τιμασικα Θαμβοποιευς
εξαποσταλεντες
Θεωροι ποτι ταττοντες τα επι ταν εκκλησιαν
αναγγελλεται
Περι Δικαιαρχου του Φιλωνιδα Λαοδικεος οτι
ανηρ αγαθος τε
Τοπον και ταν πολιν των Δελφων και περι-
πλειστου ποιειμενος
Την ποτι τους θεους ευσεβειαν ευπρασσων πα-
ρασκευαζει
Εν παντι καιρω και κοινα α τα πολει και ιδια
τοις εντυγχανων
Τοις κατασκευαζων παρακαλει και τοις αφ-
ικνουμενοις
Δελφων ποτι τον βασιληα Αντιοχον συνεργει
μετα πασης
Προθυμιας και τυγχανων χρειην εχοντας και
α λεγει
Και πρασσει διαπαντος παρα τω βασιλει Αν-
τιοχω
Περι του ιερου και τας πολιος των Δελφων Αγα-
θα τυχα
Δεδοκται και πολει των Δελφων αγοραις αφ'
οις ταις
Εννομοις επαινεσαι Δικαιαρχον Φιλονιδα Λαο-
δικεα των
Ποτι θαλασσαι ειται ιευσωστιαι και επταιλοι-
γαι προ διερεσεαν
Εχων τυγχανει ποτι το ιερον και ταν πολιν των
αυτωις

Θεωροδοκιαν των δε Πυθιων και Σωτηριων ειμεν δε
Αυτον και προξενον και ευεργετανιον τε ιερου και
Τας πολιος των Δελφων και υγαιν αυτω προμαντειαν
Προδικιαν ασυλιαν ατελειαν πανιαν εμπρασειςτοις
Αγωνοις απραγμοσυνην και τ' αλλα τοιαυτα και τοις
Αλλοις προξενοις και ετεροις κλισει παρα της πολιος.

In *prima lin.* legendum videtur: Ἄρχοντος Ἐλέωνος: in *ſecunda*, pro τιμας νικα, vocibus diſpunctis, Τιμᾶς Νικίου, ut apud *Cyriacum* exſtat: in *quinta* ἀναγγέλλονται. *Lin.6* leg. ὅτι ἀνὴρ ἀγαθὸς τ' ἐπίπαν, ut in ſimili, apud *Gruterum pag.400*: ἀνὴρ διὰ παντὸς εὔνες. *Lin.8* aut καὶ delendum, aut reponendum, καὶ ἱερὸν περὶ πλείστε ποιέμενος. *Lin.12*, καὶ κοινεῖ τῷ πόλει, καὶ ἰδίᾳ τοῖς ἐντυγχάνεσιν κατασκευάζων: ut in Oxonienſi *CLVI pag. 91*: καὶ χρείας παρέχεται καὶ κοινῇ τῇ πόλει, καὶ ἰδίᾳ τοῖς ἐντυγχάνεσιν αὐτῷ τῶν πολιτῶν, & in alia apud *Gruterum pag. 419*: καὶ ἰδίᾳ τοῖς ἐντυγχάνεσιν αὐτῷ τῶν πολιτῶν συμπαρίσταται. *Lin. 24* forte ita emendanda: Δελφῶν καὶ ἀγορᾷ, ἐφ' οἷς, τοῖς ἐννόμοις ἐπαινέσαι, hoc eſt, *honore afficere*. *Demoſthenes* περὶ παραπρεσβ. *Cap. 16*: τέτες, ὦ Ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἐπαινέσετε, καὶ τιμάσετε, καὶ στεφανώσετε &c. Quæ vero ſequuntur *linea 28*, mendoſa ſunt, ut inde nihil exſculpere potuerim. Ultima verba ita reſtituo: ἐπὶ τῇ αἱρέσει,

ἂν

ἂν ἔχων τυγχάνει ποτὶ τὸ ἱερὸν καὶ τὰν πόλιν, καὶ διδόναι αὐτῷ &c. ut in Oxon. *CVI*: ἐπὶ τῇ αἱρέσει, ἣ ἔχων διατελεῖ περὶ τὸ ἱερὸν καὶ τὸν δῆμον τῶν Δηλίων. Deinde verba, quæ antecedunt, huc transponerem, legeremque: τὸν ἐπὶ τῇ θαλάσσῃ ἔισπλουν καὶ ἔκπλουν, Θεωροδοκίαν τῶν δὲ Πυθίων, κ. τ. λ. ut in lapide apud *Gruterum pag. 419. Lin. 34* corrige: Ευεργέταν τοῦ ἱεροῦ καὶ τᾶς πόλεος. *Lin. 35 & ſeq.* ita lego: καὶ εἶναι αὐτῷ προμαντείαν, προδικίαν, ἀσυλίαν, ἀτέλειαν πάντων, προεδρίαν ἐν τοῖς ἀγῶσι, καὶ τὰ ἄλλα, ὅσα καὶ τοῖς ἄλλοις προξένοις καὶ ἐυεργέταις κέκριται (aut δέδοται, ut in aliis hujus generis Inſcriptionibus apud *Gruterum pag. 419 & Oxon. 156.*). Si vero alicui ea, quæ nominatim hic recenſentur, jura & privilegia accurate cognoſcere animus eſt, *van Dalium* conſulat in *Diſſertation. Ant. Diſſert. VI.* De προμαντεία modo obſervo, eam integris interdum populis a Delphicis conceſſam eſſe. *Plutarchus* in *Pericle pag. 164*: Τῶν Λακεδαιμονίων, ἣν ἔδωκαν αὐτοῖς Δελφοὶ προμαντείαν, ἐις τὸ μέτωπον ἐγκολαψάντων τοῦ χαλκοῦ λύκου, λαβὼν καὶ αὐτὸς προμαντείαν τοῖς Αθηναίοις ἐις τὸν αὐτὸν λύκον κατὰ τὴν δεξιὰν πλευρὰν ἐνεχάραξε.

Jam vero Inſcriptionis, ut a nobis correcta eſt, verſionem, Lector, accipe:

*Bonæ Fortunæ. Sub Archonte Eleone.*

*Quoniam Democrates & Timas, Niciæ F. Dambopoieus, legati miſſi, ut ea, quæ in concione proponerentur, conſtituerent, de Dicæarcho Philenida, Laodiceno, nuntiant,*

 *quod*

*quod vir bonus ſit omnino, urbemque Delphorum (& templum) plurimi faciat, pietatem in Deos religióſe colat, ſuccurrat omni tempore & publice civitati, & privatim eis, qui cum ipſo verſantur, ſuppeditet (multa) iisque patrocinetur: quod, Delphicis ad Antiochum Regem profectis, alacriter ſubveniat iis, quibus neceſſe eſt, & opituletur; eaque* (retulerunt,) *quæ dicit & facit ſemper apud Regem Antiochum, pro templo & urbe Delphicá, Q. F. F. S. Viſum fuit urbi Delphorum, & concioni, ob eam cauſam legitime honorare Dicæarchum Philonidæ fil. Laodicenum, ob propenſum animum, quem erga templum & urbem fovet, dare ipſi jus adnavigandi & enavigandi in mari, curam Pythiorum & Sotericorum, agnoſcere ipſum hoſpitem publicum, & benefactorem templi, & urbis Delphicæ, dare ipſi jus oracula primo loco conſulendi, jus patronatús, jus ſecure ac libere ab hoſtili ſpoliatione res ſuas importandi, immunitatem a vectigalibus omnibus, principem locum in ludis ac certaminibus, vacationem a muneribus, & reliqua, quæ aliis quoque hoſpitibus & beneficiorum autoribus a civitate decreta ſunt.*

Simile decretum *pag. DXC, 1*, legitur, Ægii in Achaia repertum, cujus ultima verba émendatione indigent:

*Και τ᾽ αλλα παντα, οσα και τοις αλλοις προξενοις*
*Διευεργεταις δεδοται επι δαμιοργ - - - - η Γαβρις Νεανδριδα.*

Scri-

Scribendum eſt: *καὶ εὐεργέταις*, deinde ſupplendum: *ἐπὶ δαμιοργίη*. Quanquam enim ſpatium grandius eſſe videatur, quam quod duabus literis expleri queat, tamen, ſi cum *Cyriaci* editione *pag. VIII, 62*, conferatur, ſatis noſtræ veritas emendationis apparebit. Achæos vero Prætores ſuos *δαμιοργὺς*, non *δημιουργοὺς*, appellaſſe, *Livius* docet *Lib. XXXVIII Cap. 30: Philopæmen legem parabat ferre, ut in omnibus civitatibus, quæ Achaici concilii eſſent, invicem conventus agerentur, & ob adventum conſulis, Damiurgis civitatum, qui ſummus eſt magiſtratus, Ægium evocantibus, Philopæmen (Prætor tum erat,) Argos conventum edixit.*

In villa Pamphilia ſequens Epigramma, de quo tamen, an genuinum ſit, adhuc dubito, *Franciſcus Ptolemæus*, f) vir non aptiſſimus ad deſcribendos lapides, invenit; quod *Muratoriana* Collectio *pag. MCCCXXI, 10*, exhibet:

*Μη μου παρελθης το επιγραμμα οδοιπορε αιμα σταθεις ακουε και μαθων απι ουκ εστι εν αδε πλοιον ου πορθμευς καρων ουκ αιακος κλειδουχος ουχι κερβερος κυων ημεις δε παντες οι κατω τεθνηκοτες οστεα τεφρασε γονωμεν αλλο δε ουδε εν ειρη και οιορθωσυπαγεοδυιγιορε μη και τεθνακω. γαθελεσχοσοι φανω. μη μυρα με στεφανες στηλλη χαρις ηλιθος εστιν μηδε το πυρ φλεξ εισιανενον η δαπανηζωντιμοιειτις χεις μεταδος τεφραν δε μεθυσκων πηλον ποησεις και*

 ουκο-

f) Fuit Pandectarum in Gymnaſio Romano interpres, ejusque *Vetuſtalia, ſeu ſacræ vetuſtatis admiranda*, Romæ A. 1664, 8, prodierunt.

ουκοθανων πιεται τȣτο εσομαι γαρ εγω
συδε τȣτοις την ετυχωσαις ειπε ο τε| ουκ διν
τουτο παλιν γεγονα

Monſtra hic verborum ſunt; e quibus ſanus ſenſus elici nullus poteſt. Non difficulter tamen pleraque, puto, reſtitui ac refingi poſſunt, ſi voces, continua ſerie procedentes, ita divellantur:

Μή μȣ παρέλθης τὸ ἐπίγραμμα, ὁδοιπόρε, ἀλλὰ στὰς ἄκουε καὶ μαθὼν ἄπιθι. Οὐκ ἐστὶ ἐν ᾅδȣ πλοῖον, ὀυ πορθμεὺς Χάρων, ὀυκ Αἴακος κλειδȣ̃χος, ὀυχὶ Κέρβερος κύων· ἡμεῖς δὲ πάντες οἱ κάτω, τεθνηκότες, ὀστέα, καὶ τέφρα γεγόναμεν, ἄλλο δὲ ȣ̓δέν. Εἴρη, καὶ οἱ ὀρθῶς; ὕπαγε ὁδοιπόρε, μὴ καὶ τεθνηκὼς ἀδόλεσχός σοι φανῶ. Μὴ μύρα, μὴ στέφανος, στήλη, χάρις ἢ λίθος ἐστὶν, μηδέ τὸ πῦρ φλέγον εἰς κενὸν, ἢ δαπάνη. Ζῶντι μοὶ εἰ τὶς χεῖ μετ᾽ αἰδὸς, τέφραν δὲ μεθύσκων, πηλὸν ποιήσει, καὶ οὐκ ὁ θανὼν πίεται. Τȣ̃το ἔσομαι γὰρ ἐγώ, σύδε τȣ́των δ᾽ ἦν τυχήσης, εἶπε, ὅτ᾽ ȣ̓κ ἤμην, τȣ̃το πάλιν γέγονα.

Quæ ita reddi poſſunt:

*Noli meum præterire tumulum, viator, ſed ſta, audi, & edoctus abi. Non eſt in orco cymba, non portitor Charon, non Æacus claviger, neque Cerberus canis: nos vero omnes, in ſedibus inferis, mortui, oſſa cinisque evaſimus, aliud vero nihil. Quæris, & ii, qui recte vixere? proripe te viator, ne & mortuus tibi garrulus videar. Non unguenta, non corona, non columna, aut ſepulcralis lapis, grata ſunt, nec ignis fruſtra ardens, nec convivium. Viventi*

*venit mihi ſi quis propinat,* (gratum eſt) *cinerem vero irrigans, lutum faciet, nemo enim mortuus bibat. Hoc enim ego & tu erimus. Eorum vero compos, dic: quando non eram, idem nunc ſum.*

Jam vero, hæc pluribus illuſtrare, ſimulque rationem emendationum Lectori explicare, animus eſt. Ultima verba *primæ lineæ:* ἀλλὰ στὰς ἄκουε, καὶ μαθὼν ἄπιθι, paſſim in ſepulchralibus monumentis Græcis ac Latinis occurrunt. *Gruterus pag. 898, 1: Vale, viator, & abi in rem tuam. Lucianus* in Epigrammate *Anthol. Lib. IV pag. 321:* - ὅσσα λέγεις, ταῦτα κλύων, ἄπιθι. Quæ ſequuntur de orci fabula, fere conveniunt cum his *Callimachi Epigram. XIV pag. 194 ed. Spanh.:*

α Ὁ Χαρίδας τί τὰ νέρθε; β πολὺ σκότος.
α αἱ δ' ἄνοδοι τί;
β Ψεῦδος. α Ὁ δὲ Πλούτων; β μῦθος.
ἀπωλόμεθα.

Ex *Latinis* audiamus *Lucretium Lib. III v. 1024:*

*Cerberus & furiæ, jam vero & lucis egenus*
*Tartarus, horriferos eructans faucibus æſtus;*
*Hæc neque ſunt usquam, neque poſſunt eſſe profecto.*

*Æacus* claviger addi poteſt reliquis Diis κλειδούχοις, quos Cl. *Petrus Weſſelingius* in elegantiſſimo Opere *Variarum Obſervationum Lib. I Cap 3 pag. 6.* recenſet. Ad veterum morem, quæ *linea quinta* & *ſeq:* leguntur, reſpiciunt; cum iis ſolenne fuerit, ſertis & unguentis corpora ſuorum ornare. In eorum ſepulcris ignis perpetuus ardebat, ut ex *Dione Caſſio* conſtat in *Domit.:* Λυχνοῦχος μι-

κρὸς, οἷος ἐν τοῖς μνημείοις κρεμάννυται. Cui marmor antiquum apud *Gruterum pag. 1148, 17*, conſentit: *Quisquis huic tumulo poſuit ardentem lucernam, illius cineres aurea terra tegat.* Vinum quoque cineri defunctorum adſpergere ſolebant antiqui, ut conſtat ex monumento, Romæ apud Carpenſes exſtante: *Oſſibus infundam, quæ nunquam vina bibiſti.* Quod etiam *Virgilium* innuiſſe volunt, dum ita canit *Æneidos Lib. III v. 301:*

*Solennes tum forte dapes & triſtia dona,*
*Ante urbem, in luco, falſi Simoentis ad undam*
*Libabat meri Andromeda.*

Huc etiam verſus incerti Autoris, a *Petro Pithœo Epigr. vet. Lib. III pag. 89* prolatos, pertinere arbitror:

- - *ſi gratus homo es, miſce, bibe, da mi.*

Verum hæc adeo protrita ſunt, ut, ea pluribus illuſtrare, vix operæ pretium videatur. Adi *Percacebium, Kirchmannum*, ceteros, qui de funeribus antiquorum ſcripſerunt.

*Pag. MCCCXLV, 7*, Græci tituli, inter ſchedas D. *de la Condamine* reperti, ultimam vocem: κατοιχομενοις, non convertit Cl. *Bimardus*, ipſam, ut videtur, corruptam eſſe arbitratus. Reddenda eſt *defunctis*; ut in *Marm. Oxon. CLXXVII:*

Καὶ τῷ Υἱῷ κατοιχομένῳ Λυσανίᾳ.

Conf. *Marm. CLXXXIII*. Aliud apud *Gruterum*:

Φιλητῳ τωδε σωμα κατοιχομενῳ.

Tumulus *Elpidis, Fabretto Cap. III pag. 144* memoratus:

Τύμβος ὅδε κρύπτει κούρης σεμνῆς καὶ ἀμέμπτου σῶμα κατοιχομένης.

*Pag. MCDL, 1*, Græcum Epigramma, quod *Donius* primus ediderat, legitur:

Την Διος αμφιπολον με Χελειδονα, την επι βωμοις
Σπενδειν αθαν ατον γρυν επισταμενην
Ευτεκνον αστοναχθον εχει ταφος, ουδ᾽ αρα μαχρος
Δημονες ημετερην εβλεπον ευσεβιην.

*Lin. 2*: Σπένδειν ἀθανάτων γῆρυν ἐπισταμένην, *lin. 3* οὐδ᾽ ἄρα μάκρες, pro μάκαρες legendum, totum vero Epigramma ita convertendum videtur:

*Jovis miniſtram Chelidonem, quæ in aris*
*Deorum libare vocem gnara erat,*
*Felici prole gaudentem, lugentibus omnibus, tumulus tenet. Non igitur beati*
*Dei pietatem noſtram reſpexerunt.*

In ſecundo verſu ad Χελειδόνος nomen, quod proprie hirundinem ſignificat, alluditur, ut in Græco marmore apud *Gruterum pag. 607, 4*:

Ἡ λαλιὴ Φλωρίδος χελειδόνος ἔνθ᾽ Ὁμόνοια
Κεῖμαι, Ἀτιμήτῳ λειπομένη δάκρυα.

Forte etiam ad moſem antiquorum, linguas hoſtiarum Diis offerentium, reſpicitur. *Homerus Odyſſ. Γ, v. 332 ſeq*:

Ἀλλ᾽ ἄγε, τάμνε μὲν γλώσσας, κεράασθε δὲ οἶνον,
Ὄφρα Ποσειδάωνι, καὶ ἄλλοις ἀθανάτοισιν
Σπείσαντες κοίτοιο μεδώμεθα, τοῖο γὰρ ὥρη.

Ad quos verſus *Euſtathius*: Ἔθος παλαιὸν δηλοῖ ὁ ποιητής. μέλλοντες γὰρ κοιμηθῆναι μετὰ θυσίας οἱ παλαιοὶ, ἔθυον τὰς τῶν ἱερείων γλώσσας κατὰ ἔθος Ἰώνιον καὶ Ἀττικῶς, βάλλοντες ἐν πυρί. Σπένδειν autem γῆρυν dictum eſt, ut *libare lacrymas* ab *Ovidio Epiſt. ex Ponto Lib. I Ep. IX v. 41*:

*Jure igitur Celſo* lacrymas libamus *ademto*.

Græci ſimiliter: σπένδειν δάκρυα. Epigramma apud *Sponium* in *Miſcell. pag. 320*, & *Fabrettum pag. 64*:

Μέμνεο κ' ἐν ζώοις ἐμέθεν, καὶ πολλάκι τύμβῳ
Σπεῖσον ἀπὸ βλεφάρων δάκρυ ἀποιχομένη.

Proprie σπένδειν de aridis rebus dicitur. *Scholiaſtes Euripidis ad Hecub. v. 535*: Σπονδὴ ἐπὶ τῶν ξηρῶν, σίτε καὶ κριθῆς.

*Pag. MCDLXIX, 1*, in ſepulcrali monumento apud *Mariangelum Accurſium* ultimi verſus ita fluunt:

Ο αφισι τωσδε ταφως ενεοσατο τευχισε δ' αυδαν
Παππω και Θειω λοισθοτα τοις χαριτας.

Vertit *Muratorius*:

*Qui ipſos hiſce tumulis conjunxit. Et buſtum condidit.*
*Avo & avunculo rependens gratiam.*

& addit: *In poſtremo pentametro* λοισθοτα *corrupta vox eſt. Divinans reddidi, ut potui.* Mendum hoc facile elui poteſt, ſi, conjunctis ſyllabis, quæ male divulſæ ſunt, ita legitur:

Παπ-

Πάππῳ καὶ θείῳ λοισθοτάτας χάριτας.

Verſum præcedentem, ut metri ratio habeatur, ita conſtituere mallem:

Ὁ σφισι τᾶσδε τάφους ὠνήσατο, τεῦξε δ' αὐδάν.

Sine dubio enim ὠνήσατο reponendum eſt, ut in Marm. *pag. 1345, 7, coll. Murator.*:

Διαδεξάμενος τὴν μητέρα -- ἐωνησαμένην τὸ μνημεῖον.

In elegantiſſimo Epigrammate *pag. MDII, 11*, verba:

Τοις παρος ουν μυθοις πισιευσατε παιδα γαρ εσθλην

Ηρπασεν ως στερπλη ηναδες ου θανατος.

quæ vertere Cl. Editor omiſit, ita reſtituo:

- - - - πιστεύσατε π. γ. ε.

Ἥρπασεν, ὡς τερπνὴ ἦν, Ἅδες, οὐ θάνατος.

hoc eſt:

*Antiquis igitur fabulis credite: bonam enim puellam,*

*Cum forma præſtantiſſima eſſet, non mors, ſed Pluto, rapuit.*

Carminis initium, quod tamen in metri leges peccat, noſtram emendationem egregie confirmat:

Οὐχ ὁσίως ἥρπασας, ὑποκοίρανε Πλουτεῦ,

Πενταέτη νύμφην, πᾶσιν ἀγαλλομένην.

Cum his incerti Autoris verſus in *Patrophilam Anthol. Lib. III Cap. 2* adeo conveniunt, ut inde expreſſi videantur:

Ἅδη δυσνόητε, τί τὴν ἐπέραστον ἑταίρην

Ἥρπασας; ἢ καὶ σὴν Κύπρις ἔμηνε φρένα.

In

In marmore apud *Muratorium pag.MDCCXXVII*, 4:

Καὶ θαλάμων ἥρπασ' ἄφνω γ' Αἴδας Παῦλαν.

Conf. *Callimachi Epigr. XLIII pag. 214 ed. Spanhem.* Marmor apud *Gruterum pag. 607*, cujus ſupra mentionem feci:

Τῷ πέλον ἀσπασίῃ βαιῆς ἀπὸ. τήνδε τοσαύτην
Δαίμων ἀπροΐδης ἐσκέδασεν Φιλίην.

Ita enim verſus ſecundus conſtituendus eſt, non δαίμωνα προίδης, ut vulgo editur. Ἀίδος ἀπροϊδὴς μυχὸς eſt in *Archiæ* Epigramm. *Anthol. Lib. III pag. 365.* Quod non intellexerunt ii, qui, a *Reineſio* & *Sponio* memoratam, *Turpilliæ* Inſcriptionem, g) obſervante *Fabretto pag. 236*, inde effinxerunt, vertentes: *illa autem tantam demum inopinate disjunxit amicitiam.* Sed hoc obiter. Ceterum illam ſententiam varie veteres expreſſiſſe invenio: ut in ſepulcrali lapide pueri, in ipſo ætatis flore exſtincti, *Murator. pag. MDXIV, 3*:

*Aſt, puto, non rapuit te mors, ſed filia magni*
*Cara Jovis, Stygio nupta puella viro.*

In Epitaphio *Symphoruſæ* apud *Gruterum*:

*Liminibus rapuit me ſibi Perſephone.*

quibus *Petri Cortonæi*, Poetæ cum antiquis comparandi, verſus, ex carmine in *Modeſtam Veneriam*, in Medoacum fluvium prolapſam, addere liceat:

Κάλ-

g) Ea primum prodiit inter Veronenſes *Onuphrii Panvinii*, adjectas ejus *Antiquit. Veronenſ. pag. 189.*

Κάλλει καὶ χαρίτεσσιν ἀεὶ στίλβȣσα Μο-
δέστη,
Κύπριδος, ἣ καλὴν ἔλαχ᾽ ἐπωνυμίαν,
Ἐιαρινῇ ὥρη πόλιν ἐις Ἀντήνορος ἦλθεν·
Αγχόθι Μειδοάκȣ δίφρῳ ἐλαυνομένη
Δὴ τότε μειλιχίοισιν ἀγρευθεὶς ὄμμασι κείνης
Εἶχε Ποσειδάων ἄλγος ἀπειρέσιον. κ. τ. λ.

Ἅδες pro Ἅδης in noſtra Inſcriptione nemini dubium movebit, qui veteres lapides, in quibus longarum breviumque vocalium permutatio non raro occurrit, ſtudioſe tractavit. Eam non tam ſculptoris imperitiæ, ſatis turpi interdum & portentoſæ, quam antiquæ pronuntiationi, quæ H & E, eodem ſono efferebat, tribuendam puto. Sic in columna *pag. XXXVII, 1*, collectionis maximæ:

Μαρτυς δαιμον ενοδια και οι κιονες Δεμε-
τρος και Κορες αναθεμα και χθονιον θεον.

Δεμετρος pro Δήμητρος, κόρες pro κόρης, ἀνάθεμα pro ἀνάθημα, χθονιον θεον, pro χθονίων θεῶν, exaratum eſt. Neque primæ ſyllabæ in Αδες, quam ipſa vocis origo producendam eſſe indicat, correptio exemplis caret. Ea *Scaliger* dabit in *Indice Gruterianarum Inſcriptionum grammatico*. *Tineja* etiam *Ygetæ*, quæ alumnæ ſuæ hoc monumentum poſuit, nomen mihi corruptum videtur. *Tinejæ* quidem *Landæ* apud *Mazochium*, Τινείȣ Αγαίθωνος apud *Gruterum*, memoria exſtat; ſed *Ygetam* vetera monumenta ignorant. Quare pro Υγετία aut Ευγενεια legendum, aut Ταυγετα. Ταυγετος occurrit apud *Gruterum pag. 1681, 4*.

*Pag.*

*Pag. MDCLXXX, 11*, ſequens Inſcriptio a Cel. Mutinenſi Antiquario ex *Ligorio* adducitur:

Ενθαδε Γαιωνας ος κιστιβερ ην ποτε Ρωμης
Και δειπνοις κρειναις πολλα μ ευφροσυνης
Καιμαι τω θανατω μετιδεν οφελλομενος.

*Gruterus*, qui eandem ex lapide a *Smetio* deſcriptam *pag. 912* exhibet, *lin. 2* leg. κρίναις πολλὰ μετ᾽ εὐφροσύνης, & *lin. 3* μηδὲν ὀφειλόμενος, totam autem fœde corruptam, atque ita reſtituendam, putat in *Animadvertendis*:

Ἔνθαθε Γαιωνᾶς τοσάκις Τίβερω ποτὲ βρώμη
Και δείπνοις κιρ̣ναὶς πολλὰ μετ᾽ εὐφροσύνης,
Κεῖμαι τῷ θανάτῳ μηδὲν ὀφειλόμενος.

Sed judicent eruditi, an non verba, ut in marmore jacent, ita commodius exponi poſſint:

*Hic Gaonas, qui ciſtifer Romæ eram,*
*Et convivia ſæpe hilariter moderatus ſum,*
*Jaceo, morti nihil debens.*

Ciſtiferi, Græce κιστοφόροι, καιστοφόροι, erant, qui in ſacris *Bacchi* & *Cereris* myſticam arcam, numis Cretenſium & Epheſinorum, a R. P. *Panelio*, Soc. Jeſu, commentario illuſtratis, inſculptam, præferebant. Vid. ipſum *pag. 13 ſeq.* Eorum mentionem *Martialis Lib. V Epigr. 17* facit:

*Dum te poſſe negas, niſi lato, Gallia, clavo,*
*Nubere, nupſiſti, Gallia, ciſtifero.*

Verſum ſecundum de arbitro conviviorum, qui Græcis eſt ὁ βασιλεὺς τȣ̃ Συμποσίȣ, ὁ Συμποσίαρχος, accipi debere, conjicio. Tales quoque in epulis, quæ Deorum feſta ſequebantur, electos fuiſſe, lapis, a *Sellero* in *the Antiquities of Palmyra pag. 329* adductus, teſtatur: Σεπτίμιος ὁ κρά-

τιςος

τιστὸς ἐπίτροπος Σεβάςȣ - - καὶ νυνεὶ λαμπρῶς Συμποσιάρχος τῶν τȣ̃ Διὸς Βήλȣ ἱερῶν. In verſu ultimo, Gæonas θανάτῳ μηδὲν ὀφείλεσθαι, *morti nihil debere*, dicitur, ut in ſepulcrali inſcriptione pueri, apud *Gruterum pag.* 676, 6:

'Απλήρωτ' ἀίδη, τί με νήπιον ἥρπασας ἄφνω,
Τί σπεύδεις; ȣ̓ σοὶ πάντες ὀφειλόμεθα.

Contrario ſenſu Autor Epigrammatis, *Anthol. Lib. V* *pag.* 52 editi;

Χαίρει τὶς Θεόδωρος, ἐπεὶ θάνον· ἄλλος ἐπ' αὐτῷ
Χαιρήσει· θανάτῳ πάντες ὀφειλόμεθα.

Quod ita *Euripides* expreſſit in *Alceſtide verſ.* 781:

"Ακȣέ μȣ, βροτοῖς ἅπασι κατθανεῖν ὀφείλεται.

Cui formulam, lapidi apud *Gruterum pag.* 752, 3, inſculptam: 'Ουχὶ τεκȣ̃σα ȣ̓δεὶς ἀθάνατος, reſpondere arbitror, quam *Scaliger* in *Ind. Grammatico* ad locutiones, in quibus γένος ἀντὶ γένȣς eſt, minus recte retulit, pro ȣ̓δεὶς, ȣ̓δεμία ſubſtituendum eſſe, putans, cum ſita reddi debeat: *Nonne, mater, nemo mortalis eſt?* id quod lapidem ipſum inſpicienti amplius patebit.

*Pag. MDCLXXXVII*, 2, finem ſeptimi & initium octavi verſus ita reddidit Cl. *Muratorius*:

*Nuper in Ergaſtulo, parentum ſpe fraudata*
*Neque hæredibus ſcriptis.*

In Græco hæc deſiderantur, omiſſa, ut puto, incuria operarum. In ſecundo verſu:

'Ου κρισει εκ μοιρων ηρπασμενον αλλ ακιασαι
'Αφνιδιω θανατω, κ. τ. λ.

vox ultima corrupta, & legendum eſt: ἀλλὰ βιαίῳ, *ſed violenta, inopinata morte.*

*Pag.*

*Rag. MCDXXXII*, 13, ex *Ligorii* ſchedis, titulus Græcæ fœminæ, *Attalidis*, ita producitur :

Ουχι πονω δολια λημφθεις το πριν ηλθα σοι νυν επιγραψας
Αλλα νοσω λημφθεις ησες χε πις ολβιανον
Νυν δε σοι τηνδε γραφην θησω χαριν ησα ποκηρου
Αντιτυπον ρευσει τοις δακρυοις χαριτα.
Ειδε τις εστιν ο ος παρα ταρτασαν η παρα ληθη
Ησεσχαι σπουδης επι σοι νυν κατεχ εις χαριτα.
Τις δε τυπω σε τα γραμματα ειμι το πριν σου
Αιμασον εν ζωσιν λυπεις με τελος κατεχουσα.

Αγαθων Αδελφη Ατταλιδι μνειας χαριν.

Quem ita legi convertique poſſe conjicio :

Οὐχὶ πόνῳ δολίας ληφθείς, τὸ πρὶν, ἦλθά σοι νῦν ἐπιγράψας,
Ἀλλὰ νόσῳ ληφθείς, ἥ σ' ἔσχε δυσολβίανον.
Νῦν δέ σοι τήνδε γραφὴν θήσω, χάριν ἧς ἀπὸ κήρυ
Ἀντίτυπον ῥεύσει τοῖς δακρύοις χάριτα.
Εἰ δέ τις ἐστὶ νόος παρὰ τάρτασιν, ἢ παρὰ λήθη
Ἣν ἔσχον σπυδῆς ἐπὶ σοι, νῦν κατέχεις χάριτα
Τίς δ' ἐτύπωσε τὰ γράμματα; εἰμὶ τὸ πρὶν σῦ
Αἰμαι: σὸν ἐν ζῶσι λυπεῖς με, τέλος κατέχυσα.

Ἀγάθων ἀδελφῇ Ἀτταλίδι μνείας χάριν.

*Non*

*Non ærumna ſervitutis captus antea, veni nunc demum tibi titulum poſiturus,*
*Sed morbo captus, qui te infelicem affecit.*
*Nunc vero hanc tibi inſcriptionem dedicabo, cujus cauſa - - - -*
*- - - - - fluet lachrymis gratia.*
*Si vero ullus in tartaro aut lethe ſenſus eſt,*
*Studii, quod propter te impendi, nunc gratiam ſentis.*
*Quis vero has literas incidit? ego ſum, tuus quondam*
*Sanguis: me, tuum, vivum dolore afficis, finem vitæ nacta.*

*Agathon ſorori Attalidi memoriæ ergo.*

Fœminæ Chriſtianæ hoc Epitaphium eſſe, multa ſunt, quæ mihi perſuadent. Primo quidem palmæ ramus, lapidi inſculptus, quem in Chriſtianorum monumentis, conſtat, tantum non perpetuo apparere. Hoc ſigno vel Judæam, ubi Servator vitam finivit, indicare, vel, quod magis vero ſimile videtur, melius ac perpetuo duraturum ævum cogitare ſe, ac præſumere animo, declarare voluerunt, cum arbor illa ſemper de trunco ſuo renaſcatur. Vid. *Aringhium* in *Roma ſubterr. Lib. VI Cap. 43*, *Buonarotti Oſſervaz. ſopra i Framenti di Vetro Tav. VI n. 1*, *La Spiegazione delle Pitture de' Cimiteri pag. 84*. Deinde Chriſtianorum tituli frequenter in metri leges impingunt, cui vel ille, quem Autor *Diſſertationis Glyptographicæ pag. 128* ex Muſeo *Victorio* produxit, teſtimonio eſſe poteſt, ut & alius in ſuburbio Hiſpalenſi, vulgo *el*

*Tablado* A. 1565 repertus, & hactenus ineditus:

NOME VIXIT ANNO ET MENSIBUS VIII DIEBUS XII.
H. S. E. S. T. T. L.
NOME FUIT NOMEN, HÆSIT NASCENTI CUSUCCIA
UTRAQUE HOC TITULO NOMINA SIGNIFICO.
VIXI PAROM DULCISQUE FUI DUM VIXI PARENTI
*ſic*
HOC TITULO TEGEOR DEBITA PERSOLVI.
QUIQUE LEGIS TITULUM SENTIS QUAM
VIXERIM PAROM
HOC PETO NUNC DICAS SIT TIBI TERRA LEVIS.

Corruptas quoque & inuſitatas voces, ut in noſtro λημφθεὶς, δυσολβιανὸς, ἀντίτυπος, τέρτασι, magno in iis numero inveniri, *Boldettus* docet *Lib. II Cap. 8 delle Oſſervaz. ſopra i Cimit. de' S.S. Martiri pag. 421.* Quo etiam pertinet, quod *verſu 4* pro: χάρις, ut legendum videtur, χάριτα inſculptum ſit, metri cauſa. Proxime autem præcedentia verba, ſi modo integra ſunt, de quo tamen dubito, ſenſum aut coactum, aut prorſus nullum, habent. Quid enim hic eſſet ἀπὸ κήρȣ ἀντίτυπον, *Figura cerea.* Ceterum *verſus quintus* Epitaphii *Attalidis* cum eo, qui apud *Fabrettum pag. 287* exſtat, plane convenit:

Ἀλλ' εἴγ' ἐν φθιμένοισιν τὶς αἴσθησις, τέκνον, ἔτι.

*Gregorius Nazianzenus* κατὰ Ἰȣλ. Βασιλ. ϛηλιτικ. *A. pag. 2 ed. Eton:* Ἄκȣε καὶ τȣ̃ μεγάλȣ Κωνσταντίνȣ ψυχή, εἴ τὶς αἴσθησις. *Lin. 8:* τὸ πρὶν σȣ αἷμα, eſt *frater tuus,* Σύναιμος, Ὅμαιμος

μος, & in marmore apud *Muratorium pag.1687, 2,* Συνόμαιμος.

A *Ligorio* non ſatis accurate deſcriptum, quod *pag. MDCCIV* editur, ſepulcrale monumentum, ita legendum ſupplendumque videtur:

Θεοῖς καταχθονίοις. Νῦν Βασίλειος
Ἐγὼ βρέφος αἱμνὸν
Ὧθε Μακρεῖνος πατρὸς Μακρείνου
Γλυκερᾶς μητρὸς με τεκούσης
Ὀκτὼ ἔτη πλήσας
Πρὸς τούτοις μῆνα ἐβίων α

*Diis manibus. Nunc Baſilius*
*Ego, puer luctuoſus*
*Hic Macrinus (jaceo) Patris Macrini,*
*Glyceræ matris, quæ me peperit.*
*Octo cum implevissem annos,*
*Menſem præterea unum vixi.*

Ultima verba Epitaphii *Marcellæ pag. MDCCVII, 3:*

Αυτη η γεννησασα και κηδευσασα επει γραυα
Αχθος εχουσα κραδιης πενθεος ουκ οντου

ita *Muratorius* convertit:

*Ipſa in partu ſibi ſepulchrum paravit - - -*
reliqua ut vitiata, non attingens. Forte emendandum:

Αὐτὴ ἡ γεννήσασα καὶ κηδεύσασα ἐπέγραψα.
Ἄχθος ἔχουσα κραδίῃ πένθεος οὐκ ὀνατοῦ.
*Ipſa genitrix, quæ & curam ſepulcri habui, inſcripſi;*
*Onus non vituperandæ triſtitiæ corde gerens.*

Κηδεύειν hoc loco eſt *ſepelire. Heſychius*: κηδεύειν, ἐνταφιάζειν. Eo ſenſu occurrit quoque in ſarcophago e Cœmiterio *Priſcillæ*, Romæ in Via Salaria effoſſo:

Παυλεῖνα - - ἣν κήδευσε Πακάτα ἐπὶ θρέπτειραν γλυκερήν.

& in *Marm. Oxon*. CLXXXIII: καὶ ἔθηκεν σορὸν προσκοννεσσίας ἐν ᾗ κεκήδευκεν τοὺς συντρόφους.

Uno atque altero loco Epitaphium, quod Capanæ aſſervatur, *pag. MDCCXXXVI, 7, Muratorianæ Collect.* mendoſum eſt:

Τυμβον ορας παροδειτα --- ρι κλειτης
Ροδογουνης ην κτανεν ουχ οσιω
Λαεσι λεινος ανηρ κλαυσε δε και ταρχυσεν
Βιανιος ην παρακοιτιν και
Βαιην στηλη τηνδ απεδωκε χαριν
Ονομα το πριν με παις εκλησεν
Επαγαθω
Νυν δε Ροδογουνη η Βασιλιδος
Το επωνυμον.

Vertit *Muratorius*:

*Sepulcrum hoc cernis viator - - - celebris*
*Rhodogunæ, quam occidit impie*
*Linus maritus, Flevit autem - - - -*

E veſtigiis corruptarum vocum ſequentia exſculpi poſſunt:

Τύμβον ὁρᾷς, παροδῖτα, περικλειτῆς Ῥοδογύνης,
Ἣν κτάνεν οὐχ ὁσίως - - - δεινὸς ἀνήρ.
Κλαῦσε δὲ καὶ τάρχυσε, Ἀβιάνιος ἣν παράκοιτιν,
Καὶ βαιὴν στήλην τήνδ᾽ ἀπέδωκε χάριν.

*Sepulcrum cernis, viator, inclitæ Rhodogunæ,*
*Quam occidit improbe - - - immanis vir.*
*Flevit autem, & exſequias Avianius uxori ſuæ*
*fecit,*
*Exiguumque munus hoc in columna dicavit.*
*Nomen meum omnes antea vocabant Exagatho,*
*Nunc vero Rhodogune, Baſilidis F. cognomen*
*eſt.*

*Pag. MDCCXLIV, 5*, e ſchedis *Franc. Ptolomai*, Senenſis, inſcriptio ſepulcralis producitur, ita ad metri leges refingenda:

Τίκτε Τύχη, σπεῖρεν δὲ Σεραπιακὸς ταχύποτμος
Ἄμφω θηλυτέρην παῖδα Σεραπιάδα.
Κεῖμαι δ' ἑξαέτης, τύμβον δ' ἐμοὶ ὃς μετὰ στήλην
Τεῦξεν, νικήσει πάντας ἐπ' εὐσεβείᾳ.

hoc eſt:

*Peperit Tyche, genuit vero Serapiacus cita morte peremtus,*
*Ambo puellam Serapiada.*
*Jaceo vero ſexennis, ſepulcrum vero cum columna qui*
*Mihi ſtruxit, omnes pietate vincet.*

*Primo verſu* mendoſe editum erat ΣΕ ΗΕΙΡΕΝ. In *tertio:* ΟΣ ΜΑΤΤΤΗΔΗΝ. In *quarto:* ΝΕΙ- - - ΑΝΤΑΣ. Sequens ita apud *Muratorium* legitur:

Κλεινος ἐν ανθεω ποονει ομετριος ος με τιτυτονη
Ους αν δουλοσυνην ἐξαραγεν ατυγερης:

Continua ſerie in marmore procedentes literas male divulſas a deſcriptore eſſe, apparet. Fallor, an hæc vera lectio?

Κλεινὸς ἐν Ἀνθείῳ ποίει Ὀμέστριος, ὅς με ἔτι τύτθην
Οὖσαν, δουλοσύνης ἐξήγαγεν στυγερᾶς.
*Clarus in Antheo fecit Omeſtrius, qui me adhuc parvulam*
*Ex triſti ſervitute liberavit.*

Conjecturam, quam ad reſtituendum verſum ſecundum propoſui, marmor, a *Mabillonio* in Muſeo Italico productum confirmat, in quo hæc leguntur:

Στήλην δ' ἂν ἐποίησα, κατὰ χθόνα, δάκρυσι θερμοῖς.

& quibusdam interjectis:

Ταύτην στήλην ἐποίησα Σώτας σε φιλήσας.

Sequens Inſcriptio ex Meſſanenſibus *Gualterii*, *pag.* DCCXLVIII, 4, profertur, integritati priſtinæ ita forte reſtituenda:

Θ. Κ.

Σύζυγος ἦν μία πᾶσι πατρὶς καὶ μοῖρα τε πάντας
Ὤλεσεν ἠϊθέους ὧ παροθῖτα μία.
Αὐτὸς ἔχεις πόθεν ἦν καὶ τύμβον τεῦξε - -
Οὐ τὸ καλὸν κοσμεῖ περικείμενον οὔνομα τύμβον,
Σὸς γλυκὺς ἐστήμην κἂν φθιμένοισιν ἔρως.

hoc eſt:

D. M.

D. M

*Conjux fui: una omnibus patria: & fatum omnes*
*Perdidit ſemones, o viator! unum.*
*Ipſe tenes, unde fui: & tumulum ſtruxit ---*
*--- Non pulchrum nomen tumulum ornat:*
*Tuus dulcis perſtiti etiam inter defunctos amor.*

Ad titulum illum refingendum ipſum *Gualterium*, *Vol. VI Theſ. Siculi* inſertum, conſului, ibique nonnulla rectius, quam apud *Muratorium*, edita deprehendi *pag.* 180. In *verſu tertio*, vetuſtate exeſo, latet forte nomen viri, qui monumentum poſuit.

Ex *Cyriaci* ſchedis ſequens Epigramma, non uno loco, aut temporis culpa, aut deſcriptoris imperitia, deformatum, Cl. *Muratorius pag. MDCCLXXV*, 9, adducit:

Τις καιμε τις τεαvη παλιν αμπελον ουτως
ανος ου μονον εντιζιονε του αλλα και προς
αδονιαδις Ευτυχης γεγονεν εντυμηος ενθαδε
κιτεσομιος.

Omnia tam hiulca & diſtorta ſunt, ut emendare conantem plane deterrere poſſint: quare & mihi, non omnia aſſecuto, veniam Lector dabit. Ita autem conjicio:

Τίς κάμε τὴν γαῖαν ἢ πάλιν ἄμπελον ὃς
Οὐ μόνον Ἐντιζιόνε ἀλλὰ καὶ Ἀδονιάδος
Εὐτύχης γέγονε τύμβος ἔνθαδε κειμωμένων.

*Quis coluit terram, aut vineam, quæ non ſolum Entizioni, ſed Adoniadis quoque Eutyches, hic quieſcentium, tumulus evaſit.*

In corrupta voce Εντκζιοχαι viri cujusdam nomen latere puto, forte Ἐυτυχιανȣ̃, quod in lapide antiquo, a *Sponio* in *Itinerario pag.* 436 producto, exſtat. *Adoniadis* mentio in marmore apud *Gruterum pag.* 1139, 7, occurrit. Veteres autem in hortis ſepultos eſſe, ſatis notum eſt, & a *Sertorio Urſato ad Marmora Patavina pag.* 44 copioſe oſtenſum; de vineis non memini quidquam legere apud Scriptores. Interim monumentum, Mediolani effoſſum, *Gruter. pag. DCCCXLVI*, 12 de eo more dubitare nos non ſinit:

Ἀλλά σε καλύπτουσιν θαλερὰ ἄμπελον
Καὶ γαῖα ἐν Μεδιολάνῳ.

Ἄμπελον pro Ἄμπελος hic exaratum eſſe, in tranſitu noto. Ceterum aſſertioni noſtræ *Franciſcus* quoque *Ficoronus*, Antiquarius Romanus, in Commentatione *de Aurea Bulla pag.* 35 fidem facit.

*Pag. MDCCLXXVI*, 3, in mutilo marmore ſequentia leguntur:

Εκ οκτω μονογενι και παρθενον
σιαν θανε Θωροθεος πατηρ
ΕμοννυμΦορτυβιμενος ει και
Ηρε δαιμονες τον αμπαλη
Τον εκ πλαοσαις ωσπερ ηλπισε
Και δεχετης ετι παρθενος οιν γενεια
Οσια κειται Δωροθεȣ θυγατηρ
Ηλεο ου με χαιρονται σε τοσαιον ενηκε
Ψε λιπουσα πατρι πενθος απενθεσιον.

Menda nonnulla ita ſanari poſſe arbitror:

Δέκ᾽ ὀκτὼ μονογενῆ καὶ παρθένον
Ὁσίαν ἔθαψε Δωρόθεος πατήρ,

Ἐμὸν

Ἐμὸν νυμφίον τυβὶ μηνὸς εἰκάδι
Ἀνῆρε δαίμων τὸ ἔμπαλιν (γνώμης)
Αὐτῷ μ' οὐκ ἐκδοῦσας ὥσπερ ἤλπισε.
(Οκτὼ) καὶ δεκέτης ἔτι παρθένος διογενεῖα
Οσία κεῖται Δωροθέα θυγάτηρ.

*Octodecim annorum filiam unicam, & virginem*
*Sanctam, Dorotheus Pater ſepelivit:*
*Meum ſponſum, Tybi menſis die vigeſima,*
*Suſtulit Pluto, præter opinionem,*
*Me ipſi non locans, ut ſperaverat.*
*Octodecim annorum filia ſancta Dorothei,*
*Adhuc virgo hic jacet.*

Alexandrinæ puellæ monumentum eſſe, Tybi, menſis Ægyptiacus, innuere videtur. Eum Januario reſpondere, *Petavius* in Opere *de Doctrin. Temp. Lib. IV Cap. 16* aliique ſtatuerunt, a quibus *Nic. Averanius* diſſentiens, annum Ægyptium negat cum Romano poſſe comparari, quod de Θωθ, unde anni apud illos initium putatur, nimium quantum a ſe ipſo *Ptolemæus* diſſentiat. Vid. *de Menſ. Ægypt. Cap. VI pag. 35.* *Lineam quartam* Epitaphii aliud apud *Gruterum pag. 1137, 4,* illuſtrat:

Πολύκλαυτον κοινὸς μεν ἀνείλετο δαίμων.

Ultima verba nimis fœde corrupta ſunt; ex ipſis hoc modo exſculpo:

- - - - Χάρων τί σε τόσσον ἐγήθης
Μάρψε, λιπῶσα πατρὶ πένθος ἀπειρέσιον
- - - - *Charon quare te, tam benignus*
*Cepit, relinquens (o nata) patri immenſum dolorem.*

ut in marmore, a *Fabretto Cap. III pag. 193* edito:

- - λιπὼν πατρὶ πένθος ἄληκτον.

In *Cyriaci* collectione *pag. XV, 113*, Inſcriptio, Athenis inventa, exſtat, a Cel. *Muratorio pag. DCLXXI, 6*, & iterum *pag. MDCCLXXVI, 4*, adducta:

Ουδε τυχης εδεδαμασε παλιν κλιναινδε ταλαντα
Δυσμενεων ολόην ιβριν αλευαμενον
ηισε τελος ταναντοιο.
Κιχανεν ως παυραυς προτερων ανερας αγχιθεον
Τω ιρα Καιλζομενος σοφιησεον ηγητηρα ετησεν
Αλεξανδρον κλεινον απασιθεον.

Hanc ad carminis leges ita refingendam eſſe arbitror:

Ουδὲ τυχὴ σ' ἐδάμασσε πάλιν κλεινὸν, καὶ τάλαντα,
Δυσμενέων ὀλοὴν ὕβριν ἀλευάμενον,
Ἤ σε τέλος θανάτοιο κίχανεν
Ὡς παύρους προτέρων ἀνέρας ἀγχιθέων.
Τῷ ῥα Κλαζόμενός σοφίης ἑὸν ἡγητῆρα
Τίσεν Ἀλέξανδρον, κλεινὸν ἅπασι Θεῶν.

*Neque fatum te celebrem virum, ſed miſerum & pernicioſam malevolorum injuriam fugientem, domuit. Neque te mors, ut paucos antiquorum Diis ſimilium, cepit. Hoc vero monumento Clazomenus præceptorem ſuum, Alexandrum, omnibus Diis notum honoravit.*

Eſſe affectum *Clazomeni* in præceptorem, a quo literarum & ſapientiæ ſtudiis imbutus formatusque fuerat, ex elogio, quo ipſum ornat, apparere arbitror. Niſi forte ἡγητὴρ σοφίης idem hoc

hoc loco eſt, quod Ἀσκητὴς σοφίας, in Græco Epigrammate, apud *Sponium pag. 320 Miſcell. Erud. Ant.* aut πάσης ἐμπέραμος σοφίης, *ibid. pag. 369*, προὔχων σοφίης in marmore Romano apud *Monteſalc. Diar. Ital. pag. 164*, σοφοῖς ἐπιεικέλος ἀνὴρ apud *Fabrettum Cap. VIII pag. 562*. Alioquin, nomen σοφȣ̃ omnibus, qui artem aliquam, fabriles quoque operas, exercent, tribui ab antiquis, compertum eſt. *Homerus Il. O, verſ. 410*:

- - Ἀλλ' ὥσσα στάθμη δόρυ νήϊον ἐξιθύνει
Τέκτονος ἐν παλάμῃσι δαήμονος ὅς ῥά τε πάσης
Εὖ εἰδῇ σοφίης ὑποθημοσύνῃσιν Ἀθήνης.

ubi Scholiaſtes: Ἔμπειρος τεκτονικῆς· τὸ γὰρ παλαιὸν πᾶς τεχνίτης σοφὸς ἐκαλεῖτο συγκεχυμένῳ ὀνόματι. Ab eodem Auctore verba: τέλος θανάτȣ κιχανένσε petita videntur: *Iliad. I. verſ. 416*:

- - Οὐδέ κε μ' ὦκα τέλος θανάτοιο κιχείη.

Alio loco vocem καλύπτειν uſurpat, *Il. E. verſ. 553*:

Τὼ δ' αὖθι τέλος θανάτοιο κάλυψεν.

*Simonides* in Epigramm. *Anthol. Lib. III pag. 256*:

- - - - Ἐν δὲ σε πόντῳ
Κλεισθενες Εὐξείνῳ κὴρ ἔκιχεν θανάτȣ.

Verſu autem *primo*: Τυχὴ σ' ἐδάμασσε dictum eſt, ut in alio titulo apud *Gruterum pag. 1035, 12*:

Λέσβῳ μ' ἐν εὐδένδρῳ βαρυάλγης νȣ̃σος ἐδάμνα.

Bononiæ in Academia Clementina lapis exſtat, e cujus deletis & fugientibus notis ſequentia *Muratorius pag. MDCCLXXVI*, ſervit:

Ουκ

Ουκ ημην γενομην
Ημην ο - - κειμι τοσαυτα
Ει δε τις αλλος ρεει ψευσεται
Ουκ εσομαι.
Καιρε δικαιοσηνην
Ω παι Φυλασσουμ - - - ησφαλης η γλωσσα
Τοιαυτη - - - ν ουδεν ηνικανε ειγηπονα
Οταν δε αμαρτη πολλα προσβαλλεκακα.

Quinque priores *lineæ*, cum ſextæ dimidio, verſus ſunt, quos levibus quibusdam mendis emendatos, ita legi debere, puto:

Οὐκ ἤμην, γενόμην, ἤμην, οὐκ εἰμὶ τοσαῦτα,
Ἐι δὲ τις ἄλλως ἐρεῖ, ψεύσεται, ὀυκ ἔσομαι.
Χαῖρε δικαιοσύνην ὦ παῖ φυλασσόμενε.

Reliqua ita conſtituenda videntur:

Ἠσφαλὴς ἡ γλῶσσα, τοιαύτη ὀυδὲν, ἢν ἱκανὰ ἔφη, πονεῖ,
Ὅταν δ᾽ ἁμαρτῇ, πολλὰ προσβάλλει κακά.

Hoc eſt:

*Non eram, natus ſum: eram, nunc non ſum,*
*ſi vero quis aliter dicet, mentietur. Vale puer,*
*qui pietatem ſtudioſe coluiſti. Potens eſt lingua, quæ ſi convenientia dixit, in nulla re laborat, ſin peccat, multorum origo malorum exiſtit.*

Binis ſententiis Epitaphium pueri hujus conſtat, quod in antiquis lapidibus paſſim deprehendimus. Prior ex his cum Inſcriptione, quam *Gruterus pag.* DCCCC, 10, edidit, accuratiſſime convenit:

*Non fui, deinde fui, modo non ſum.*

*Auſo-*

*Auſonius Epigramm. XXXVIII:*

*Non ſum, nec fueram, genitus tamen ex nihilo ſum.*

Quod autem addit noſtra: *non ero*, οὐκ ἔσομαι, vetus Poeta *Anthol. Lib. I pag. 55* ita expreſſit, ni fallor:

Ἔσσομαι ἐν τῇ γῇ δηρὸν χρόνον.

Lapis in Muſeo Veronenſi apud *Muratorium pag. CCII, 1:*

*Nec ſcio, quid nunc ſum, nec ſcio, qualis ero.*

Ita enim legi debere arbitror. Ultima ejus tituli verba ita ſuppleo:

*Vivite felices, quibus eſt fortuna peracta,*

ex *Virgil. Æneid. Lib. III. verſ. 493.* Quanto autem ſapientius ſi judicarunt, qui immortalem animam, & vitam hanc hoſpitium modo, & iter ad longe meliorem ac perenniorem, eſſe ſtatuerunt. Inſcriptio, quæ Romæ apud *Berionium* exſtat:

*Quod fueram, non ſum, ſed rurſus ero, quod modo non ſum.*

Ad quæ verba Cl. *Muratorius*, qui eam *pag. DCCLXXI, 1,* exhibet, ſequentia notat: *Hæc reſurrectionem ex mortuis indicare videntur, quam ſententiam uni Chriſti fideles tuebantur, & adhuc tuentur. Sed tandem in ea opinione conquievi, de ethnica ſermonem hic eſſe.* Confirmat Celeb. Viri ſententiam *Palladæ* Epigramma *Anthol. Lib. II pag. 179:*

Οὐδὲν ἐὼν, γενόμην, πάλιν ἔσσομαι, ὡς πάρος ἦα.

Magnum in ſilentio præſidium, linguam contra non continere, periculoſum eſſe, ſecundo loco Inſcriptio docet, idque veterum ſapientum omnium

voce

voce eſt & præceptis declaratum. *Euripides* in *Grotii Excerptis pag.* 208:

Αὐτὴ δὲ (γλῶσσα) ἐξ αὐτῆς πλεῖστα κέκτηται κακά.

*Gregorius Nazianzenus, Carm. L. Nicobuli ad filium:*

Οὐδεὶς πόνος ἐστὶ μένειν ὑπὸ χείλεσιν μῦθον.

Καῖρε autem eſt pro Χαῖρε, ut ſupra Κάρων pro Χάρων, quod *Theocritus* quoque dixit, *Siculorum*, δέκομαι pro δέχομαι, κύτρα pro χύτρα uſurpantium, dialecto. Inſcriptio a *Tournefortio* in *Itinerario* edita:

Ξεῖνε σὺ δ' εἴσαις Δημοκλέος υἱέα καίρειν
Δημοκλέυς τύχοις ἄβλαβες ἴχνος ἔχων.

Maxima harum obſervationum pars prelum jam reliquerat, cum ab erudito amico *Miſcellaneæ Obſervationes criticæ novæ in Annum* 1741 mecum communicarentur. In his exſtat Diatribe in quasdam Inſcriptiones Cel. *D'Orvilii* eruditi Belgii ornamenti ſingularis, ubi, ut alias, ita nonnullas a Cel. *Muratorio* editas, egregie illuſtrat. Quæ ad *Baſilidis* ſepulcralem *pag.* 477 notavi, fere cum Cl. Viri conjecturis convenire, deprehendi, ipſique adeo ea lubentiſſime transſcribo. Idem mendoſam Inſcriptionem, cujus obiter *pag.* 463 mentionem injeci, feliciſſime reſtituit, deque ἱεροδούλοις veterum ſcriptorum loca copioſe attulit, quæ varia, hic adducta, atque illud quoque Epigramma, quod *pag.* 462 explicare conatus ſum, clariſſima luce perfundunt. *Apollini* enim *Pythio* virgines miniſtraſſe, *Tertullianum* autorem habeo, *Lib. de*

*Mono-*

*Monogam. Cap. ult. pag. 580: Sunt & quæ de tota continentia judicent nos virgines Veſtæ, & Junonis Achaicæ, & Dianæ Scythicæ, & Apollinis Pythii.* Ceterum, ſicut has in Cel. *Muratorii* Theſaurum conjecturas, non carpendi ſummi Viri, cujus in literis nomen æternum erit, ſtudio, ſed ut eximia illa & nulli ſecunda veterum lapidum collectio paullo emendatior haberetur, conſcripſi, ita, ſi quis parum recte a me expoſita, (erunt autem forte non pauca,) ad acriorem limam revocabit, magno me beneficio obſtrictum habebit.

# VI.
# EMENDATIONES
## ET
## EXPLICATIONES ALIQUOT
# LOCORUM CICERONIS
## GRÆVIANÆ
## SUB MODESTUM IUDICIUM VOCATÆ
## A
## FRID. OTTONE MENCKENIO.

Quod facere plerumque ſemidoctos quosdam, & parum liberali præditos ingenio, videmus, ut, ignari artis ejus, qua vera laus & gloria acquiritur, &, quod jure obtineri non poteſt, id ipſum injuria venantes, in maximorum hominum famam inſano impetu invadant, &, de ſcriptis horum omnibus rigidiſſimum jus dicendi, poteſtatem ſibi ſumant, id ſuæ adjectum laudi, quod alienæ fuerit detractum, judicantes; ab eo more ita alienum me & ipſe profiteor, & forte alii ſciunt, ut

colendis

colendis viris doctis nemo facile me ipſo magis aut natura aptus, aut longo aſſuefactus uſu, poſſit inveniri. Satis enim intelligo, & res profecto ipſa docet, ſi cuilibet ex populo hæc detur venia, ut poſſit meritis eorum, unde ſtudiis nobilioribus dignitatis plurimum acceſſit, impune obtrectare, peſſime ſic optimarum artium proſpectum honori fore, nec, qui in contemtis vulgo literis collocandum aliquid aut ſtudii, aut temporis, exiſtimet, futurum deinde unum eſſe. Quo magis autem reprehendenda aut mihi, aut bonis omnibus, putatur ruſtica quorundam inſolentia, & inſultandi his, quos vere magnos omnis ætas judicavit, improba libido; hoc certius perſuaſum eſſe omnibus hoc debet, ad lectionem eorum librorum, qui ſunt a viris famæ & doctrinæ ſummæ editi, oculos afferri acres inprimis & acutos, nec levi cura dicta horum omnia, maxime vero ea, quæ ſunt nova atque ſingularia, expendi, ſi quid etiam peccatum ab his fuerit in re ad literas ſpectante, aut a veritate aberratum, id, ne quadam quaſi contagione ad imperitos tranſeat lectores, notari non privatim tantum, ſed in publico conſpectu omnium, debere. Eſt enim, quo quis majore aut inter eruditos auctoritate pollet, aut doctrinæ exiſtimatione floret, hoc ad ſpargenda in lectorum animis ſemina errorum aptior, variisque omnis ævi exemplis conſtat, multa homines cogniturós rectius fuiſſe, niſi in his, quæ ſpecioſe fuerant a viris doctis diſputata, tanquam in divino quodam oraculo, acquieſcendum ſibi duxiſſent. In eo igitur, qui ſtudia humanitatis profitetur, con-

junčta eſſe volumus hæc duo; primum modeſtiam, ne, quod eſt per ſe laudabile & ſalutare literis putandum, id ipſum eſſe in alios injurioſum intelligatur; deinde, veritatis ſtudium, ne in libera hac literarum republica dominatus quidam quaſi regius illud nobis bonum, quod eſt omnium præcipuum ac præſtantiſſimum, eripiat. Quarum virtutum ſi quis decore ornatus, ad legenda aliorum, etiam qui eruditionis omnis tenere vulgo principatum judicantur, ſcripta, horumque æſtimandum pretium, accedat, non ſane is timendi cauſam habet, ne iniquiorem ſe aut viris doctis, aut ipſi præbere veritati, dicatur. Eſt igitur, cur mihi etiam, nunc id agenti, ut de *Grævianis* in emendando *Cicerone* conatibus liberum judicium expromam, conſilii haud temere ſuſcepti ab æquo lectore venia ſperari poſſit. Notiora ſunt illius viri, quo non Lipſia minus cive ſuo, quam Belgium doctore magno, gloriatur, in Scriptores veteres, tam Græcos, quam Latinos, maxime vero in *Ciceronem*, merita, quam ut de his neceſſe ſit hic pluribus commemorari. De me autem ita perſuaſum omnibus volo, non ſolere me ullius hominis ſive in emendando acumen, ſive ſolertiam in explicando, magis admirari, quam hujus Criticorum vere principis, cujus quippe niſi divina vis ingenii, & præclara induſtria, fuiſſet, fortaſſe magna pars doctrinæ elegantioris, multum nunc & lucis & nitoris habens, in tenebris adhuc & ſordibus jaceret. Nec quisquam eſt tam rudis aut iniquus rerum literis utilium æſtimator, quin, ejus viri memoriam debere omni genere honorum

celebrari, intelligat, cujus factum eſt inſigni ſtudio, ut magnus ille omnis eloquentiæ & eruditionis parens, *Cicero*, minus nunc obſcurus ſit legentibus, minus etiam ſive ætatis injuria, ſive ineptiis interpretum, deformatus, quam olim fuerat, jamque ita nobis *Tullianæ* eruditionis copiæ recluſæ ſint, ut parum videatur aliorum, ſi quis poſtea ad explicandum *Ciceronem* ſe converterit, induſtriæ relictum. Sed fieri utique poteſt, ut magna hæc doctrinæ *Grævianæ* opinio ipſis literis ſit detrimento, ſi, quæcunque ille ſive propria, ſive cum aliis communia, ad explicandum *Ciceronem* attulit, ob id tantum, quod a *Grævio* allata ſint, in ſummo pretio habeantur, &, ſintne vera hæc ex omni parte, aliquantum inquirere, magni inſtar criminis putetur. Nam, cum nemo adhuc, quod mihi quidem conſtet, vir ſit doctus ac egregius inventus, cui non errare aliquando, aut fortaſſe ſæpius, contigerit, etiam, ſi *Græviana* omnia, non inſpecta, nec, ut par eſt, æſtimata, approbes, neceſſe eſt, in varios errores incidas, a quibus, quisquis non legendis tantum, ſed penitus etiam cognoſcendis, Viri magni ſcriptis operam navaverit, facile cavere ſibi poterit. Fuiſſe autem *Grævio*, Criticorum ſummo, hanc cum *Homero*, ipſo Poetarum principe, communem ſortem, ut dormitaret interdum, nec felicis adeo emendatoris, aut interpretis, perſonam ſuſtineret, vel ii non ignorant, quibus ad manus eſt doctiſſimi celeberrimique Viri, *Joannis Auguſti Erneſti*, liber aureus, *Clavis Ciceroniana* inſcriptus, quo vel leviter inſpecto, nemini eſſe dubium poteſt, male

eos

eos & ſibi & literis conſulere, qui preſſo pede veſtigiis ubique *Grævianis* inſiſtendum putent, atque, ei demum omnia in *Cicerone* plana & aperta fore, ſibi perſuadeant, qui unum *Grævium* in emendando aut explicando ducem & magiſtrum ſequatur. Nimirum, huic Viro in conjectando ſæpius ingenium, interdum etiam doctrinam, defuiſſe, alia, nec genio Latino linguæ, nec ipſius menti *Ciceronis*, adverſa, ab eo temere rejecta, alia, quæ nemo facile probaret, in illorum locum repoſita, exemplis tot ac tam perſpicuis ille urbis noſtræ ocellus docuit, ut vel hinc intelligas, quam ſit, in illis veterum Auctorum & artis criticæ tenebris nihil offendere, nusquam incurrere, difficile. Cui Viro ſi nemo ob id, quod auctoritate potiorem veritatem duxit, ſuccenſendum putat, nec obtrectandi libido exprobrari jure poteſt: vix enim, magisne in eo rationum robur, an modeſtiam, & molle genus ſcribendi, mireris, definire certo liceat; quidni mihi eodem utendum jure ſtatuam, dandumque aliquid iis literis, quarum uſus non ad unum aut paucos tantum, ſed ad omnes, pertinet, quarum etiam honorem atque dignitatem communi multorum opera ſuſtineri ac proferri par eſt? Eſt enim hoc etiam fortaſſe ex aliquo literarum, quibus operam navamus, commodo futurum, ſi, quæ mihi in *Grævii Commentariis Ciceronianis* obvenerunt, haud ita, uti dignum Viro tanto videatur, accurate diſputata, pauca ea, nec ſtudio quæſita, ſed forte inter legendum oblata, in publica quadam quaſi tabula notentur, non quidem miniata cerula,

quali forſan moroſus quidam pædagogus uteretur, at eo genere notarum, quo, quicquid a veritate longius abeſſe intelligitur, inter eruditos æquum eſt ſignari. Quod igitur Lectorum, & eorum omnium, qui meritiſſimo honore manes *Grævianos* proſequuntur, pace fiat, nunc etiam ex mea ſupellectile tale quid expromam, unde conſtare poſſit, quanta quanta *Grævii* aut in emendando vis ingenii, aut ſolertia in explicando, fuerit, caute tamen prudenterque hujus eſſe opibus utendum, nec injuriam fieri tanti hominis memoriæ, ſi, ſui parum interdum fuiſſe ſimilem, dicamus, aut, quod idem eſt, *Græuium* in *Grævio* deſideremus.

Prius autem, quam ad ea veniam, in quibus alicujus negligentiæ accuſari *Grævius* haud injuria poſſit, monere illud mihi liceat, videri interdum parum ſibi conſtare Virum doctum, nec ſatis ſecum ipſo conſentire, ſed immemorem eorum, quæ ante dixerat, his contraria defendere. Poſſis facile in hanc ſententiam adduci notatis ad *Epiſtolam Cœlii ad Ciceronem, Lib. VIII Epiſt. Ciceronis n. 12*, in qua ita *Cœlius*: *Poſtea non deſtitit arceſſere palam Servium accuſatorem, inire cum Domitio conſilia; quibus cum parum procederet, ut ulla lege mihi* ponerent *accuſatorem, compellari ea lege me voluerunt, qua dicere non poterant.* Ad hunc locum recte notavit *Grævius*, *ponere* hic idem eſſe, quod *ſubornare*, aut, quæ familiaris inprimis *Tullio* dicendi ratio eſt, *apponere*; ſed, quod eodem ſenſu accipi hoc verbum, addit, *Lib. I in Ver. Cap. 29*: *Accuſator autem* ponitur *civis Romanus de creditoribus Lampſacenorum*, id quidem hoc magis

miror,

miror, quod ipſe *Grævius* in hoc loco pro *ponitur* legat *apponitur*, nec ullius editionis, in qua *ponitur* exſtet, indicium faciat. Aut igitur abſtinendum *Grævio* hujus loci teſtimonio, aut ita exhibenda verba fuiſſent, ſicut ea legi debere, antea docuerat. Sed ſuppetebant utique certiora loca *Tullii*, quibus multo rectius firmare *Grævius* illam verbi *ponere* ſignificationem potuiſſet. Eſt enim manifeſta hæc vocis vis in *Orat. pro Domo ſua Cap. 44: Et homo religioſus, cum ædes meas idem emeret & venderet, tamen illis tantis tenebris non eſt auſus ſuum nomen emtioni illi adſcribere.* Poſuit *ſcilicet Scatonem illum, hominem ſua virtute egentem, ut is, qui in Marſis, ubi natus eſt, tectum, quo imbris vitandi cauſa ſuccederet, nullum haberet, ædes in Palatio nobiliſſimas emiſſe ſe diceret.* Sic etiam in *Or. Phil. II Cap. 18: Quoties te pater ejus domo ſua ejeçit? Quoties cuſtodes* poſuit, *ne limen intrares?*

Sed huic aliud exemplum ſubjungo, unde poſſit intelligi, non eam ſemper lectionem, quam in *Notis* probat ac defendit, in textum recipi a *Grævio*. In *Or. pro Domo ſua Cap. 5* hæc leguntur: *Nonne providendum ſenatui fuit, ne in hanc tantam materiem ſeditionis iſta funeſta fax* adhæreſceret? Ita verba ipſe *Grævius* exſcripſit, ſed qui in *Nota*, Codicem *Francianum* & editionem primam ſecutus, pro *adhæreſceret* legere nos *adoleſceret*, & ſic refingere ſeriem verborum, jubet: *ne in hac tanta materia ſeditionis iſta funeſta fax adoleſceret*, illuſtrans hunc locum alio *Virgilii Georg. IV, 379:*

-- *Panchæis* adoleſcunt *ignibus aræ*,

 unde

unde cognoſci poſſit, verbum *adoleſcere* de igne, & hujus incremento, recte uſurpari. De hac igitur cum lectione perſuaſiſſimum ſibi haberet *Gravius*, quæ cauſa fuit, cur non huic, ſed illi alteri vetuſtiori, in ipſo textu locum daret, nec his, quæ corrupta vitio librariorum putaret, meliora & integriora præferret? Sed inconſtantiam hic *Grævii* notamus, non huic ejus emendationi applaudimus, qua, ſi dicendum, quod res eſt, lectores *Ciceronis* facile carere poſſunt. Ut taceam enim, non eſſe boni interpretis, verba, quæ commodum habere ſenſum poſſunt, utcunque ex ingenio refingere: nam illud, *in hac tanta materia*, nullus habet Codex MStus, omnes *in hanc tantam materiem*; illa verbi *adoleſcere* ſignificatio, qua igni tribuitur, tantum eſt poetica, & in uno, quod ſciam, *Maronis* loco uſurpata; ad interpretandos autem Oratores veteres, inprimis vero *Tullium*, haud adeo multum Poetæ valent, inprimis ſi commodius interpretari ex ipſo *Tullio*, ſimilibusque, poſſis. Jam vero, ſi vulgatem verborum *Ciceronis* lectionem ſequaris, non habes, cur de horum obſcuritate querare, nec difficile intelligis, hoc velle *Ciceronem: providendum eſſe Senatui, ne ardens illa fax, immiſſa in materiam eam, quæ facile concipere flammam ſolet, hanc corripiat, & incendat*, aut, ſi planius dicendum, *hanc eſſe Senatus curam debere, ne Verres illis ſceleris ſui inſtrumentis & adminiſtris, undique comparatis, uti poſſit ad ſeditionem excitandam.* Eſt enim, ut ſatis ſciunt diligentes *Tullii* lectores, hæc dicendi ratio, *in aliqua re*, aut *ad aliquam rem, adhæreſcere*, uſitatiſſima *Ciceroni*, *talem* ſemper

*unius*

*unius rei cum altera conjunctionem* notans, *ut ab ea vix divelli poſſit, & ſua eam vi afficiat.* Optime igitur *Tullius*, cum facis ardentis cum materia conjunctionem, unde oritur incendium, notare voluit, *facem adhæreſcere* dixit *in materiem*, nec ſane, meo judicio, eandem vim vocabulum *adoleſcere* habuiſſet.

Sed ad alia pergamus. In ipſis verborum interpunctionibus, ſi quidem de his etiam minutiis dicendum, non eandem ſemper a *Grævio* ſervatam rationem videmus; quantumque ex ea diverſitate incommodi oriri poſſit, vel hoc exemplo intelligitur. In *Or. Phil. VI Cap. 3* hæc ſunt verba: *Teſtificor, denuntio, ante prædico, nihil M. Antonium eorum, quæ ſunt legatis mandata, facturum.* Ita enim exſcribenda verba, poſt alios, *Grævius*, &, qui nunquam non hunc ſequitur, *Verburgius*, curarunt. Qualis ratio interpungendi ſi ipſius putetur *Ciceronis* eſſe; nemo non videt, abundare hic voculam *ante*, & figuræ, quam pleonaſmum dicunt, hic parum ſane elegantiæ habenti, locum facere. Hujuſmodi autem formulis etſi non penitus abſtinuiſſe *Ciceronem* ſcio; nolim tamen plures ei, quam neceſſe ſit, tribui, aut iis in locis, ubi, his uti, vix in mentem venerat *Tullio*, ipſa interpunctione effingi. Et in hoc quidem, quem dedimus, loco nihil abundabit, ſi ita interpungas verba: *Teſtificor, denuntio* ante, prædico, &c. Nec habet hic, quod a me diſſentiat, *Grævius*, qui, parum memor ſui, ſimilia *Ciceronis* verba in *Act. I in Ver. Cap. 12*: *Moneo*, prædico, ante *denuntio*, eodem prorſus, quo interpungi debere locum alterum dixi, modo

interpungit, nec hic ſuſpicari de pleonaſmo audet, cujus, ſi quid ego intelligo, aut in utroque loco, aut in neutro, rationem habuiſſe *Tullium*, dicendum eſt. Inprimis vero, quam facile fuerit *Grævio*, a ſe ipſo interdum diſſentire, illuſtri ipſe exemplo docuit in *Notis ad Or. pro Q. Roſc. Com. Cap.* 15, & *ad Or. de Har. reſp. Cap.* 26, in quarum altera, eam verbi *concoquere* eſſe vim, negat, ut idem, quod ſimplex *coquere*, *meditari*, *deliberare*, valeat, in altera hanc ipſam verbi notionem modis omnibus tuetur. Sed hoc *Grævii* peccatum ante me vidit, notavitque copioſe, Cel. *Io. Aug. Erneſti* in *Clave Ciceroniana* Voc. *Concipere* & *Concoquere*, cujus expilare theſauros, non eſt propoſitum.

Sed nunc ad id, quod caput rei eſt, progrediamur, & qualem ſe *Grævius* in emendando geſſerit aut explicando, videamus. Et primum quidem nonnullæ ejus emendationes ita, & meo, & aliorum fortaſſe, judicio, ſunt comparatæ, ut minus neceſſariæ putari poſſint, & lectio vulgaris præferenda *Gravianæ* videatur. Exemplum unum & alterum accipe. *Lib. VIII ad Att. Ep.* 4 ita *Tullius*: - - *ut meum judicium reprehendi a Quinto fratre, vulgoque ab omnibus, mallem, quam illum non efferre laudibus; Ciceronesque noſtros meo potius labore ſubdoceri, quam me* aliumvis *magiſtrum quærere.* Ita editiones, quæcunque exſtant, & Codices omnes MSti, habent. Unus autem *Grævius* ex una vocula duas facit, pro *aliumvis* legens *alium vis*, ſed ejus lectionis nullam in *Notis* rationem reddens. Fuit autem, cur ita legeret, hæc ſine dubio

bio cauſa *Grævio*, quod, in Lexicis Latinæ linguæ, quæcunque exſtant, etiam in illo *Fabri*, fruſtra quæri vocem *aliusvis*, ſciret, dubitandumque adeo de hujus vocabuli etiam in loco hoc *Tulliano* integritate putaret. De qua ne dubitaret, rationes efficere una plures, eæque omnes ſatis graves validæque, poterant. Primum enim non ignorabat conſtantem illam editionum Codicumque veterum conſenſum, qui, ut voces alias complures, non niſi uni Auctori, eidemque ſemel tantum, uſurpatas, ita hanc etiam, antiquo Latio ſatis vindicare certo poteſt, & ratiunculis quamvis ſpecioſis multo fortius valet. Deinde illud debebat cogitare, nihil eſſe in forma vocis, quod nobis facere ſuſpectam poſſit, quippe cujus eadem eſt ratio, quæ ſimilium, *quivis*, *utervis*, quibus ſi nihil ineſſe Latinis auribus peregrinum dicis, non ego video, quid cauſæ ſit, cur æque facilis compoſitionis voculam, *aliusvis*, rejicias. Denique, ſi ad verborum *Ciceronis* ſenſum reſpicias, non intelligere me fateor, quid ſit illud: *me alium vis magiſtrum quærere*, nec hanc obſcuram magis, quam ellipticam, dicendi rationem ſatis convenire *Ciceroni* putem. Minus autem hærebis in his verbis, ſi ita, uti vulgo ſunt exſcripta, legas, & vocem *aliusvis*, ut ipſa ejus ratio te jubet, pro *alius quicunque*, *alius*, *quem velis*, accipias.

In *Or. II contra Rul. Cap. 23* vulgo legitur: *Nam, ſi eſt æquum, prædas ac manubias ſuas imperatores, non in monumenta Deorum immortalium, neque in urbis ornamenta, conferre, ſed ad Decemviros, tanquam ad dominos*, reportare, *nihil ſibi ap-*

*petit præcipue Pompejus, nihil:* &c. Hic, unius libri *Franciani* fide, contra ceterorum omnium auctoritatem, pro *reportare* legit *deportare Grævius*, rationem addens hanc, quod *reportemus ea tantum, quæ ablata referamus.* Sed hoc ipſum eſt, quod probare debebat *Grævius.* Quid enim Vir doctus, ut alias taceam formulas, de illa, *reportare victoriam*, tot Auctoribus antiquis, & in his ipſi *Tullio*, uſitata, dicet, in qua eam, quam ponit, verbi *reportare* ſignificationem, certo ſcio, non accipiet? At levi opera diſſolvit hunc nodum *Grævius.* Loca enim illa, quæcunque habeant hanc formulam, librariorum vitio corrupta dicit, & in his omnibus pro *reportare* legere nos jubet *deportare.* Egregia emendandi ratio, quam ſi ſequaris, poſſis ex lingua Gothica Latinam, & quidlibet ex quolibet, effingere. Quaſi vero in re critica hoc ſatis ſit, ut voculas, prout lubet, ejiciamus, & alias cum aliis commutemus; nec ſimul in hoc genere certæ quædam leges verſari nobis ob oculos deberent. Nimirum ipſa hæc formula, *reportare victoriam*, ita ſana & incorrupta, ut nihil magis poſſit, integritatem verbi *reportare* in loco illo *Tulliano* probat, idque docet, *reportare* non tantum eſſe *res ablatas in eum locum, unde abſtulimus, referre*, ſed idem etiam, quod ſimplex *portare*, aut, ſi mavis, quod *deportare*, ſicut *repoſcere* idem eſt, quod *depoſcere*, in his ejusdem locis *Tullii*: *Div. in Q. Cæcil. Cap. 9: Nihil eſt enim, quod minus ferendum ſit, quam rationem ab altero vitæ* repoſcere *eum, qui non poſſit ſuæ reddere; Lib. III in Ver. Cap. 1: Legem enim ſibi ipſi dicunt innocentiæ, continentiæ,*

*virtu-*

*virtutumque omnium, qui ab altero rationem vitæ* repoſcunt; & *Lib. III in Ver. Cap. 51: Atque adeo noſtra reſpublica - - hunc tot patrumfamilias numerum deſiderat, &* repoſcit. Nec alia vis eſt verbi *repellere* in *Or. Tullii pro L. Flacco Cap. 2: Quid eſt cauſæ, cur non is, qui Catilinam ex urbe* repulit, *pertimeſcat?* item verbi *recedere, Lib. IV Tuſc. Diſp. Cap. 17: Sed tamen tranſiſſe videtur modum, quippe qui ob eam cauſam a vita* receſſerit; & *retinere, Lib. IV. in Ver. Cap. 34: Siniſtra manu* retinebat *arcum, dextra ardentem facem præferebat;* necnon *refervere,* in *Or. pro Q. Roſc. Cap. 6: Nonne, ut ignis, in aquam conjectus, continuo reſtinguitur, & refrigeratur, ſic* refervens *falſum crimen in puriſſimam & caſtiſſimam vitam collatum, ſtatim concidit & exſtinguitur?* compluriumque aliorum, in quibus illud *re* parum mutare ſignificationem ſimplicis apparet.

*Lib. X ad Attic. Ep. 8* ita *Tullius: Nam cædem video, ſi vicerit, & impetum in privatorum pecunias, & exulum reditum, & tabulas novas, & turpiſſimorum honores, & regnum non modo Romano homini, ſed ne Perſæ quidem cuiquam, tolerabile.* Tacita *eſſe poterit indignitas noſtra? Pati poterunt oculi, me cum Gabinio ſententiam dicere? & quidem illum rogari prius? Præſto eſſe clientem tuum Clœlium? C. Ateji Plagulejum? ceteros?* &c. Dedi locum, ut exhibetur a *Grævio* & *Verburgio,* ex emendatione *Petri Victorii* & *Dion. Lambini,* qui, rejecto, quod eſt in Codice *Turnæſiano, tanta eſſe poterit indignitas noſtra?* ita legunt: *tacita eſſe,* &c. & *indignitas* hic poſitum pro eo, quod Græ-

Græce *ἀγανάκτησις*, & *νέμεσις*, ſeu *νεμέσησις*, Latine *indignatio*, dicitur, contendunt, hunc verbis ſenſum tribuentes: *an tacere poterit indignatio noſtra?* Sed, horum ſive emendationem, ſive explicationem, ne aſſenſu meo comprobem, duplex me cauſa movet: altera, quod nec *Cicero*, nec, quod ſciam, veterum Autorum ullus, voce *indignitas* hoc, quem illi ponunt, uſus ſignificatu fuerit, novis autem & inuſitatis ſignificationibus, niſi manifeſtus verborum ſenſus id poſtulet, locus non ſit concedendus; altera, quod illa, nota ſatis, vocabuli *indignitas* ſignificatio, qua *gravem injuriam, contumeliam*, notat, in hoc *Ciceronis* loco facile admitti poſſit, modo vulgaris illa Codicis *Turnæſiani* lectio: *tanta eſſe poterit indignitas noſtra?* ſervetur, quippe quæ hunc verborum, ſatis commodum, conſentaneumque iis, quæ his ipſis ſubjecit *Tullius*, ſenſum parit: *Fierine poteſt; aut patiemurne, ut tam indigne habeamur?* aut, ſi rem eandem exprimere verbis Germanorum liceat, *iſts mæglich, daſs wir ſo verachtlich gehalten werden?* Sane ita mihi plana hæc videntur, ut ſatis mirari vix poſſim, qui factum ſit, ut in loco hoc hærere cum *Victorio Lambinus*, & horum emendationem ſequi *Grævius*, potuerit. Non enim putem, incognitam illis fuiſſe vocis *indignitas* hanc, quam dixi, notionem, quæ manifeſta eſt in his *Caſaris de Bel. Gal. Lib. II Cap. 14: impulſos a ſuis principibus, qui dicerent, Æduos, a Caſare in ſervitutem redactos, omnes* indignitates contumeliasque *perferre*; & *Quintiliani Lib. VI Inſt. or. Cap. 1: Verum & accuſator habet interim lachrymas*

chrymas ex miſeratione ejus rei, quem ulciſcitur: & reus de indignitate calumniæ conſpirationis vehementius interim queritur; porro Livii Lib. II Cap. 34: Egone has indignitates diutius patiar &c. Lentuli item in Epiſtola ad Senatum Romanum, Lib. XII Epiſt. Ciceronis n. 15: Quam indignitatem diminutionemque majeſtatis, non ſolum juris noſtri, ſed etiam imperii populique Romani, ideirco tulimus, quod &c., ipſius denique Tullii Lib. III in Ver. Cap. 62: O miſerum atque invidioſum, offenſumque paucorum culpa atque indignitate, ordinem Senatorium! His ſcriptis, in ea incido, quæ ad Tullii hunc locum Franc. Junius annotavit, videoque, Viro docto ante me rem eandem in mentem veniſſe, niſi quod ſervandam illam Lambini lectionem: Tacita eſſe poterit indignitas noſtra, & indignitas noſtra dictum Ciceroni per hypallagen, ſicque verba explicanda, putet: Nos indigne accepti & affecti, an vero taceamus? Quæ ſitne præferenda noſtræ interpretatio, aliorum eſto judicium.

Sed ſunt etiam Græviana nonnullæ locorum Ciceronis explicationes ita comparatæ, ut a mente Ciceronis longius aberrent. Sufficiat, exemplum unum & alterum attuliſſe, cum plura poſſim. In verbis Tullii Or. pro L. Mur. Cap. 11: Itaque irati, quod ſunt veriti, ne, dierum ratione pervulgata & cognita, ſine ſua opera lege poſſet agi, notas quaſdam compoſuerunt, ut omnibus in rebus ipſi intereſſent, notas Grævius per certa ſigna, quibus verbum unum aut plura exprimebantur, a ſiglis diſtincta, explicat. Sed multo rectius, poſt Nizolium

*ſium* & *Camerarium*, Cel. *Io. Auguſtus Erneſti*, in *Clave Ciceroniana* Voc. *Nota* oſtendit, *notas* hic *Ciceroni* eſſe *obſcuras* illas *& contortas formulas*, quas JCti veteres ad id compoſuerunt, ne jus & actiones juris cuilibet ex plebe paterent, & ut haberent ipſi jus quoddam quaſi ſibi proprium, quod diſpenſare pro arbitrio ipſi ſoli poſſent. Quam in rem quibus rationibus uſus ſit Vir doctiſſimus, non eſt opus, a me pluribus exponi, cum hæc melius ex ejus libro cognoſci poſſint. Ipſa vero hujus formularii juris ratio his, qui ſunt antiquitatum Juris curioſi, minime eſſe ignota poteſt. Mihi, vel unum hoc addere doctiſſime a Cel. *Erneſti* diſputatis, ſatis ſit, præter hunc, quem dixi, alium exſtare *Ciceronis* locum, in quo *nota* per *formulam* explicari poſſit, in *Oratore Cap. 14*: *Idemque* (Ariſtoteles) *locos*, (*ſic enim appellat*,) *quaſi argumentorum* notas, *tradidit*, *unde omnis in utramque partem traheretur oratio.* Et fortaſſe hæc ipſa vocabuli *nota* ſignificatio aliam ejus notionem peperit, qua idem Poetis, quod *epiſtola*, ſignificat, cujus varia exempla in *Specimine primo Animadverſionum ad Baſ. Fabri Theſaurum* attuli, & plura afferentur propediem in *Obſervationibus Latinæ linguæ*, nunc ſub prelo ſudantibus. Quid enim aliud eſt *epiſtola*, quam diligenter compoſita formula; qua utimur ad communicanda cum altero cogitata noſtra?

In loco *Tullii Lib. IV ad Attic. Ep. 3*: *Nos animo duntaxat vigemus, etiam magis, quam cum florebamus: re familiari comminuti ſumus. Quinti*

*fra-*

*fratris tamen* liberalitati *pro facultatibus noſtris, ne omnino exhauſtus eſſet, illo recuſante, ſubſidiis amicorum* reſpondemus, inveniſſe ſibi viſus eſt *Grævius* rariorem illam verbi *reſpondere* ſignificationem, quæ eſt in formula *reſpondere ad tempus*, idem notante, quod *ad diem ſolvere*. In quo ſane fefellit eum ingenium, & unum hoc lectores docuit, ſibi eſſe hanc ſignificationem verbi *reſpondere* cognitam, non illud etiam, in verbis hiſce *Tullianis* ei eſſe locum debere. Quid opus autem, rariores ſignificationes in ſubſidium vocare, cum vulgares & magis uſitatæ admitti cupiant? Et quæ neceſſitas nos urget, ut formulam, *alicujus liberalitati reſpondere ſubſidiis amicorum*, per *ſolutionem debiti ad certum tempus*, quæ ſane tunc, cum liberalitatem alterius laudamus, eſſe nulla poteſt, explicemus, cum ex omnium Auctorum uſu, & ex communi verbi *reſpondere* vi, nihil aliud, quam *ſatisfacere alicujus liberalitati, paria præſtare, gratiam referre*, ſignificet. Idem mecum ſentire video, quo nemo in his rebus acutius videt, *Io. Auguſtum Erneſti* in *Clave Ciceroniana* Voc. *Reſpondeo*.

Ad *Tulliana* illa *Lib. IV ad Div. Ep. 4: Accipio excuſationem tuam, qua uſus es, cur ſæpius ad me literas uno* exemplo *dediſſes*, notam addit *Grævius*, qua docet, exemplum *veteribus eſſe, quod nos* copiam *dicamus, ſæpiusque hoc ſenſu Ciceronem in Epiſtolis dixiſſe: ex literis cognoſces, quarum exemplum ad te miſi*. Quem cum *Grævius* errorem cum Criticis, quicunque ſunt, etiam doctiſſimis, communem habuerit; hinc non inutilem nuper ſuſceptum me laborem putavi, cum Diſſertatione integra

in

in hiſce *Miſcellaneis* oſtenderem, minime omnium *exemplum* idem, quod *copia*, notare, nec hoc ſenſu usquam voce iſta *Ciceronem* uſum, in omnibus vero, quæcunque ad probandam hanc ſignificationem proferri vulgo ſoleant, *Tullianis* locis voce hac ſignificari *formulam epiſtolæ*, ſive primum ſcriptam, ſive ex autographo tranſcriptam. Quibus, nuper a me diſputatis, nunc, quod addam, nihil eſt; indicare tamen errorem illum *Grævii*, non ab hoc loco alienum viſum eſt.

Ad alias ſive emendationes, ſive explicationes, *Grævii* pergamus, quæ ipſi Latinæ linguæ rationi parum reſpondent. In *Or. pro A. Clu. Cap. 5* verba, ex editione *Græviana*, hæc ſunt *Tullii*: *Repente eſt exorta mulieris importunæ nefaria libido, non ſolum dedecore, verum etiam ſcelere*, convincta. Hic pro *convincta* editiones aliæ *convicta*, aliæ *conjuncta*, habent. Et ipſe, prope abeſſe me ab eo, fateor, ut veriorem putem lectionem *conjuncta*, quippe quam tuentur MSti quidam Codices, quæque ſenſum habere ſatis commodum videtur. At *Grævius*, cui *convincta* placet, nemini facile integritatem hujus lectionis iis, quas attulit, rationibus perſuaſerit. Nimirum ita ille in *Nota ad h. l.*: *Sane* conjuncta *ferri non poteſt, adverſante Latinæ linguæ ratione*, Convincta *ſcelere forte poſſit ut defendi, ut dicat, ſicut* alligare ſe ſcelere, *pro Quintio; aut* conſtringendum ſe dare libidinibus, *ut loquitur I de Finibus. Ita ut* convincta ſcelere ac libidine *ſit, quæ ſe alligavit ſcelere, & quæ ſe conſtringendam dederit libidini.* Sane, quid hæc ſibi velint *Grævii*, non intelligo. Quid enim?

Dixit-

Dixitne *Tullius* : *mulier convincta ſcelere ac libidine?* Minime ; ſed hoc dixit : *mulieris libido ſcelere convincta.* Hæc quam inter ſe diverſa ſint & ſenſu, & dicendi forma, nemo eſt tam hebes, quin intelligat. Nec, ſi Latine dici poteſt, *mulier libidine convincta*, æque Latinum putari debet, *libido mulieris ſcelere convincta.* Quid enim ſit *libido alligata*, quid *conſtricta*, aut, quod idem putat *Grævius*, *convincta*, ignorare me fateor. Nullum hæc ſenſum habent, mihi certe, cui hæc dicendi forma peregrina, & verborum ſignificatio obſcurior, videtur. Nec magis video, cur huic lectioni : *libido non ſolum dedecore, verum etiam ſcelere*, conjuncta, adverſari putet *Grævius* Latinæ linguæ rationem. Ego potius, quid conveniat Latinæ linguæ rationi, ſi hoc non conveniat, plane neſcio. Vix putem, Lectorum unum futurum, cui non ſit perſpicuum, hoc velle *Ciceronem, in libidine mulieris & magnum dedecus, & ſummum ſcelus, ineſſe*, id quod, meo judicio, caſtius dicere & latinius haud potuit, quam dixit. Præterea quis non, uſurpatam a *Cicerone*, ſuſpicari malit, vocem bonam & latinam, quam talem, quæ auctoritatis ſit valde dubiæ, qualis utique *convinctus* eſt, quippe in nullo, quod conſtet, meliorum Scriptorum obvia, & veteri prorſus Latio ignota.

*Lib. III ad Attic. Ep. 15* ita *Tullius* : *Nolo commemorare, quibus rebus ſim ſpoliatus, non ſolum quia non ignoras, ſed etiam ne* ſcindam *ipſe dolorem meum.* Conſentiunt in hac lectione Codices & editiones omnes ; quam eſſe cauſam puto, cur eodem modo verba hæc ipſe *Grævius* expreſſerit. Sed idem *Notam* addit, in qua illud *ſcindere* in reſcin-

*dere* mutatum cupit. Nimirum ita ille: Scindere dolorem *pro exaſperare non puto Latinorum quemquam dixiſſe. In animum itaque induxi meum,* Ciceronem *ſcripſiſſe:* ne reſcindam dolorem. *Iſtud* ne *abſorpſit, ut ſæpe fit, ſyllabam ſequentem* re. Reſcindere dolorem *eſt renovare, refricare, & refricando ac renovando exacerbare.* Probat deinde hanc verbi *reſcindere* notionem duobus *Flori Pliniique* locis, quibus commode addere potuiſſet illa *Ovidii Triſt. III, 11, 63:*

*Ergo, quicunque es,* reſcindere *vulnera noli,*
*Deque gravi duras ulcere tolle manus;*

& *Metam. XII, 543:*

*Triſtis ad hæc Pylius: Quid me meminiſſe malorum*
*Cogis, & obductos annis* reſcindere *luctus?*

alia etiam *Claudiani XXVI, 586:*

*Vulneribus pars nulla vacat,* reſciſſaque *contis*
*Gloria fœdati ſplendet jactantior oris.*

Sed, hæc quamvis vera ſit verbi *reſcindere* ſignificatio, non tamen in eo aſſenſum nobis extorquebit *Grævius*, quod, delendum in hoc *Ciceronis* loco verbum *ſcindere*, nec hoc Latinorum cuiquam eodem, quo alterum *reſcindere*, uſurpatum ſignificatu, putet. Mihi enim, ſignificatum utrique verbo eundem eſſe, & *ſcindere* æque, ac *reſcindere, vulnus, dolorem*, dici, ita certo eſt perſuaſum, ut magis nihil poſſit. Nimirum tam compoſitum *reſcindere*, quam ſimplex *ſcindere*, in hac æque, de qua ſermo nobis, ac in aliis formulis, proprie vim *aperiendi* habet. Et alteri quidem *reſcindere* eam facile tribuerit, qui hæc legerit *Lucretii II, 404:*

*At contra, quæ amara atque aſpera cunque videntur,*
*Hæc magis hamatis inter ſe nexa teneri;*
*Propterea que ſolere vias* reſcindere *noſtris*
*Senſibus, introituque ſuo perrumpere corpus;*

& iſta *Virgilii Georg. III, 452:*

*Non tamen ulla magis præſens fortuna laborum eſt,*
*Quam ſi quis ferro potuit* reſcindere *ſummum*
*Ulceris os. Alitur vitium, vivitque tegendo;*

alia item *Petronii* in *Satyric. Cap.113: Accedebat huc, quod - - - nec Giton me aut tralatitia propinatione dignum judicabat, aut, quod minimum eſt, ſermone communi vocabat, credo veritus, ne inter initia coeuntis gratiæ recentem cicatricem* reſcinderet; ipſius denique hæc *Ciceronis* in *Or. II de Leg. agr. Cap.1: Eum locum, quem nobilitas præſidiis firmatum, atque omni ratione obvallatum, tenebat, me duce,* reſcidiſtis; *virtutique in poſterum patere voluiſtis.* Quæ verba inſignem lucem accipiunt ex illis ejusdem *Tullii* in *Or. pro Mur. Cap. 8: Cum ego vero tanto intervallo clauſtra iſta nobilitatis refregiſſem, ut aditus ad Conſulatum poſthac, ſicut apud majores noſtros fuit, non magis nobilitati, quam virtuti, pateret:* &c. Eſt igitur ipſum etiam *vulnus reſcindere* idem, quod *ſecando aperire vulnus;* cumque aperiendo vulnere ipſe dolor renovetur, hinc fit, ut poſſit hæc formula etiam per *renovare dolorem, quem ex vulnere concipimus,* explicari. Nec alia ratio eſt ſimplicis *ſcindere*, &, huic ipſi *aperiendi* notionem eſſe, verſus *Maronis* docet *Æn. X, 764:*

*Cum pedes incedit medii per maxima Nerei*
*Stagna viam* ſcindens, *humero ſuperеminet un-das.*

Et ſic *vulnus* etiam *ſcindere* dicitur in *Ovidiano* verſu *Remed. am.* 729:

*Admonitu refricatur amor*, vulnusque *novatum*
Scinditur;

qui vel maxime valet ad explicandum *Ciceronis* locum, idque *Grævium* docere poteſt, etiam de *vulnere*, aut *dolore*, *ſcindere* latine dici, nec opus eſſe, ut pro *ſcindere* in illo *Ciceronis* loco *reſcindere* legatur. Quod vero huc etiam trahendum verſum *Lucretii III*, 1007:

*Aut alia quavis* ſcindunt *cuppedine curæ*,

*Popma* mutavit, id minime probo, cum ſatis ſit perſpicuum, *ſcindere* hic eſſe idem, quod *in partes varias diſtrahere*, *diſturbare*, &, ut recte monet *Grævius*; *ſcindere curas animum*, pro eo, quod alii dicunt, *mordere*, *urere animum*; eleganter dici.

In notatis ad locum *Ciceronis* in *Or. pro Milone Cap.* 36: *Quæ ſi vos cepit oblivio*, *aut ſi in me aliquid* offendiſtis; *cur non id meo capite potius luitur*, *quam Milonis?* cum *Manutio* facit *Grævius*, tribuente hic æque, ac in ſimilibus nonnullis locis, verbo *offendere*, agendi formam habenti, patiendi ſignificationem, & illud *offendiſtis* poſitum pro *offenſi eſtis* exiſtimante. Huic, inquam, ſententiæ ſubſcribit *Grævius*, eandemque patiendi notionem in aliis *Ciceronis* locis, tam quæ *Manutius* nominaverat, quam his pluribus, agnoſcit. In quo multum ego falli puto Virum doctum & cum eo *Manutium*; qui, ſi præter vulgarem

*laden-*

*lædendi* ſignificatum, quem quippe tenere unum videntur, eam verbi *offendere*, non adeo raram, notionem, qua idem, quod *in aliqua re impingere*, valet, habuiſſent cognitam, in illis, quæcunque ſunt, *Ciceronianis* locis verbo activo commode vim agendi tribuiſſent, nec, tales in *Cicerone* formulas quærendi, quæ minime omnium *Ciceronianæ* ſunt dicendæ, impoſitam ſibi neceſſitatem vidiſſent. Pluribus hæc, quæ nunc verbo tetigi, a me explicata ſunt nuper in *Specimine ſecundo Animadverſionum ad Baſ. Fabri Theſaurum* Voc. *Offendo*, nec dubito, ita a me explicata eſſe, ut, parum hic acute vidiſſe *Grævium*, ſatis eſſe omnibus perſuaſum poſſit.

Notandum autem, & mirandum, illud maxime videtur, haud raro *Grævium* de tollendis emendandisque iis laborare, quæ non ſunt Latina tantum, ſed ipſi *Ciceroni*, nec huic ſemel, ſed bis ac ter, interdum etiam ſæpius, uſurpata; ut hinc ſuſpicari liceat, ne legiſſe quidem *Grævium* libros *Ciceronis* integros, aut, ſi legit, non ita diligenter legiſſe, ſicut decet eos, qui Auctorum veterum interpretes ſe profitentur, & hoc genere laborum aliis omnibus ſuperiores videri volunt, qui, niſi penitus ſe in Auctoris ſui lectionem abdiderint, hujusque univerſum genus dicendi ſibi cognitum reddiderint, & omnes quaſi formulas edidicerint, vix aliquid ſingulare, & illuſtri interpretis nomine ſatis dignum, præſtabunt. Poſſis hoc ipſum de *Grævio* ex illis etiam *Notis* judicare, ubi *Tullianas* locutiones, tanquam ſemel tantum huic Scriptori uſurpatas,

ex aliis Auctoribus illuſtrat, quarum illuſtriora longe exempla ex ipſo afferre *Cicerone* poterat. Talis eſt illa ad *Or. pro Milone Cap. 30*, ubi, in verbis *Tullii*: *Nec vero quiſquam aliter arbitrari poteſt, niſi qui nullam* majeſtatem *eſſe ducit numenve divinum*, recte *majeſtatem* legi pro vulgari *vim*, oſtendit, & ad id, ut, diis etiam *majeſtatem* tribui, doceret, varia *Nazarii*, *Senecæ*, *Juſtini*, *Suetonii*, *Zenonis*, *Prudentii*, & *Arnulphi Lexovienſis*, loca profert, quibus facile ſuperſedere cumulandis poterat, ſi ea tantum protuliſſet, quæ ipſe legenda præbet *Tullius*, quippe multa numero, & ita luculenta, ut, his lectis, alia aliorum Auctorum haud deſideres. Eſt enim hæc vocabuli *majeſtas* vis in *Lib. II de Nat. De. Cap. 30*: *At & ignoratio rerum aliena naturæ Deorum eſt; & ſuſtinendi muneris propter imbecillitatem difficultas minime cadit in* majeſtatem *Deorum*; in *Lib. I de Div. Cap. 38*: *Si ſunt Dii, neque ante declarant hominibus, quæ futura ſunt: aut non diligunt homines; aut, quid eventurum ſit, ignorant: aut exiſtimant, nihil intereſſe hominum, ſcire, quid futurum ſit: aut non cenſent eſſe ſuæ* majeſtatis, *præſignificare hominibus, quæ ſunt futura; - - - - - Neque hoc alienum ducunt* majeſtate *ſua: nihil eſt enim beneficentia præſtantius: neque non poſſunt futura prænoſcere*; in *Lib. II de Div. Cap. 49*: *Aut non cenſent* (Dii) *eſſe ſuæ* majeſtatis, *præſignificare hominibus, quæ ſint futura: - - - - - - neque hoc alienum ducunt* majeſtate *ſua*; *Cap.* item *51*: *Negant, id eſſe alienum* majeſtate *Deorum, ſcilicet caſas omnium introſpicere, ut videant, quid cuique conducat*;

*ducat*; & *Cap. 65*: *Ergo obſcura ſomnia, minime conſentanea* majeſtati *Deorum*; denique, ſi hoc etiam addere liceat, in illa, quam *Tullio Sigonius* tribuit, *Conſolatione*: *Deorum* majeſtatem *cogitare*.

Sed non his immorabimur, quibus, ſi nunc id ageremus, ſimilium exemplorum ex Notis *Grævianis* magna copia adjungi poſſet. Ad ea enim vocamur, quibus ipſa *Tulliani* ſermonis ratio repugnat, & quæ aliter aut emendaſſet, aut explicaſſet, *Grævius*, ſi *Ciceronem*, non dicam bis aut ter, ſed ſemel tantum, perlegiſſet. *Lib. XVI ad Attic. Ep. 5* verba ſunt *Tullii*; *Sed tamen rumoris neſcio quid afflaverat*, commiſſione *Græcorum*, *frequentiam non fuiſſe*: &c. Hic, *commiſſionem Græcorum* per ipſum *ludorum initium* explicanti *Popmæ*, negat, aſſenſum præbendum, *Grævius*, quod *Suetonio* in locis variis *committere ludos* non ſit *incipere*, ſed *edere*, *ludos*, atque adeo *commiſſio ludorum* non pro *initio ludorum*, ſed pro ipſo *celebrandi ludos actu*, debeat accipi. Neque tamen negare audet, *commiſſionem* eſſe *initium* nonnunquam, ſicut & *committere* idem, quod *incipere*. *Sed hic*, addit, *ut & alibi frequenter*, *eſt ipſum ſpectaculum*. Unde vero noverat hoc ipſum, & quibus rationibus probabit, *Grævius*? Non magis enim de ipſo *ſpectaculo*, quam de hujus *initio*, verba *Ciceronis* poſſunt accipi. *Suetonio* quid ſit *committere ludos*, nemo quærit; hoc quærimus, quid *Ciceroni*. Eſſe enim utramque, & *edendi*, & *incipiendi*, verbo *committere* ſignificationem, exempla veterum Auctorum docent, & ipſe *Grævius* agnoſcit.

 ſcit.

ſcit. De *Cicerone* mihi ſatis eſt exploratum, huic *committere ludos* nunquam eſſe *edere*, ſemper *incipere*, nec *commiſſionem ludorum* niſi *initium* ſignificari. Dabo, quæcunque habent formulam utramque, *Ciceronis* loca, ut ſic rem omnem poſſis rectius cognoſcere. Et alteram quidem, *committere ludos*, habes *Lib. III de Fin. Cap. 2: Heri, inquam*, ludis commiſſis, *ex urbe profectus, veni ad veſperum;* ubi *commiſſis* per *cœptis* explicat Cel. *Io. Aug. Erneſti* in *Clave Ciceroniana* Voc. *Committo*, nec aliter poſſe explicari, illud docet, quod ludi Romæ non uno tantum die, ſed continuo aliquot dierum ſpatio, celebrari conſueverunt, dicique adeo, ſi *committere* ſit *edere*, non potuit: *heri, ludis commiſſis*. Eadem eſt ratio, cur *committere* pro *incipere* accipiendum ſit in loco altero *Lib. III ad Qu. Fr. Ep. 4: Hæc ſcripſi a. d. IX Kalend. Novemb. quo die* ludi committebantur, &c. Nam, ſi *committere* eſt *edere*, non uno illo die ludos poterat commiſſos dicere *Tullius*, qui per plures dies edebantur. Sed, quod ad alteram formulam, *commiſſio ludorum*, hanc *initium* notare *Tullio*, certiſſime intelligitur ex *Lib. XV ad Attic. Ep. 26: Equidem illos* (ludos) *celebrari, & eſſe quam gratiſſimos, mirabiliter cupio; idque ita futurum eſſe confido: & tecum ago, ut jam ab ipſa* commiſſione *ad me, quemadmodum accipiantur; deinde omnino reliquorum dies ſingulos perſequare*. Ita clara ſunt verba, ut interpretatione non indigeant, nec, quantumvis torqueas ingenium, quidquam ejus ſignificationis extorquere poteris, quam *Grævius* in verbis, ante adductis, urget. Neque adeo mihi dubitandum videtur, fuiſſe *Grævium*, ſi

hæc

hæc tria loca *Tullii* habuiſſet cognita, ad probandam *Popmæ* explicationem, &, quam idem poſuit, formulæ, *commiſſio ludorum*, ſignificationem, facillimum futurum.

Eſt locus in *Or. pro Marcello Cap. 4: Omnium Marcellorum meum pectus memoria* obſudit. Ubi, non deſunt, qui delendum putent illud *obſudit*, quod aliquid barbari habeat verbum *offundere* cum caſu quarto conjunctum. Ipſe *Grævius*, Codicum omnium conſenſum videns, non audet in hæc verba falcem criticam immittere, nec negat, illud *offundere pectus* defendi poſſe, & vi Præpoſitionis *ob* verbo *offundere* caſum quartum jungi; addit tamen hoc, *cum apud Ciceronem, tum apud Livium & Poetas, ſemper huic verbo caſum tertium accedere*. Itaque uſum hujus formæ deſiderat, & dicendi hoc genus valde putat inſolitum. Sed, doceri te, Lector, patiare, non ita eſſe rarum hoc genus, ſicut *Grævio* videtur. De *Livio* & *Poetis* nihil laboro, in quibus nec inveni, nec veſtigavi, exempla. At, ne deſideres hos ipſos, ſcriptores æque nobiles, *Valerium Maximum* & *Tacitum*, dabo, utrumque hac, quæ *Grævio* inſolita videtur, forma utentem; alterum *Lib. III Cap. 8. §. 3: Non exiſtimare ſe* tantis tenebris offuſam eſſe rempublicam, &c.; alterum *Ann. XI, 31, 3: Satis conſtat, eo pavore offuſum Claudium, ut* &c. Quod vero ad *Ciceronem* attinet, ſane hic memoria fefellit *Grævium*, cui nota eſſe aut poterant, aut debebant, verba *Tullii Lib. III de Fin. Cap. 14: Ut enim obſcuratur & offunditur luce ſolis lumen lucernæ*, &c. in quibus

manifeſta hæc, quæ in loco *Ciceronis* altero, conſtruendi verbi *offundere* ratio eſt; ut hinc alter ille locus minus nobis videri ſuſpectus debeat.

In *Or. pro Sulla Cap. 14* non placet *Grævio* vulgaris lectio: *Vos me ab omnibus ceteris cogitationibus ad unam ſalutem reipublicæ* contuliſtis, ſed *contuliſtis* in *convertiſtis* transmutat. Idonea eſt ratio, quod ita legatur in Palatino Codice. Sed, quod addit, *non ſapere Latino palato vulgatam lectionem*, id parum probo. *Si Cicero ſcripſiſſet*, ait, *ſe a ceteris cogitationibus ad ſalutem reipublicæ ſe contuliſſe, non hæreremus. Nam* conferre *quidem* homo *dicitur cogitationem* ad aliquid; *ſed ab alio non dicitur*, conferri ab hac re ad illam. Quaſi vero inter *me* & *te* tantum intercedat diſcriminis, ut, quod de me dicitur, non idem de alio poſſit dici. Aut ego palati illius Latini nihil habeo, aut ipſe *Grævius* hic delicate nimis ſapit. Si *conferre* vim *convertendi* habet, *converti* autem, præter me ipſum, alius quisque poteſt; non video, quidni *conferre* alios æque dici, ac *convertere*, poſſit. Atqui *conferre* idem, quod *convertere*, valet in locis *Ciceronis* variis, quorum hæc præ ceteris notabimus: in *Or. pro Ligar. Cap. 1: Omnis oratio ad miſericordiam tuam* conferenda eſt; & in *Or. pro Marcel. Cap. 6: Ut mihi quidem videantur Dii immortales - - - - omnem ſpem ſalutis ad clementiam victoris & ſapientiam* contuliſſe. Ferendam igitur putarem vulgatam lectionem, niſi altera illa probati ſatis Codicis auctoritate niteretur. Idem mecum ſentit Cel. *I. A. Erneſti* in *Clave Ciceroniana* Voc. *Conferre*.

In

In *Or. pro P. Quint. Cap.* 23 ita legitur: *Fides hujus multis locis cognita, ne perſidia Sex. Nævii* derogetur, *laborant.* Nihil nec ipſe *Grævius* mutat; ſed qui in *Nota* docet, *aut* ei *ſubaudiendum, aut excidiſſe, ac ſcribendum eſſe:* ne perſidia Sex. Nævii ei derogetur. Itaque ex mente *Grævii derogare alicui rei* tantum dicitur, non item *aliquam rem.* In quo diſſentire mihi liceat a Viro docto, ſi quidem recte ſe habet *Fragmentum* illud *Orationis Tullianæ I pro C. Cornelio*, ab *Aſconio* ſervatum: *Tertium eſt de legum abrogationibus. Quo de genere perſæpe Senatusconſulta fiunt, ut nuper de ipſa lege Calpurnia*, quæ derogaretur. Ubi *Nizolius* legit *cui*, ſed, qua auctoritate, neſcio. Alium *Ulpiani* locum *Faber* in *Theſauro* adducit; ſed nolim hoc Auctore uti, quod ſatis conſtet, JCtorum veterum dicendi genus ab aurea ætate eſſe longius remotum.

*Lib. II in Ver. Cap.* 26 verba habes: *Heraclium reſtitui juſſerat* (Metellus): *non reſtituebatur. Quisquis erat* eductus *Senator Syracuſanus ab Heraclio, duci jubebat. Itaque permulti ducti ſunt.* Hic, præter alios, *Grævius* in illo *eductus* hæret, qui, *ſi libri veteres eſſent ſubſidio, malle ſe*, ait, *cum Lambino* editus eſt, *hoc eſt, nominatus tanquam particeps criminis.* Quo ipſo, non intelligere ſe verbi *educere* forenſem ſignificatum, quem cum altero *edere* pæne communem habet, manifeſtum facit. Eſſe enim *educere* idem, quod *in jus vocare* aut *ducere, de crimine accuſare*, vel ex his ipſius locis *Ciceronis*, quæ maxime in *Verrinis* ſunt obvia, patet: *Lib. III in Ver. Cap.* 47: *Cum in jus ipſum* eduxi, *expreſſi, ut conficere tabulas ſe nega-*

*ret.*

*ret.* *Ead. Lib. Cap. 65: Aditum eſt ad Metellum:* eductus eſt *Apronius: eduxit vir primarius C. Gallius, ſenator poſtulavit a L. Metello, ut ex edicto ſuo judicium daret in Apronium*, &c.; ad quem locum ab *Hotomanno* alius *Aſconii* profertur ex *Orat. in Toga candida: Deinde Græci, quos ſpoliaverat*, eduxerunt *Antonium in jus ad M. Lucullum Prætorem, qui jus inter peregrinos dicebat.* Sed ita etiam *Tullius Lib. II in Ver. Cap. 37: Ita illi non procraſtinant: Sthenium ſtatim* educunt; *ajunt, ab eo literas publicas eſſe corruptas;* & in *Or. pro Planc. Cap. 23: Atque is quidem* eductus *ad Conſules, qui tum in crimen vocabatur, ſe inique a tuis jactatum graviter querebatur;* ubi imperiti quidam librarii pro *eductus*, *adductus* ſcripſerunt. Hunc igitur ſi teneas ſignificatum, quid facilius, quam, hunc verborum *Ciceronis* eſſe ſenſum, videre: *Quisquis ex Senatoribus Syracuſanis ab Heraclio in jus ductus, coram Prætore accuſatus fuerat, hunc Prætor in carcerem duci juſſit.* Ita plana hæc, ut vix verbum ullum huic loco melius, quam illud *educere*, conveniat. Ulcus hoc *Grævianum* tetigiſſe ante me video Doctiſſ. *Erneſti* in *Clave Ciceroniana* Voc. *Educo*.

Sed magis mireris, ad verba *Or. pro Clu. Cap. 31: Te vero illud idem, quod tum exploſum & ejectum* eſt, *nunc retuliſſe demiror*, a *Grævio* hæc potuiſſe ſcribi: *Num latine dicatur ejici res, aut negotium, pro repudiari, exſibilari, viderint, qui hanc ſcripturam tuentur. Homines* ejiciuntur, *non res. Mihi videtur Cicero ſcripſiſſe:* quod eam exploſum atque rejectum eſt. Sane, ne ita ſcriberet

Græ-

*Grævius*, non opus erat attente legiſſe *Tullium*, pervolutaſſe ſatis erat. Vix enim dicere poſſis; utrum plura exſtent loca *Tullii*, in quibus *ejicere* pro *rejicere* de *rebus* uſurpetur, an quæ ipſum hoc, quod mavult *Grævius*, *rejicere* oſtendant. Mihi quidem ex illis hæc ſunt cognita: *Lib. I de Or. Cap. 32: Sic eſſe non eloquentiam ex artificio, ſed artificium ex eloquentia natum: quod tamen, ut ante dixi, non* ejicio. *Eſt enim, etiamſi minus neceſſarium ad bene dicendum, tamen ad cognoſcendum non illiberale. Lib. I de Off. Cap. 41: Cynicorum vero ratio tota eſt* ejicienda. *Lib. II de Or. Cap. 24: Ubi plus mali, quam boni, reperio, id totum abjudico, atque* ejicio. *Lib. II ad Att. Ep. 24: eoque magis id* ejectum *eſt, quod* &c. in *Or. pro Sulla Cap. 27: Ex magnis, & diuturnis, & jam deſperatis, reipublicæ morbis iſta repente vis erupit, ut, ea confecta &* ejecta, *convaleſcere aliquando & ſanari civitas poſſit; & Cap. 31: Vita erepta eſt ſuperiore judicio: nunc, ne corpus* ejiciatur, *laboramus.* Sed, ne dubitet *Grævius*, etiam de iis ſive hominibus, ſive rebus, quæ *exploduntur* & *exſibilantur*, verbum hoc *Ciceroni* uſurpari, hæc etiam accipiat: *Lib. III de Or. Cap. 50: Quid? hoc non idem fit in vocibus, ut a multitudine, & populo, non modo catervæ atque conventus, ſed etiam ipſi ſibi ſinguli diſcrepantes* ejiciantur? In *Or. pro P. Sext. Cap. 55: Is, qui antea cantorum convicio conciones celebrare ſuas ſolebat, cantorum ipſorum vocibus* ejiciebatur. *Lib. IV de Fin. Cap. 12: Hoc ſimile tandem eſt non riſu potius, quam oratione,* ejiciendum? & *Lib. V Cap. 8: Jam exploſæ* ejectæ-

que

que *ſententiæ Pyrrhonis*, &c. Nihilne ex tanto exemplorum numero cognitum fuiſſe tanto veterum Auctorum interpreti tu putes? Accedere autem quam proxime hanc dicendi rationem ad Græcorum illud ἐκβάλλειν, quod vim prorſus eandem habet, jucunde cognoſcis ex Cel. *Erneſti Clave Ciceroniana* Voc. *Ejicio.*

Sed nondum dimittimus *Grævium*, qui multa exſtare negat, quæ non legerat, in *Cicerone*: *Lib. I de Off. Cap. 35* ita habent plurimæ editiones: Ab omni, *quod abhorret ab oculorum auriumque approbatione*, fugiamus. At *Grævio* magis placet ſui Codicis, quem *primum* dicit, lectio: *omne - - fugiamus;* & ſic exhibet verba in ſua editione. Probat autem hanc lectionem ob id inprimis, quod incognitam veteri Latio illam verbi *fugere* cum Præpoſitione *ab* jungendi rationem putet. Ita enim accipio verba: *Neſcio, quam Latine dicatur*: ab omni fugiamus. Nam, ſi, in aliis formulis conſtructione hac uſos veteres, non ignoravit, cauſam ſcire velim, cur minus ferendam in hac *Ciceronis* diceret. Relinquitur igitur hoc, ut fatendum ſit *Grævio*, eorum exemplorum, quæ ſunt in ipſo *Cicerone* obvia, & conſtanti omnium Codicum conſenſu firmantur, fuiſſe ſibi nihil cognitum, nec de conſtructionis illius integritate dubitaturum fuiſſe, ſi hæc legiſſet: *Lib. XVI ad Div. Ep. 12*: *Bellum paratum eſt; ejusmodi tamen, quod ſuſtinere ille non poſſit, præſertim cum* a ſuis conditionibus *ipſe* fugerit; *Lib.* item *IV in Ver. Cap. 33*: *Quod ab Ænea*, fugiente a Troja, - - *conditum eſſe demonſtrant*; *Lib. V Cap. 56*: *eos Sertorianos milites*

*eſſe,*

*eſſe, atque* a Dianio fugere, *dicebat;* & *Cap.* 59: A Dianio fugientes, *ad Siciliam eſſe delatos;* denique in *Or. pro A. Clu. Cap.* 66: *Sed ut* a crudeliſſimo hoſte fugiſſet, &c. Quibus ſi quis plura deſideret, næ, is valde moroſus ſit, &, quid ſit Latine dicere, neſciat, neceſſe eſt. Nimirum nihil horum exemplorum *Nizolius* habet, ſed hæc ſtudio quærenda ſunt in ipſo *Tullio;* quod non omnibus eſt datum. Itaque locum, per me licet, inveniat *Græviana* emendatio, modo rejiciendam, aut minus Latinam, non putes alteram, magis vulgarem, lectionem.

Idem dicendum eſt de *Nota Grævii ad Or. pro L. Flac. Cap.* 37, ubi *Tullius: præſertim cum ipſe, non deducendo Falcidium,* judicium feceris, *plus falſam epiſtolam habituram ponderis, quam ipſius præſentis fictam vocem, & ſimulatum dolorem.* Ita enim cum ceteris ipſe *Grævius* legit, monens tamen, magis ſe probare libri *Franciani* lectionem: *indicium feceris*, &, cur probet, hanc rationem addens, quod *judicium facere de homine, aut re, recte dicatur, ſed ſimpliciter judicium facere pro judicare non dixiſſe veteres videantur.* Et bene quidem, id tantum ſibi videri, dixit, quod multo certius ſcire poterat, ſi ipſum *Tullium* legiſſet. At mihi ita non videtur, cui in promtu ſunt duo *Ciceronis* loca, in quibus, nemo negare poſſit, abſolute *facere judicium* pro *judicare* poſitum: alter *Lib. II de Inv. Cap.* 11: *ſubita ex criminatione, quæ confingi facile poſſit, non ex ante acta vita,* - - - facere judicium; alter *Lib. XIII ad Div. Ep.* 29: *Ut primum per ætatem* judicium facere *potueris, quanti quisque tibi faciendus eſſet.* Quorum uterque partim

ſim ad id valet, ut nihil habere formula hæc reprehenſionis putetur, partim ut, loco illi *Ciceronis*, paulo ante adducto, non opus eſſe falce critica, appareat.

Similia his addere complura poſſem, ſi mihi, aut aliorum uti laboribus, a) aut ſtudio id agere, ut Viri de omni literarum genere longe meritiſſimi errores colligerem, ſatis decorum videretur. Claudemus igitur hos nimis turbidos & inamœnos rivos, Manibusque *Grævianis* bene precabimur, ſi prius de loco quodam *Ciceronis*, a *Grævio* non ſatis, ut mihi videtur, feliciter emendato, tria verba addidero. Eſt is *Lib. XII ad Attic. Ep. 40: Si quis requirit, cur Romæ non ſim:* quia diſceſſus eſt. Ita enim Codices MSti, præter *Balliolenſem*, qui *quod diſceſſimus* habet, omnes, & editiones, quæcunque exſtant, legunt. Hoc ipſum autem *diſceſſus eſt* Corradus,

a) Poſſunt enim bene multa peti ex *Io. Aug. Erneſti*, Viri Clariſſimi, *Clave Ciceroniana*, quo in libro, ſi vocabula *Arbitrium*, *Certus*, *Concipere*, *Concoquere*, *Conditio*, *Conſecratio*, *Cummaxime*, *Decedere*, *Denique*, *Deſcriptio*, *Deſpicio*, *Deſtituo*, *Degredi*, *Diſcidium*, *Dominium*, *Efficere*, *Embolium*, *Emittere*, *Epicopus*, *Evictus*, *Exhibere*, *Expoſitus*, *Exprimere*, *Ferre*, *Hærere*, *Honor*, *Inexplicabilis*, *Judicium*, *Literate*, *Manus*, *Montani*, *Negotium*, *Notæ*, *Ordiri*, *Planguncula*, *Proprie*, *Punire*, *Redactus*, *Referre*, *Regere*, *Rejicere*, *Saltator*, *Solium*, *Subſellium*, *Summa*, *Tum*, *Velites*, *Ventus*, *Vicem*, & *Viceſima*, evolvas, videbis, talia, non exprobrata *Grævio*, (eſſet enim hoc a doctiſſimi Viri humanitate alienum,) ſed modeſte notata, quæ ipſe, ſi viveret, *Grævius* defendenda non putaret.

ratus, & cum eo interpretes plerique omnes, ita interpretantur: *Tempus eſt, quo Senatoribus diſcedere licet, & rus petere.* Notum eſt enim, certos ſtatosque fuiſſe quotannis Romæ dies comitiales, quibus, per legem Pupiam, Senatum haberi nefas fuit, ut *Cicero* docet *Lib. I ad Div. Ep. 4, Lib. II ad Qu. Fr. Ep. 2, eod. Lib. Ep. 13,* & *Lib. II in Ver. Cap. 52.* Qui autem fuerint illi dies, explicant antiquitatum Romanarum ſcriptores, quos neminem legiſſe pœnitebit. Illas ferias, quarum mentionem in *Epiſtola ad Atticum* facit *Cicero,* incidiſſe in prima æſtatis tempora, obſcurum eſſe non poteſt integram *Epiſtolam* legenti. Unus autem, cui dubia videatur verborum, *diſceſſus eſt,* in *Ciceronis* hoc loco integritas, *Grævius* eſt, qui, *vereri ſe,* ait in *Nota ad h. l., ut ſimpliciter, ſine ulla alia voce adjecta,* diſceſſus *accipiatur pro tempore, quo Senatus diſcedendi habet poteſtatem,* & exemplum requirit, ubi *diſceſſus eſt* dicatur pro *tempus eſt diſceſſus Senatus,* nec *Ciceronianam* eſſe hanc dicendi rationem, vel hoc uno ſibi probare videtur, quod aliis in locis *Cicero* non nudum vocabulum *diſceſſus,* ſed *diſceſſum Senatus,* aut *diſceſſum bonorum,* poſuerit. Itaque, ſi *Grævium* ſequaris, admittenda ſit potius Codicis *Balliolenſis* lectio, *quia diſceſſimus,* & hic verbis *Ciceronis* ſenſus tribuendus: *Si quis ex te quærat, cur Romæ non ſim, reſponde ei, non aliam mihi cauſam eſſe, quam quod libuit diſcedere, & aliquamdiu in ſeceſſu agere.* Sed, omnibus modis id agens *Grævius,* ut, vera hæc eſſe *Ciceronis* verba, nobis perſuadeat, non, quod mireris, audet ipſo textu ejicere vulgarem lectionem, ſed hanc

in ſua *Ciceronis* ἐκδόσει cum ceteris conſtanter ſervat. Nec ſane tantum ego roboris ineſſe putem rationibus, a *Grævio* allatis, ut, harum cauſa, quidquam mutandum in textu ſtatuam. Nam, ſi peregrinum *Grævio* videtur, *diſceſſum* pro *diſceſſionis tempore* poſitum, non ignorabat, puto, ſimiles complures voces, & actum ipſum, & agendi tempus, notantes, quales eſſe, ut his unis utar, *meſſis* & *nundinæ*, ſatis inter omnes conſtat; nec poterat, quod ad ipſum *diſceſſus* vocabulum, non meminiſſe locorum ejusdem *Tullii*, quæ vocem hanc non alio, quam quo *diſceſſionis tempus* notat, ſignificatu habent. Quid enim dicet ille de his, quæ ſunt *Lib. VII ad Div. Ep. 10: Scire enim cupio, quid agas, quid exſpectes, quam* longum *iſtum tuum* diſceſſum *a nobis futurum putes.* Sane non eſt longa diſceſſio, quippe quæ tempore fit breviſſimo, ſed ipſum diſceſſionis, aut abſentiæ, tempus longum eſt. Addo huic locum ſimilem *de Senect. Cap. 23: Me ipſe conſolabar, exiſtimans, non* longinquum *inter nos digreſſum & diſceſſum fore*; alium etiam *Lib. XI Ep. 27: Tuus deinde* diſceſſus, *iſque diuturnus, ambitio noſtra, & vitæ diſſimilitudo, non eſt paſſa, &c.* & hunc in *Or. pro Domo Cap. 32: Quis meorum amicorum teſtamentum* diſceſſu *meo fecit, qui mihi non idem tribuerit, quod & ſi adeſſem?* Hic enim *diſceſſu* idem eſt, quod *in diſceſſu*, hoc eſt, *tempore abſentiæ.* Sic etiam *Lib. II de Leg. Cap. 17: Omnia tum perditorum civium ſcelere,* diſceſſu *meo,* (hoc eſt, *in diſceſſu*, ſeu *diſceſſus tempore*,) *religionum jura polluta ſunt*; & in *Parad. IV: Et me tuo nomine appellas, cum omnes meo* diſceſ-

ſu

ſe *circulaſſe rempublicam putent.* Nec reſpuit hanc ſignificationem alter ille, quo ipſe utitur *Grævius*, locus, *Lib. III ad Div. Ep. 9: Omnino ſerius miſi literas, quam vellem: in quo cum difficultas navigandi fuit odioſa; tum ipſum* diſceſſum *Senatus incidiſſe credo literas meas.* Ita enim interpretari hæc licet: *Literæ meæ inciderunt in illud tempus, quo Senatus diſceſſit, aut abfuit.* Sin, quod videtur inprimis, ferre non poteſt *Grævius* ellipſin vocis *Senatus*, miror, in uno hoc loco tam eſſe difficilem, tamque animi pendere, cum ſint pleni ejusmodi dicendi compendiorum non *Epiſtolarum ad Atticum Libri* tantum omnes, ſed *Epiſtolæ* etiam ſingulæ, ſitque hæc, cur pauci legant has *Epiſtolas*, cauſa non poſtrema, quod frequentiſſimæ ellipſes lectionem haud parum morentur, & obſcurum ſæpiſſime verborum ſenſum efficiant. Et, ut exemplo aliquo, tanquam fortiſſimo telo, in *Grævium* utar, ſi mirum eſt illi, ellipſin eſſe vocis *Senatus* in formula, *diſceſſus eſt*, quidni æque ſit mirum, eandem ellipſin in ſimili formula, *facta eſt diſceſſio*, agnoſci? Idem enim eſſe, *facta eſt diſceſſio*, quod, *facta eſt diſceſſio Senatus*, nemo eſt tam rudis forenſium antiquitatum, qui neſciat. At vero tam familiaris hæc ellipſis *Ciceroni* eſt, ut ſemper, *facta eſt diſceſſio*, nunquam, quod ſciam, *facta eſt diſceſſio Senatus*, dixerit. Sic enim ille *Lib. I ad Div. Ep. 4: Nemo eſt enim, qui neſciat, quo minus* diſceſſio fieret, *per adverſarios tuos eſſe factum; Lib. IV in Ver. Cap. 65: At vero, cum jam non ſolum* diſceſſio facta eſſet, *ſed etiam perſcriptum,*

*ptum, atque in tabulas relatum, Prætor appellatur;* in *Or. Phil. III Cap. 9: Fugere feſtinans, Senatusconſultum de ſupplicatione per* diſceſſionem *fecit, cum id factum eſſet antea nunquam;* in *Or. pro P. Sext. Cap. 34: Cum omnes certatim, aliusque alio gravius, atque ornatius, de mea ſalute dixiſſet,* fieretque *ſine ulla varietate* diſceſſio. Et ſic pluribus in locis *Cicero;* ſic etiam *Gellius Lib. III Cap. 18,* & *Plinius Lib. II Ep. 11, Lib. IX Ep. 13,* & alibi. Quodſi igitur *diſceſſio* idem eſt, quod *diſceſſio Senatus;* quidni idem ſit *diſceſſus,* quod *Senatus diſceſſus,* eo inprimis in loco, quo ita frequenter obvia ſunt ejusmodi dicendi compendia, ut vix, quæ careat ellipſi, formulam invenias? Quam ſit autem lectio *Balliolenſis* Codicis vulgari poſtponenda, vel ex his, quæ ſubjecta ſunt his verbis in *Epiſtola Tulliana,* cognoſci poteſt, quippe quæ temporis inprimis mentionem faciunt, neque adeo tam commode lectioni, *quia diſceſſimus,* quam alteri, *quia diſceſſus eſt,* accommodari poſſunt. Eſt enim hæc verborum ſeries: *Si quis requirit, cur Romæ non ſim; quia diſceſſus eſt. Cur non ſim in his meis prædiolis, quæ ſunt hujus temporis: quia frequentiam illam non facile ferrem. Ibi ſum igitur, ubi is, qui optimas Bajas habebat, quotannis hoc tempus conſumere ſolebat.*

---

VII.

# VII. GUILIELMI CAVEI AD OTTONEM MENCKENIUM EPISTOLÆ QUATUOR.

## LECTORI S. D. FRID. OTTO MENCKENIUS.

Si qui colloquentem nuper cum *Menckenio Caveum* cum voluptate audierunt, his novum jam aliæ quatuor ejusdem ad eundem Epiſtolæ pabulum animi præbeant. Eos vero, qui nauſeant hæc fercula, nec, ſeria jucundis his diſtinguere, ſua ſatis dignum gravitate putant, valde eſſe moroſos ac difficiles oportet, ſi, quicquid eſt hujus ſpatii, cui ſunt implendo deſtinatæ hæ Epiſtolæ, malint vacuum videre, quam tale quid legere, quod non ſit ex intimis ſublimioris doctrinæ penetralibus petitum. Non is ego ſum, qui doctorum hominum epiſtolas majoris, quam ſit ex harum dignitate, æſtimandas, aut has unice legendas his, qui veræ eruditionis ſtudioſi ſunt, contendam; at dari tamen mihi hoc unum, quod negant fortaſſe pauci, volo, non magis genus hoc ſcribendi, quod epiſtolare dicitur, quam quæcunque alia, à vera doctrinæ ratione abhorrere, nec, quæ per literas amicus docere amicum ſolet, ob id ipſum minus eſſe bona & utilia literis putanda. De *Caveanis* his utcunque exiſtimetur, dubitare mihi liceat, an Lectorum unus ſit futurus, qui bonæ

frugis in his prorſus nihil agnoſcat, nec, ſi qua literaria his continentur; hæc ſcire, quam neſcire, ſatius exiſtimet. Sermonis autem elegantiam, ingeniique ſuavitatem, in Epiſtolis his eſſe tantam, præ me fero, ut vel hoc nomine omnibus debeant, etiam nolentibus, placere. In quo ſi mea minime me fallit opinio; non eſt, cur his *Cavei*, Viri optimi, Epiſtolis meæ etiam, eæque commendatitiæ, accedant; inprimis cum hoc quoque ſit timendum, ne minus hæ placeant ab homine obſcuro commendatæ, quam placere per ſe ipſæ poſſunt. Eat igitur hæc etiam puſilla reliquiarum tanti Viri portio, & communem cum ceteris Epiſtolis, quas nuper demum juſſimus e ſuis tenebris exire, ſortem ferat. Notas, paſſim a me additas, non ejus eſſe generis, ut Auctoris ſui doctrinam oſtentent, ſed ad id ſpectare, ut obſcurius a *Caveo* dicta lucem aliquam accipiant, tum, cum leges, intelliges. Nimirum, unum hoc me agere, ut omni ex parte ſtudioſiſſimum tui me invenias, adeo me non pudet fateri, ut nihil etiam hoc ipſo magis tibi cupiam perſuaſum, &, ſi hoc effecero, videar mihi id, quod bonis omnibus maxime ſit expetendum, aſſecutus.

## EPISTOLA I.

## OTTONI MENCKENIO

S. D.

## GUILIELMUS CAVEUS.

Arg. *Effigiem ſuam petenti Menckenio proxime ſe miſſurum ſpondet.*

Lite-

Literæ tuæ, mi *Menckeni*, ut ſolent ſemper, gratiſſimæ fuerunt, die ſexta hujus menſis mihi redditæ. Et, dum ad reſpondendum memet accingo, en a te alteræ. Ecce (inquam ego) quam liberaliter mecum agit *Menckenius* meus, duas in una hebdomade epiſtolas elargitus. Quas ad me dediſti Novemb. 28, recte accepi, iisque ſpero generum meum D. *Rob. Gerium* (ita enim ei in mandatis dederam) dudum reſponſum dediſſe. Librum *de Chriſtianiſmo primitivo* tanto in pretio vobis haberi, eſt, quod mihimet gratuler. Petis bibliopolæ veſtratis nomine, ut effigiem meam æri incidendam in charta delineari curem. Quid? An me ſemivivum ſuſpendetis in effigie? An ſpectrum vultis, facie pallidum & macilentum, etiam pueris terriculamentum? Librine veſtibulo ſiſtetis mortis janitorem, qui horrorem potius incutiat, quam legentes alliciat, & manu ducat? Sed, ut agam ſerio, ſemel tantum in vita imaginem meam, idque manu ſat infelici, depingi paſſus ſum; nihilo minus libenter vobis hac in parte morem gererem, ſed, qui intra tam arctum temporis ſpatium id fieri poſſit, non video. Sum hic Windeſoriæ poſitus, Prælectoris theologici in Collegio noſtro munus ſuſtineo, adeoque toto hoc quadrageſimali tempore nullo modo abeſſe poſſum, neque his in locis reperitur artifex, qui vel rudi manu faciem, quam tantopere, ſi diis placet, cupitis, delinearet. Si quid intervenerit, quod libri editionem ad tempus aliquod protelaret, proxime poſt Paſcha Londinum proficiſcerer, & quod vultis, fieri curarem. Sed fruſtra hoc fecerim,

 niſi

niſi a vobis admonitus, editionem tam diu differri poſſe. Interim Bibliopolæ veſtro felicem hac in parte ſucceſſum ex animo precor. Tempus eſt, Vir celeberrime, ut te dimittam, precibus ad aras usque proſecutus. Vale, & feliciter vive. E Colleg. Windeſor. IV id. Mart. 169¾.

# EPISTOLA II.
## OTTONI MENCKENIO
S. D.
## GUILIELMUS CAVEUS.

Arg. *Varia exponit nova literaria.*

Hiſtoriæ Literariæ Partem alteram, quam diu medicatus ſum, nec dum abſolvi, nec plane depoſui. Spero, me ſequenti æſtate ad umbilicum perducere poſſe; etiamſi vereor, ut tanti ſit, quæ publico donetur. *Teſtamentum Millianum* expectamus omnes, & forſan adhuc expectabimus; de quo vetus verbum dici poteſt, *cras fiet, cras fiet*; etſi in hoc opere abſolvendo ſe totum eſſe profiteatur Autor. a) *Joſephus* Oxonienſis b) æternis

a) At diu poſt ſcriptas has *Cavei* literas, anno nempe 1707, *Millii* hoc Opus Oxonii, e theatro *Sheldoniano*, forma majore, prodiit, ita inſcriptum: *Novum Teſtamentum Græcum, cum Lectionibus variantibus, locis parallelis, & Prolegomenis, ſtudio* Io. Millii, *Th. D.* Idem Opus, *melius diſpoſitum & locupletatum a Ludolpho Kuſtero*, A. 1710 Amſtelodami & Lipſiæ, forma majore, iterum in lucem exiit. De utraque editione, lege, quæ dicta ſunt in *Actis Eruditorum A. 1708 Menſ. Jan. pag. 1 ſeq.* & *A. 1710 Menſ. Oct. pag. 421.*

b) Hic ſive inſtitutum *Eduardi Bernardi* intelligat Ca-

nis jam damnatur tenebris, nuſquam, quantum video, reſuſcitandus. Catalogi Manuſcriptorum Tomus prior Oxonii brevi proditurus eſt, quem mox ſequetur alter. c) Antiquitates quaſdam agri Oxonienſis prelo ſubmiſit *Wh. Kénetus*, d) nuper ex Aula S. *Edmundi*. *Lelandi* & *Boſtoni Burienſis* Opuſcula de Scriptoribus Angliæ prelo Oxonienſi parata eſſe, audio; e) quid vero hac in re

*Caveus*; hunc, ſatis conſtat, *Joſephi Antiquitatum Judaicarum Libros quatuor*, cum *Notis* ſuis, Oxonii A. 1700, fol. edidiſſe; ſive, quod verius videtur, ſermo ei ſit de *Io. Hudſoni* deſtinatis, nemo neſcit, *Opera Joſephi omnia*, ab *Hudſono* luci parata, & hujus *Notis* inſtructa, hoc demum exſtincto, A. 1720, opera *Antonii Hallii*, duobus majoris formæ Voluminibus, Oxonienſium theatro *Sheldoniano* prodiiſſe.

c) Nimirum *Thomæ Smithii Catalogus MStorum Bibliothecæ Cottonianæ*, cum *Vita Roberti Cottoni*, & *Hiſtoria Bibliothecæ*, Oxonii A. 1696, & ibidem A. 1697 *Catalogus Manuſcriptorum Angliæ & Hiberniæ*, uterque liber majore forma prodiit.

d) Anglico ſermone Oxonii A. 1695, 4. prodiit hic *Kennetti*, Vicarii Ambroſdunenſis, liber, ita inſcriptus: *Parochial Antiquities in the hiſtory of Ambroſden, Burceſter*, &c. *by* John Kennet; de quo legenda ſunt *Acta Erud. Supplem. Tom. III Sect. V. pag.* 223.

e) Id muneris in ſe ſuſceperat *Thomas Tannerus*, ſed qui tum temporis horum nihil dedit. Diu autem poſt, anno præſentis Seculi nono, primus *Lelandum* (de *Boſtono* enim mihi quidem nihil conſtat) ex avtographo Auctoris Oxonii, forma 8, edidit *Antonius Hallius*, ex cujus Præfatione hæc ſibi notet Lector: *Tredecim, aut eo amplius, abhinc annis idem*

re geſtum ſit, pro certo affirmare nequeo. Ex Italia quid tibi novi literarii? De *Schelſtratii* Opere Geographico quid ſit? f) Certe illud calidiſſimis votis expeto & expecto. Dominum *Ittigium* meo nomine perquam officioſe ſalutes. Me quod attinet, valetudine utor neque integra, neque (per Dei gratiam) plane proſtrata; ita ut cum libris meis quandoque verſari liceat. Valeas quam diutiſſime, mihi, amicis, publico, Vir amiciſſime, mihique dilectiſſimum caput; &, quod ſoles, mihi faveas. E Colleg. Windeſor. VIII Idus Februar. in ipſo capite Quadrageſimæ 169$\frac{4}{5}$.

---

# EPISTOLA III.

## OTTONI MENCKENIO S. D. GUILIELMUS CAVEUS.

Arg. *Oſtenſurum ſe ſpondet, verum eſſe Geneſii fœtum, quæ ei tribuitur, Hiſtoriam Byzantinam.*

In

*idem negotium* (edendi *Lelandum*) *ſuſcepit Vir eruditus,* Thomas Tannerus. *Sed, cum jam in eo ſit, ut novam Scriptorum Hiſtoriam pertexat, exiſtimavi, me facturum rem nec illi ingratum, nec orbi literato inutilem, ſi præclaram hanc ingenii* Lelandiani *fœturam ab interitu vindicarem* &c.

f) Prodiit *Schelſtratenii Antiquitatis Eccleſiæ Opus geographico-hierarchicum* Romæ A. 1697, fol. cum ante A. 1692 ibidem *Antiquitatis Eccleſiæ Opus Chronologicum* prodiiſſet. Hunc ipſum librum inſcripſit Autor *Tomum primum*, alterum *Tomum ſecundum*; ut adeo duos hos libros recte unius operis partes duas dicas.

In procinctu jam ſum, ad aquas, quas vocamus, Tunbrigienſes profecturus. Inde reverſum, ſpero, poſt menſem unum alterumve, ſaltem ante hyemem, Hiſtoriæ meæ Partem alteram typis mandaturum. Si Collectio Conciliorum Hiſpaniæ (cujus in noviſſimis meminiſti) his in partibus haberi poterat, non dubito, meam Conciliorum hiſtoricam notitiam plurimum inde augeri potuiſſe; verum hoc a me neutiquam ſperandum. Reverendo Viro D. *Ittigio* plurimam meo nomine ſalutem dicas, ad quem hac vice ſcripſiſſem, ni multis, eisque haud levibus, negotiis diſtinerer. Ex eo libenter ſcire velim, an Olympii Jambos, ad Codicem veſtrum MS. *Geneſii* ſubditos, quos ad me olim miſit, ex ipſo Codice MS. originali accurate deſcripſerit. Quod libenter vellem. Neque enim dubito, me oſtenſurum eſſe, D. *Wagnerum* in conjectura ſua longe a vero aberraſſe, opusque *Geneſio* tanquam vero auctori reſtituendum eſſe. a) De imagine mea, quam toties (ſi Diis placet) expetiiſtis, & de qua nunc iterum aurem mihi vellicatis, etſi non ſemel Bibliopolæ meo negatam, forſan poſt reditum pingi curabo, & ad vos ante hyemem mittam. Honeſtis Bibliopolæ veſtratis conatibus faveat omnium Bonorum dator, eique meam amicitiam ſpondeas. Vale, Vir amiciſſime, meque amare perge. Iſteworthæ, decimo ab urbe lapide, Junii 22, 1695.

a) Præſtitit id in *Scriptorum Eccleſiaſt. Hiſtoria literaria pag. 499 edit. Colon. 1720.*

Epi-

# EPISTOLA IV.

## OTTONI MENCKENIO

S. D.

## GUILIELMUS CAVEUS.

Arg. *Cum morbo gravi conflictatum ſe ſcribit. Nova literaria docet. De Oudino quid factum ſit, requirit.*

Tuæ, quas dediſti Auguſti die 21, ad me perlatæ ſunt Septembris 7. Et mox in eo eram, ut reſponderem, cum in me, nihil tale metuentem, non unus repente incurrebat morbus, vel potius tota morborum agmina, doloresque acerrimi, quibus plane proſtratus, libris, ſtudiis, etiam erga amicos officiis, valedicere cogebar, ſaluti, ſi fieri poſſet, redintegrandæ unice intentus. Hæc me per menſem unum alterumque tenuerunt. Nova, quæ hinc mittam, literaria nulla pæne ſunt, præſertim mihi ab urbe, ab amicis, longe remoto. Prodibit poſt menſem nova *Thucydidis* editio Oxonienſis a) pulchra elegansque; ſequetur *Pindarus* nova facie & veſtitu decorus. b) Edita eſt nuper, ſed ſermone Anglico, *Ioannis Hooperi*, Diaconi Cantuarienſis, Hiſtoria jejunii quadrageſimalis, eruditum plane & elegans opus. Hiſtoriæ meæ Pars altera prelum pridem ſubiiſſet, ſi per valetudinem licuiſſet, Typo-

a) Eſt hæc *Io. Hudſoni* editio, quam ſcimus prodiiſſe Oxonii A. 1696, fol.

b) A *Rich. Weſt* & *Rob. Welſted* editus Oxonii A. 1697.

Typographo poſt feſtum natalitium, favente Deo, tradenda. De *Oudino* quid factum ſit, ſi non neſcias, ſcire vellem. An in Belgio adhuc degit, an ad Reformatorum caſtra tranſiit? c) Certe de Profeſſoribus Batavis magnifice loquitur, & penſionem annuam ex decreto Ordinum Hollandiæ ſibi aſſignatam eſſe, ipſemet teſtatur in Epiſtola ad *Maierum*, quam tandem nactus ſum. Sed ſatis hæc; plura alias, ſi vitam mihi, miſeram quidem & infirmam, ulterius protrahere dignetur Deus. E Colleg. Windeſor. IV Idus Decembr. 1695.

De imagine mea *Fritſchio* veſtrati hac vice ſatisfacere non potui, (etſi artificem hac ipſa die conveneram,) ſum enim ipſe jam nil niſi mortis imago.

c) Tranſiit utique, ut nunc omnibus eſt notum. Nimirum præcipuam fortunæ ſuæ ſedem in Belgio habuit, ab Ordinibus hujus provinciæ annuo ſtipendio donatus, & in Lugdunenſi urbe Bibliothecæ Academicæ præfectus. Cum in eo eſſet, ut veteris Eccleſiæ Patrum aliquot editiones novas pararet, dies vitæ ſuprema eum occupavit A. 1717.

# INDEX DISSERTATIONUM,
QUÆ
VOLUMINIS PRIMI
PARTE TERTIA
CONTINENTUR:

I. PETRI ZORNII Diſſertatio de Libro fœderis antiqui juxta cum altari victimarum ſanguine conſperſo, ejusque rei myſterio, ad illuſtrationem *Epiſtolæ ad Ebr. IX, 9.* Pag. 367-384.

II. IO. IACOBI BOSII Meletema exegeticum de Ornatu ſponſæ, converſionis gentium ad eccleſiam N. F. ſymbolo, ad illuſtrandum *Jeſ. XLVIII, 18.* Pag. 384-403.

III. IO. CHRISTOPH. HARENBERGII Diſſertatio, qua, hominem, a Deo creatum, eſſe ad imaginem Dei conditum, & ea maximam partem per libertatis abuſum homines carere, ex lumine rationis oſtenditur. Pag. 404-444.

IV. IO. CONRADI SCHWARZII Obſervatio de Origine nominis Enthuſiaſmi. Pag. 445-449.

V. IO. HENRICI LEICHII Specimen Notatum & emendationum ad Græcas Inſcriptiones, a Cel. *Muratorio* editas. Pag. 450-509.

VI. FRID. OTTONIS MENCKENII Emendationes & explicationes aliquot locorum Ciceronis Grævianæ ſub modeſtum judicium vocatæ. Pag. 509-546.

VII. GUIL. CAVEI ad *Ottonem Menckenium* Epiſtolæ quatuor, cum Præfatione & Notis FRID. OTT. MENCKENII. Pag. 546-555.

# MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA

AD INCREMENTVM SCIENTIARVM

AB HIS QVI SVNT IN COLLIGENDIS ERVDITORVM NOVIS ACTIS OCCVPATI

PER PARTES PVBLICATA.

*VOLVMINIS PRIMI PARS QUARTA*

QVÆ EST VLTIMA.

LIPSIAE,

APVD IO. FRID. GLEDITSCHIVM.

M DCC XLIII.

# MISCELLANEA
# LIPSIENSIA
# NOVA

AD INCREMENTVM

SCIENTIARVM

AB HIS

QVI SVNT IN COLLIGENDIS

ERVDITORVM NOVIS

ACTIS

OCCVPATI

PER PARTES PVBLICATA.

VOLVMINIS PARS

## I.

# IO. CONRADI SCHWARZII,

S. TH. DOCT. ET GYMNASII COBURGENSIS DIRECTORIS,

# EXPLANATIO
## I REG. VI, 31.

### I.

Cum proxime in *1 Reg. VI, 31*, incidiſſem, conſtructionis & ſignificationis, quæ verbis Hebraicis vulgo affingitur, admirabilitas animum meum ita perculit, ut a Commentariis ſubſidium petere ſtatuerem. Sed, quanquam & veteres, *Munzerum*, *Vatablum*, *Caſtalionem*, *Clarium*, ex Judæis *Kimchium*, *Jarchium* *Gerſonidem*, &, qui hos ſequitur, *Abrabanelem*, aliosque, & recentiores, *Clericum*, *Bern. Lamium*, *Matthiam Haſſenreſſerum*, alios, conſului, fruſtra tamen laborem eſſe omnem ſenſi. Etenim Judæi Chaldæum fere interpretem opinionum ſuarum auctorem habent, qui, cum a templi temporibus proxime abeſſet, non plus tamen vidit ac reſcivit, quam qui ab illa ætate longiſſime receſſerunt. Neque plus nobis *Joſephus*, homo ſatis cu-

rioſus, nec infans ille Miſchnæ architectus, adjumenti attulerunt. Univerſos quidem difficultates grammaticas contemnere vidi, quibus ſpretis, nihil profecto explicari poteſt feliciter. Quanquam enim intelligentia rei ſæpe extricet, quæ verborum artifices expedire nequierunt; tamen ad veritatis myſteria nemo admittitur, niſi grammaticum repererit commendatorem ac ducem. Quis enim ſpondere audeat, ſana, vera, integra, eſſe omnia, qui artis illius fidem ſibi non habeat deſponſatam? Hæc enim una errare ac decipi non poteſt, cum utroque & rerum & verborum munita ſit præſidio.

II. Primum igitur הָאֵיל nihil habet notæ, quæ, ipſi cum proximo inferiore nomine communionem intercedere, doceat, niſi quod auctor accentuum illam quoquo modo innuat. Deinde non modo nihil vinculi apparet, quo הָאֵיל & הַמְּשֻׁוֹת connectantur, ſed omnia potius diſtractionem indicant & repugnantiam. Genus enim maſculinum cum fœminino haudquaquam conſociari poteſt. Tum mirabile eſt profecto, interpretes ne rationem quidem perveſtigare ſtuduiſſe, cur hæc vocabula tantopere inter ſe diſcrepent; & eorum tamen vim perſpicere ſibi viſos eſſe, tanquam conſociatiſſima eſſent, & luce ſua in omnium mentes ſe inſinuarent. *Bernardus* quidem *Lamius de Templo Hieroſolymitano Lib. VI Sect. 5 pag. 1070* haud dubitanter, *hunc verſum*, inquit, *ſupra expoſuimus, & vidimus, in fonte deſcribi ſuperliminaria, quæ conſtabant quinque trabibus, ut non fatiſcerent pondere muri deſuper exſtructi.* Suſpicor,

cor, cum nullus accommodatior appareat locus, *Lamium* hic reſpexiſſe ad *Lib. VI Cap. 7 pag. 1029*, ubi ita ſcripſerat: *Inde lucem accerſimus Scriptura, ubi loquitur de poſtibus quinque angulorum, & de quadrangulatis lignis. Sic Scriptor 3 Reg. Cap. VI, 31: & in ingreſſu oraculi fecit oſtiola de lignis olivarum, poſteſque angulorum quinque. Et paulo poſt v. 33: fecitque in introitu templi poſtes de lignis olivarum quadrangulatos. Et Cap. VII, 3-5: Unus autem ordo habebat columnas quindecim contra ſe invicem poſitas, & e regione ſe reſpicientes, æquali ſpatio inter columnas, & ſuper columnas, quadrangulata ligna injunctis æqualia. Hæc tria loca plerique interpretes præteriere intacta. Pro eo, quod habet Vulgatus in primo loco, poſteſque angulorum quinque, in fonte eſt, ſuperliminare cum poſtibus quinque,* האיל מזוזות חמשית *- - - Scilicet poſtes, & quod imponebatur poſtibus, conſtabat ex quatuor vel quinque conjunctis trabibus. Sacer Hiſtoricus intellexit totam iſtam quadraturam, qua valvæ includuntur, ut liquet ex eo, quod de Samſone dicit* Joſephus: a) Ἐγρόισσει ταῖς πύλαις, αὐταῖς τε φλιαῖς, καὶ μοχλοῖς, ὅση τε ἄλλη περὶ αὐταῖς ἦν ξύλωσις, ἀράμενος κατώμαδον. *Valvas cum ipſis poſtibus & repagulis, ſive peſſulis, quæ circa illa erant lignea,* cet.

III. Hæc *Lamii* verba, ſi, quantam veri fiduciam produnt, tantam haberent Grammaticæ Hebraicæ fidem & aſſenſionem, libenter ego illi aſſentirer, & intelligere me, crederem, quæ ne ipſe quidem intellexit. Quid enim? *Superliminaria* hic



a) *Lib. V Cap. 8 ſect. 10 edit. Havercamp.*

hic commemorat, quæ Scriptor ſacer neutiquam commemorat? Ea quinque trabibus conſtitiſſe prædicat, quas nullas prædicat Scriptor ſacer? Commentum iſtud trabium ſuffulcit *Lamius* conficta ratione, ne fatiſcerent muri ſuperſtructi mole. Quaſi vero ingens ſaxorum moles lignis ſublimibus usquam ſuſtinenda ſit viſa, & veteres architecti in ædificio medio intolerabili ſaxorum incumbentium gravitati ligna pro fundamento ſubjecerint. Memini, antiquos ſcriptores multa nobis de invicta cedri, juniperi, cupreſſi, ebeni, buxi, oleæ, virtute prædicare. Vid. *Plinius Hiſt. Nat. Lib. XVI Cap. 40*, & *Theophraſtus Hiſt. P. III Cap. 12, Lib. V Cap. 8*. Sed, quamvis, cariem hic nihil valere, credamus, tamen, ligna ſaxis ſublimibus interjecta eſſe, nemini perſuaſerint homines *Lamii* ſimiles. Quodſi, gentes ſimpliciores hoc feciſſe, is docuerit; at nos, Hebræis tale quiddam in mentem veniſſe, templum exſtruentibus, haudquaquam credemus. Præſtet incredulitatem noſtram *Joſephus, Antiqu. Lib. VIII Cap. 3 ſect. 2. pag. 422*: Ἀνήγαγον δ᾽ αὐτὸν ἄχρι τῆς ὀροφῆς ἐκ λευκοῦ λίθου πεποιημένον. *Illud* templum *usque ad lacunar exſtruxerunt ex ſaxo albo*. Ac paulo poſt *pag. 423*: Ἡ δ᾽ ὅλη τοῦ ναοῦ οἰκοδομία κατὰ πολλὴν τέχνην ἐκ λίθων ἀκροτόμων ἐγένετο, συντεθέντων ἁρμονίως πάνυ καὶ λείως, ὡς μήτε σφύρας μήτε ἄλλου τινὸς ἐργαλείου τεκτονικοῦ τοῖς κατανοοῦσιν ἐργασίαν δηλοῦσθαι, ἀλλὰ δίχα τῆς τούτων χρήσεως πᾶσαν ἡρμόσθαι τὴν ὕλην προσφυῶς. *Totum autem templi ædificium e ſaxis multa arte cæſis conſtitit,*

ape-

*apte & leviter omni ex parte conjunctis, ut conſiderantibus neque mallei, neque ullius inſtrumenti fabrilis alius, veſtigium appareret, ſed tota materia ſine horum uſu ſcite cohæreret.* Vere ſentit *Joſephus*; nititur enim *1 Reg. VI, 7*, quem conferri, noſtra magnopere intereſt.

IV. Cum igitur etiam recentiſſimus Hieroſolymitani templi architectus ſpem noſtram fallat, neque majorem de ceterorum ſubſidiis ſpem ingredi liceat, quando Hebraicæ linguæ rationem pauci callent; noſtris nos opibus, quas perexiguas eſſe novimus, niti oportet, quas ipſas tamen ad vincendam veritatis cauſam plurimum valere confidimus. Primum igitur, quid אֵיל hic ſignare poſſit, videbimus. Tum, quomodo cum מְזוּזוֹת cohæreat, oſtendemus. Denique, חֲמִשּׁוֹת quid ſibi velit, demonſtrabimus. In Grammaticorum, fateor, minutiis verſabimur, ſed minutiis, ſine quarum ope perſpicaciſſimi viri tanquam in tenebris oberrarunt.

V. אֵיל proprie ſignat *arietem*. Arietis natura & ratio alibi alias ſuppeditavit tralationes. Romanis *aries* dicebatur inſtrumentum illud bellicum, cujus extremitate ferrea, capiti arietino utcunque ſimili, muri hoſtium percutiebantur, ut tutus in urbes obſeſſas aditus militibus Romanis pateret. Vid. *Cicero Offic. Lib. I Cap. 11*, & *Vegetius Lib. IV Cap. 14*, additis *Stewecchii* notis. *Danieli* aries ad ſignandam *Alexandri M.* ferociam, celeritatem, & contemtiſſimam vim, ſatis accommodatus eſſe videbatur. Quid noſtro Prophetæ in loco, quem nunc illuſtrare ſtatuimus, aries denotet, archite-

ctura explicet. Obſcurum, inquies, per æque obſcurum illuſtrabis? Nihil minus noſtri jam eſt conſilii. Adſciſcemus tamen ab architectis nomen notiſſimum, neque ulli diſceptationi obnoxium אלם, *porticus*. Hoc vocabulum ipſum eſt איל cum additamento unius literæ; qualia nomina Hebræis olim fuerunt plurima. Rem Grammaticis notam exemplis comprobare ſuperſedemus. Nos, quod noſtri hic officii eſt, unum ſolum agemus. Allegamus Lectorem noſtrum ad ſacrum Codicem, qui אילם cum inſerta litera י exhibet, cujus voluntariam prætermiſſionem immutabilis vocalis ſubjectæ conſtantia ad perpetuam lectoris memoriam commendat. Quid autem eſt porticus? Eſt continuatio tecti diſtantibus inter ſe & utrinque oppoſitis columnis nixi. Qualem nobis ſpeciem præbet caput arietis duôbus cornibus utrinque munitum.

VI. Hanc eandem ſignificationem confirmant loca ſingula, in quibus nudum nomen איל reperitur. Nam *Ezech. XL, 9,* architectus veſtibulum menſus eſſe dicitur octo cubitis, cum arietes, id eſt, incurvi fornices, duorum tantum eſſent cubitorum. Ejusdem vocabuli vis eadem eſt *verſu 10 & verſ. 14, 16, 21, 24, 29, 33, 36, 38, XLI, 1, 3.*

VII. Quod *Sturmius* opinatur, columnas intelligi, propterea, quod, ſi columnæ noſtræ capitulum ornemus more Corinthiorum inferius duplici ſerie palmarum, & ſuperius volutis, hirſutum arietis caput, & in helicem convolutis cornibus præditum, ſatis apte repræſentet, approbari vix poterit. Etenim columnæ cum אילים

con-

conjunguntur *Ezech. XL, 16, 26, 31, 34, 37, 40*. Si autem אילים columnæ eſſent; columnæ iſtæ ſibi ipſæ, & quidem cum propria illa varietatis laude & gratia, adſtitiſſe dicerentur: quod inſulſum foret, cum una eademque res ſibi ipſa ad varietatis laudem adſtare nequeat. Diſtantia quidem columnarum & juſta ſpatii dimenſio decus illud habet, quod in architectura nos admiramur. Neque vero *Ezech. XL, 22*, ſententiæ noſtræ officit, qui pro אלים, *arietibus*, fere cum עמודים, *columnis*, vel תמרים, *palmis*, diligenter conjunctis, nomen תמרים ſubſtituit. Mihi non tam ſubſtituiſſe, quam eleganter commutaſſe, videtur; quando ex tam multis locis, ubi תמרים & עמודים cum אילים copulantur, perpetua harum rerum diſtinctio ſatis conſtat. Quæ enim ſæpe diſcriminata ſunt, ea ſubito propter unam unius rei prætermiſſionem confuſa, imo eadem, eſſe non poſſunt dici. Neque vero neceſſe eſt, ut propter nomen אילים de re ſuſpicemur, quæ cum ariete, vel cum arietis capite, ſummam habeat ſimilitudinem. Ne *Sturmius* quidem ipſe, cum de columnæ Corinthicæ capite cogitavit, expreſſam ibi arietini capitis imaginem reperire potuit; alioqui confidentius locutus eſſet. In ſacris Scripturis nonnunquam propter minimam ſimilitudinem tralatæ naſcuntur ſignificationes. *Capita montium* appellantur eorum extremitates, contemta rerum, quæ capitis humani præſtantiam conficiunt, dignitate, quæ tamen, cum familiarum gentiumque principes indicantur, curioſe ac præcipue attenditur. *Oculus* fontem ſæpe ſignat, quamvis

exigua utriusque rei ſit convenientia. *Montes*, quaſi expreſſam florentioris gentis imaginem haberent, ita fere ab Hebræorum vatibus pro ea ponuntur. *Janua* pro facultate cujusque rei ſæpe ſumitur a Latinis, ſæpe a Græcis, quanquam levis eſt utriusque rei communitas. Apud Latinos quidem *vinea*, *teſtudo*, *manus*, *cohors*, *ſcamnum*, *cardo*, *corvus*, quam diverſiſſimas res ſignant, & propterea tamen, quod inter ſe congruere viſa ſint, nomen accepiſſe putantur.

VIII. Hoc ipſum אֵיל, quod mentem noſtram tam diu tenuit, aliis in locis aliam habet poteſtatem. Nam, ne erres, varia ejus vis ex locorum diverſitate magis intelligitur, quam ſignificatur. In quo literati, cum varietatem ſignificationum expedire debuiſſent, fere nimium impediti hærent. Quocirca nobis nunc allaborandum eſt, ut auctoritates eorum, ſi fieri poſſit, confirmemus, ſaltem non labefactemus. Stabunt igitur ſuggrundia, ſtabunt extremitates ceteræ vel lapidum, vel cujusque firmioris materiæ, exſtantiores, ut ædificia ab aeris & procellarum injuriis protegant. Cadant vero *illa* & *antepagmenta* oportet in locis iis, ubi ab injuriis externarum rerum nihil metuendum eſt.

IX. Divinus Auctor *1 Reg. VI*, *31*, de ariete loquitur in oraculi ſede, ſeu domicilio, quæ ſtructura, ut omnes fatentur, interiorem templi receſſum occupavit. Sed locus ille cum ambitu ſuo multa complexus ſit; nos meminiſſe oportet, in parte modo illa, quæ exitum præberet, *arietem* iſtum fuiſſe, qui, ut ſupra jam demonſtratum

eſt,

eſt, nihil aliud hic ſignificat, niſi perpetuitatem eminentiæ lapidum in formam arcus a ſiniſtra ingredientium ad dextram inflexi.

X. Jam, quod איל מזוזות dicitur, non איל כמזוזות, etiam commemorabile nobis videtur. Nam haud dubie ſupplenda eſt præpoſitio quædam. Non enim ipſi poſtes arcum illum, quem modo dixi, effinxerunt; ſed arcus illè pro munimento ad poſtes acceſſit. Quocirca præpoſitio אל huc fuerat accommodatiſſima, quam tamen nomen איל propter literarum ſimilitudinem repudiabat. Non enim eædem literæ, prætérquam in verbis quibusdam, ſcite geminantur, propterea quod ſuavitas ſermonis ob geminationem iſtam periclitatur. Reliquæ autem præpoſitiones minus hic lucere videbantur, cum tamen diligenti ſcriptori in ſermonis luce omnia ſint poſita.

XI. Reſtat difficultas maxima & maxime controverſa, quam, cum omnes loci noſtri lectores animadverterint, nemo tamen explicare aggreſſus eſt. Eſt illa quidem grammatica, hoc eſt, contemta ac proinde neglecta; ſed quæ vel literatiſſimis Architectis ac Philoſophis offucias objecit, parum illis honorificas. *Lutius* quidem cum verba tam pauca ex Grammaticorum arte inter ſe copulare non poſſet, quinque iſtas trabes confinxit, doctore uſus ineptiſſimo, & conjectore infeliciſſimo, interprete illo Latino. *Abrabanel* in tanto illo ingenii acumine, quia Grammaticam ſprevit, ſaltem magiſtram non habuit, de quinque portis comminiſci auſus eſt, quibus ex

arte grammatica nullum unquam erit præſidium, nulla contra criminatores defenſio. Nam enumeratio earundem rerum in locis tam diverſis ac longinquis a ſcriptore ſapiente nequaquam inſtituitur, quippe qui lectorum ingenia non exulcerare ſtudet, ſed illuſtrare. Neque, quod de uno loco dicitur, id ſtatim ceteris omnibus affingere licet vel ornamentum, vel munimentum. *Haſſenneſſerus* de quinta menſuræ templi parte conjicere cœpit, ſed, quod ſumma neceſſitas poſtulat, ἔλλειψιν illam demonſtrare non eſt conatus.

XII. Nos, qui ἐλλείψει multum tribuimus, neque tribuere non debemus, experientia docuit, fœmineis nominum numeralium terminationibus nomen פַּעַם ſæpe ſubjiciendum eſſe, ſiquidem orationi ſententiam conſtare velis. Exempla ex multis pauca habeto illa: *Geneſ. XLI, 5:* וַיִּישָׁן וַיַּחֲלֹם שֵׁנִית, *& obdormivit & ſomnium habuit iterum; Levit. XIII, 5: & ſacerdos concludet eum* שֵׁנִית *iterum per ſeptem dies.* Adde *verſ. 33, 54, Num. X, 6, Joſ. V, 2, 2 Sam. XIV, 29, 1 Reg. XVIII, 44,* וַיְהִי בַּשְּׁבִעִית, *& factum eſt ſeptima vice.*

XIII. His ante conſtitutis, noſtrum etiam locum ſic interpretamur, ut nomen פעם ſubintelligamus. Exiſtet igitur ſententia iſta: *& arcus eminens circa poſtes quinquies repetitus cernebatur.* Similiter paulo poſt *verſ. 33* ita interpretor: *& ſic fecit oſtio templi poſtes ex lignis oleaginis quarta etiam vice.* Nam ſingulæ portæ binis conſtabant foribus. Singulæ autem fores ſingulis inhærebant poſtibus. Ergo, cum duæ eſſent portæ,

qua-

quatuor erant poſtes, eodem modo ex iisdem lignis confecti. In libro *Middoth Cap. 4 ſect. 2* doctor *Jehuda* dicit: *per mediam parietis denſitatem permeabat, donec inter duas portas certo ſtaret. Tum aperiebat exteriores intrinſecus & interiores extrinſecus.* Qui Hebraica verba volet, ea ex Miſchna repetat, licebit.

## II.

PETRI ZORNII,

IN GYMNASIO THORUNENSI RECTORIS, PROFESSORIS PRIMARII, ET BIBLIOTHECÆ PUBLICÆ PRÆFECTI,

# DISSERTATIO DE ישבי המכתש, SIVE HABITATORIBUS MORTARII HIEROSOLYMIS, AD SOPHONIÆ CAPUT I, 11.

## I.

In Geographia ſacra ejusmodi locorum nomina paſſim occurrunt, quæ a figuræ ſimilitudine petita ſunt. *Gamalam* certe, Gaulonitidis oppidum, a figura *Cameli*, qui Hebræis גמל vocatur, ita dictam fuiſſe, *Joſephus* teſtis eſt, a) obſervante *Samuele Bocharto*. b) Ex eodem *Joſepho* c) diſcimus, quod lacus ille, unde *Jordanes* fluvius ſua cepit

a) *De Bello Judaico Libro IV Capite 1.*
b) *Hierozoici Parte I Libro II Capite 1.*
c) *De Bello Judaico Libro III Capite 18.*

cepit initia, *Phialæ* nomen ex rotunditate, & quod rotæ ſpeciem præferret, fuerit conſecutus. Sic, ſi Talmudiſtas d) apud *Joannem Lightfootum* e) audimus, צפורי, ſive *Sephoris*, Galilææ caſtellum, id nominis inde accepit, quod *avis* inſtar præcelſo monti inſideret. *Taborem* quoque, Galilææ montem, non inepte eruditi ſuſpicantur תבור pro טבור, quaſi *umbilicum*, appellatum eſſe, quoniam, dicente *Euſebio*, f) fuerit miræ *rotunditatis* mons, & ſecundum *Polybii* g) deſcriptionem ex plano leviter ſe attolleret. Quæritur denique, cur *Ægyptus*, vel Ægypti pars, in *Pſalmis* h) & in *Eſaia* i) רהב, *Raab*, vocetur. Atque hic interpretes multa comminiſcuntur, ignari, Ebræum *Raab* idem eſſe, quod Ægyptium *Rib* vel *Riph*, quo nomine hodieque *Delta*, ſeu pars Ægypti terquetra, Nili oſtiis comprehenſa, vocatur a *pyri forma*; id enim proprie erat *Rib*. Unde eſt, quod in ipſo corde τ̃ Δέλτα *Nomus* medius *Athribis* appellabatur, id eſt, *cor pyri*, uti ex veteri Grammatico Ægyptio, *Orione*, docet Auctor *Magni Etymologici*. Nempe Ægyptiis ϩⲏⲧ vel ϩⲏⲧ eſt *cor*, ut ſcribit *Horus Hieroglyphicon* *Libro I Capite 7*, &

d) *Bab. Megilla f. 6.*

e) In *Centuria Chorographica*, *Matthæo* præmiſſa, *Capite 82 pag. 144.*

f) In *Onomaſtico ad vocem* Θαβώρ.

g) *Libro I Hiſtoriæ Capite 13.*

h) *Pſalmo LXXXVII, 4: Memor ero Rahab & Babylonis.* Iterum *LXXXIX, 11: Tu contriviſti Raab tanquam confoſſum.*

i) *Capite LI, 9: Numquid non tu percuſſiſti Rahab, vulneraſti Draconem?*

& ῥιβ vel ῥιβὶ *pyrum*; inde *Athribis* τορ *pyri*, quia eſt in medio pyri, id eſt, Ægypti partis, quam a *pyri* forma Ægyptii *Rib*, id eſt, *pyrum*, vocabant. Quod nomen hodieque ſervat poſt tot ſecula incorruptum. *Errif* ſcribit *Leo Africanus*, id eſt, אלריב, præfixo articulo Arabum, qui ante *R* non aliter ſonat, ut norunt illius linguæ periti. Porro *Rabab* & *Rib* idem ſunt; quomodo נחל *Nabal* & *Nilus*, aut נחש *nahas* & νεσὶ: quomodo pro μεσὶ legendum contendit *Scaliger* in *Hori Hieroglyphicis Capite 56 Libri I.* Ergo *Rahab*, ut *Rib* vel אלריב *Errif* proprie ſignificat Ægypti pyrum, ſeu partem illam, cujus infima pyri inſtar paulatim dilatantur; tamen in Scriptura per ſynecdochen ſumitur pro tota Ægypto. Videantur *Samuel Bochartus*, k) *Campegius Vitringa*, l) *Paulus Erneſtus Jablonskius*, m) *Andreas Mullerus*. *)

II. *Inprimis vero*, inquit *Joannes Chriſtophorus Wichmannshauſen*, n) *memorabile eſt, quod* Hieroſolymam, *Palæſtinæ Metropolin*, *Ezechiel XXIV, 6, quidem* ollam, *Zephanias I, 11*, mortarium, *Zacharias vero XII, 4*, pelvim, *ſalutent, alludentes hac nominatione, uti quidem videtur, ad* urbis *iſtius* figuram, *quippe quæ concavitate ſua, quam duo montes*

k) In *Phaleg Libro I Capite 15, & Libro IV Cap. 24.*

l) In *Geographia ſacra Capite 7 §. 12.*

m) In *Diſſertatione II Academica de Terra Goſen §. 6.*

*) In *Gloſſario ſacro.*

n) In *Diſſertatione ex Deuteronomii XXXIII, 25*, cui Diſſertationi titulus eſt: *Aſer metalliſoſſor*, §. 19.

*montes oppoſiti Zion & Acra efficiebant, iſtis vaſis haud adeo erat abſimilis.* Hæc ille. Præterquam autem, quod verba *Ezechielis*, dummodo conſulantur *Joannes Georgius Abichtius*, o) & *Michael Ghislerius*, p) magis magisque adhuc explananda erant, etiam hæc *Zephaniæ* verba majori indigent luce. Judæi, uti videre licet apud *Joannem Mercerum* & *Antonium Rudolphum Cevallerium*, q) a vero tramite interpretationis longius recedunt. *Targum* habet: *qui habitatis in torrente Kidron.* Et in *Midras Aghudah* (vel potius *Aghghada*, de quo

o) In *Diſſertatione ex Jeremiæ I, 11 ſeq. de Suppliciis Reipublicæ Judaicæ ſub ſymbolis revelatis* §. 6, *per oſtenſam a Deo ollam*, inquit, *Hieroſolymam intelligendam eſſe, cenſeo. Quemadmodum enim in olla pinguia fruſta coquuntur, quæ eſurientes appetunt; ſic* Hieroſolyma divites alebat incolas, *quibus* famelici Chaldæi *oculos paſcebant, & animum exſatiare cupiebant. Deus ipſe hoc ſenſu per* Ezechielem Capite XI, 3, *&* XXIV, 4, 5, *expoſuit. Præterea* olla, *quam viderat Jeremia*, in foco *ita erat conſtituta, ut homines* ex plaga ſeptentrionali advenientes *iſti* carbones ardentes *ſubjicerent & follibus afflarent, quo cibus citius coquatur, & eſurientium famem expleat. Eodem modo* Hieroſolyma ex ſeptentrionali plaga Babyloniam proſpicit, *hoſtesque Babylonii ex eadem plaga adventabant, & ad Hieroſolymæ obſidionem concurrebant, ignes calamitatum accendebant, & denique,* occupata urbe, opes incolarum rapiebant, *&, deſtructis mœnibus, ædes comburebant. Hæc quoque Deus per* Ezechielem XXIV, 9 ſeq. *fuſius explicuit.*

p) In *Commentario in Jeremiam pag.* 76.

q) In *Notis ad Santis Pagnini Theſaurum Linguæ ſanctæ.*

quo nomine vide *Eliam* in *Thisbite*) *habitatores Thabraja* (Tiberiæ, ſive Tiberiadis,) *quæ eſt profundior omni terra Iſrael.* Sic alia nomina, quæ eo loco ponuntur, accommodant ad alias *Judææ urbes*, ut per *portam piſcium* intelligatur *Hacco*, hoc eſt, *Ptolemais* in maris littore, per *Mieſnah*, *Luz*, vicina Hieroſolymæ, per *colles*, *Tſippori*, quam *Hieronymus Sephorim* appellat. Hæc illi Duumviri ex Judæis referunt, quemadmodum id ipſum quoque faciunt *Franciſcus Vatablus* apud *Jo. Michaelem Dilberrum*, r) *Valentinus Schindlerus*, s) & *Samuel Bochartus.* *)

III. Mittimus *Judæos*, qui hæc verba *Sophoniæ* per tranſennam conſiderant; neque vero hic diutius juſto moramur in diſquiſitione illa, *an Hieroſolyma ratione ſitus*, uti viſum eſt *Wichmannshauſenio, mortarii nomen acceperit.* Quod enim ad verba *Sophoniæ* attinet, vox מכתש hic utramque facit paginam. Dictus quidem Auctor ſecutus eſt illos interpretes, qui apud *Joannem Chriſtoph. Ortlob* t) vocem מכתש de *cavitate* quadam intelligunt, deinde vero *Hieroſolymam* ex figura & poſitione

r) *Tomo II Diſputationum Academicarum, præcipue Philologicarum, pag. 14.*

s) In *Lexico Pentaglotto in voce* כתש.

*) *Parte I Hierozoici Libro II Capite 15 pag. 202:* Mactes *eſt loci nomen in his* Sophoniæ I, 11: Ululate incolæ Mactes, *id eſt, incolæ loci a* mortarii *figura ſic appellati, ſive is fuerit Hieroſolymis circa torrentem* Kedron, *ut habetur in Chaldæa Paraphraſi, aut circa* Tiberiadem, *ut vult Auctor* Midras Aggada.

t) In *Diſſertatione ex Judicum XV, 19, de Fonte Simſonis prope maxillam*, §. 7.

ſitione quaſi *mortarium* quoddam appellari judicant; at vero, hac ſententia miſſa, dicemus, quod res eſt. Ut כתש eſt *τρίβειν, terere, contundere*, ita מכתש eſſe *τριβεῖον, mortarium*, u) tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Id agnoſcunt Ebræi omnes; & palam eſt ex *Proverbiorum XXVII, 22: Si ſtultum contuderis* במכתש *in mortario. Theodotion ἐν ὅλμῳ*, & *Hieronymus in pila*, quod idem eſt. Atque, hæc cum ita ſe habeant, מכתש, quod alii *cavum* interpretantur *locum*, malumus cum *Matthæo Hillero* x) intelligere de loco, in quo homines vel malleis, vel piſtillis, tundunt, & contundunt, ut ſenſus ſit; *ejulate, qui habitatis locum, in quo audiuntur tundentes, aurifabri ſcilicet & aromatarii, quorum illi malleis, hi piſtillis, tundunt.* Hieroſolymis enim *aurifabros* & *aromatarios* habitaſſe, & proximos quidem *portæ piſcium*, y) cujus in hoc ipſo vaticinio paulo ante meminit *Sophonias*, ex *Nehemiæ* libro

u) Vide *Suidam in* Ἴγδη.

x) Apud *Jo. Jacobum Seiferheldum* in *Vindiciis loci Judicum XV, 15, de Maxilla aſini* §. 9.

y) *Tyrii* piſces venales Hieroſolymam deferebant *Nehemiæ XIII, 16*, & vendebant ad portam piſcium, de qua *Nehemias III, 3*, & *XII, 39*, & *Sophonias I, 10*, ubi LXX aliquanto obſcurius vertunt πύλη ἀποκεντούντων. Porta hæc *verſus auſtrum* erat, judicio *Joannis Lightfooti* in *Centuria Chorographica, Matthæo* præmiſſa, *Capite 26. Joanne* autem *Henrico Hottingero* obſervante in *Notis ad Thomam Goodwinum pag. 392*, eadem piſcium porta *ad occaſum* pluribus ſita videtur non ſine probabilitate, quoniam plurimi piſces ab occaſu afferebantur.

bro conſtat, qui, *aurifabros* & *aromatarios*, Hieroſolymis degentes, *Capite III, 32*, inſtauraſſe muros ejus, tradit, inter adſcenſum anguli & portam, quam portæ piſcium proximam fuiſſe, liquet ex *Nehemiæ Capite XII, 39*, & *Capite III, 32*, collato *verſu 3*.

IV. Sed ante, quam *explanationem ſententiæ* noſtræ magis magisque variis confirmemus argumentis, prætermittere non poſſumus *Joannem Trappium*, z) cui, ut nunc alios taceamus, a) *habitatores Mactes, ſive mortarii, ſunt cives humilis & cavi loci, vici nempe inferioris, ubi frumentum pinſebatur in mortariis, priusquam molarum uſus invaluerit*. Largimur quidem, ante molas inventas antiquos in pila contriviſſe grana, atque id *piſare* vel *pinſere* vocaſſe; concedimus quoque, poſtea inventas eſſe *molas truſatiles*, ſive *manuarias*, quas, præter *Joannem Lightfootum*, b) *Lambertum Bos*, c) & *Joannem Seldenum*, d) inprimis com-

z) In *Commentario in XII Prophetas minores*, quem Anglicano ſermone conſcripſit, *pag. 448*.

a) *Joannes Schmidius* in *Commentario ad h. l. pag. 1184* annotat, habitatores Mactes fuiſſe habitatores vallis aut plateatum, quæ *ob ſitum in valle Cedron profundiorem*, a mortarii ſimilitudine, nomine eo inſignitæ fuerint. Quid? quod *Abeneſra*, referente *Buxtorfio* in *Lexico minori Radice* כתש *pag. 381* vicum urbis a mortario appellatum intelligit.

b) In *Horis Hebraicis & Talmudicis in Luc. XVII, 2*.

c) In *Diatribis pag. 30*, *Servos, inquit, molam egiſſe apud Orientales, conſtat, id ipſum apud Græcos etiam obtinuit*.

d) In Lib. *de Uxore Hebraica pag. 263* obſervat, mu-

commemorat *Samuel Bochartus*; e) at vero ipſa verborum ſeries reclamat: *Ejulate, habitatores Machteſ, quippe deleto univerſo mercatorum genere, exciſisque omnibus pecunioſis.* Nimirum intelligitur *locus in urbe mercatu celebris*, habitatus frequentiſſime, cum paſſim *aurifabrorum* atque *aromatariorum* officinæ occurrerent. Cunctæ autem *ſpecies auri*, indicio *Joannis Braunii* f) in ſacris literis commemoratæ, ita vocantur aut a natura & bonitate auri, aut a colore, aut a loco, unde eruitur. Adde, quod aurifabri *muliebria ornamenta* Hieroſolymis fabricabant, quorum varia genera & nomina ſatis luculenter explanant *Joannes Chriſtophorus Fiſcherus*, g) & *Chriſtianus Gotthilff Blumbergius*, h) quamvis *Bernardus de Montfaucon*

lieres quoque molas illas agitaſſe, unde multum lucis accipiunt verba *Exod. XI, 5.* & *Matth. XXIV, 41.*

e) *Parte I Hierozoici Libro II Capite 13 pag. 188:* κώπην τῆς μύλης *Lucianus* vocat *molæ ſcapum*, ſeu *manubrium*, ut *Theocriti Scholiaſtes in Idyll. δ.* ἀπὸ τῶν ἀλούντων, καὶ τῇ κώπῃ τοὺς μύλους ὠθούντων. *Molile* appellat *Cato de Re Ruſtica Cap. 10.* Et *Jeremias* עץ, *lignum*, *Threnorum V, 13. Juvenes*, inquit, *molam truſerunt, & pueri ad lignum impegerunt, aut viribus fracti ſunt præ nimio conatu.* Ad lignum, *id eſt, ad ligneum molæ ſcapum.* Abenezra: *Defecerunt puerorum vires in movendo ligno molitorio.*

f) *De Veſtitu Sacerdotum Hebræorum Libro I Capite 10 §. 2 ſeq. pag. 220.*

g) Hic edidit duas Diſſertationes Philologicas *de* עדי הנשים, *ſeu Ornatu mulierum, ad* Eſ. III, 16 ſeq.

h) In duabus Diſſertationibus Philologicis, quarum una

*con dans le Supplement au Livre de l'Antiquité expliquée Tom III pag. 41* ex vero judicaverit in hanc ſententiam: Iſaias *texit longam enumerationem eorum, quæ* ad ornatum muliebrem a Judæorum puellis uxoribusque ſuo tempore adinventa fuerunt. *Interpretes vero poſteriorum temporum etiam* Hebræi quaſi divinando hæc omnia interpretati ſunt. *Id inde probatur, quod de illarum vocum interpretatione varii interpretes non una conſentiant.* Plautus *etiam texit longum numerum eorum, quæ* ad ornatum muliebrem *ſuo tempore vigebant, & ſequentibus Scriptoribus negotium faceſſit: tot nomina, tot ænigmata.* Hactenus ille. Interim, judicio *Samuelis Bocharti Parte II Hierozoici Lib. V Cap. 8 pag. 717*, notanda ſunt verba *Hoſ. II, 15*, ubi Eccleſia Judaica cultui falſorum numinum addicta deſcribitur, *quod ſe exornaverit annulo narium, &* וחליתה, *& reliquo mundo ſuo.* Nempe enim R. *Selomo in Canticum VII, 1, & Oſea II, 13*, recte monet, vocem חלי eſſe vocem *Arabum*, apud quos *chali* proprie eſt *mundus muliebris.* A ſingulari חלי plurale fit חלאים *Cantic. VII, 1, Jod & Aleph* permutatis, ut in צבאים ex צבי & פתאים ex פתי. Et vero חלאים ibi dicuntur *eſſe opus manuum artificis*, non cujusvis, ſed *aurifabri*, cujus eſt, *monilia, torques, annulos*, & minuta ejusmodi, quæ *ad muliebrem mundum* pertinent, fabricare & concinnare. Audivimus adhuc *Bochartum*, audiamus nunc quoque *Gerardum Jo. Voſſium* in *Etymologico Linguæ Latinæ pag. 384:*



una eſt *ad Eſaiæ III, 16, 18, de* עכסים, altera *ad Eſ. III, 18, de* שביסים *&* שהרונים.

*Proprie* mundus muliebris *ſunt ſpeculum*, unguenta, & ſimilia, pertinentia ad curam capillorum, cutis, &c. *Ornatus* vero ſunt catenæ, annuli, atque hujusmodi. Vide *Tertullianum Libro de Habitu muliebri*, *Ulpianum Leg. 25 de Auro, argento, mundo legat*, & *Julium Paulum receptar Sentent. Lib. III.* Mittimus *Voſſium*. Quod ad *Joannem Lightfootum* attinet, is in *Horis Hebraicis & Talmudicis ad Marci XIV, 5*, commemorat קופת הבשמים, *arculam aromatum*, quibus utebantur mulieres *ad ſe lavandum*. Sic & mulieres Hebræorum ſecum portabant ad fragrantiam & bonum odorem קופת הרוכלים, *pyxidem aromatariorum*, diverſis aromatibus contuſis & ligno cinnamomi repletam. De his pyxidibus ſonat decretum *Eſræ* in *Bava Kama fol. 82, l*, & *Hieroſ. Megillah f. 75, l*, quo permiſit, ut הרוכלין *aromatarii circumire poſſent per urbes, ad Iſraelitidarum decus, ut eo facilius ad ſe ornandas neceſſaria comparare poſſent*. Vide *Jo. Henr. Othonem* in *Lexico Rabbinico Philologico pag. 388*. Perventum igitur eſt ad *aromatarios Hieroſolymorum*; ubi audire operæ pretium fuerit *Claudium Salmaſium*: i) *In Judæa & reliquis Syriæ provinciis omnium aromatum merces vulgatiſſimæ fuere, ipſique adeo* Judæi hujus mercimonii inſtitores maximi. *Marcellus Empiricus*:

- - - - *quod præbet* Orontes,
*Quodque ab Idumæis vectum* ſeplaſia k) *vendunt*.

*Juve-*

i) In *Epiſtola de Cruce pag.* 65.

k) *Seplaſiarius* in *Gloſſis Philoxeni* exponitur παντοπώλης

*Juvenalis Satyra VIII:*

*Obvius Aſſyrio* Syrophœnix *udus amomo*
*Currit, Idumeæ* Syrophœnix *incola portæ.*

*Alius* Judaicis condita capſis *dixit, de* aromatibus *loquens.* Hactenus *Salmaſius.* Et vero, uti recte obſervavit *Samuel Bochartus,* 1) *pleraque aromata Phœniciis nominibus appellari,* notiſſimum eſt. Exemplo ſint קנמון, *cinnamon, κίνναμον,* vox Phœnicum eſt, qua utuntur *Moſes Exodi XXX, 23,* & *Selomon Cantic. IV, 15, Proverb. VII, 17,* קציעה, *ketſia, κασσία, caſia, Pſalmo XLV, 9,* קנה *kane, canna,* ſeu calamus aromaticus, *Ezech. XXVII, 19,* מור,

Oo 3 *mor*

*πώλης,* ac ſimiliter in *Cyrilli Gloſſis.* Ea voce notatur, *qui omnia vendit.* Itaque videtur interpretatio Gloſſarum laxior eſſe, quam oportebat. Nam *Seplaſiarius* eſt, non qui *ἁπλῶς* omnia, ſed qui, ut nunc loquimur, ſpecies omnes, vendit, hoc eſt *τὰ εἴδη ἀρωματίζοντα,* unde *aromatarios* vocamus. Eſt *ſeplaſiarii* vox a *ſeplaſia,* vel *ſeplaſium;* quomodo vocari ſolent aromata & ſimplicia medicamenta, ac unguentorum deliciæ. Ita uſi *Varro, Plinius,* & *Auſonius;* ſed proprie ſic dicitur *locus, ubi ea venduntur,* unde in *Cyrilli Gloſſis* legas *παντοπωλεῖον, ſeplaſium.* Atque ad quemvis locum ea appellatio derivata ab uno loco, ut indicant hæc *Feſti* verba; Seplaſia *forum Capuæ, in quo plurimi unguentarii erant. Græci* ſeplaſiarium *παντοπώλην vocarunt, qui omnia id genus promercalia haberet, quæ medicis, tinctoribus, & myrepſis, conducerent.* Vide *Claudium Salmaſium* in *Exercitationibus Plinianis pag. 739,* & *Gerardum Jo. Voſſium* in *Etymologico Lingu. Lat. pag. 34.*

1) In *Parte II Geographiæ ſacræ, ſive Canaan, Libro II Capite 3,* & in *Epiſtola ad Tapinum pag. 897 Tomo II Operum Bocharti.*

*mor myrrha Cantici III, 6,* σμύρνα Græce vulgo, ſed μύῤῥα Aeolice, לבונה, *lebona,* λίβανος, λιβανωτὸς, *thus, Cantic. IV, 14,* חלבנה, *chelbena,* χαλβάνη, *galbanum, Exod. XXX, 34,* אהלות, *ahaloth, Cantic. IV, 14,* ἀλοὴ, *aloe,* ἀγάλλοχον, בדלח, *bedolach,* βδέλλιον, *bdellium, Geneſ. II, 12,* נרד *nerd, nardus,* νάρδος; *Cant. I, 14,* נטף, *nataph, Exod. XXX, 34,* νέτωπον, aliis *μέτωπον* & *μετώπιον,* m) *Balſamum,* quaſi בעלשמים, *Bahal-Samim, præcipuum aromatum,* n) קשט, *coſtum,* כרכום, *crocus.* Audivimus adhuc *Bochartum*, qui multa debet in hoc argumento *Claudio Salmaſio*, ex cujus ore, uti perhibet *Claudius Sarravius* o) apud *Paulum Colo-*

m) *Bochartus Tomo II Operum pag. 832:* Unguentum Aegyptiacum *νέτωπον vel μέτωπον nomen ſumebat ab iſta* ſtactes *ſpecie, quam Hebræi* נטף *& Chaldæi* נטופא Netopha Exod. XXX, 34, *vocant.* Confer *Claudium Salmaſium* in *Exercitationibus Plinianis pag. 249. A.*

n) Confer *Salmaſium* in *Exercitationibus de Homonymis Hyles Iatricæ Capite 87 pag. 127,* & *Diſſertationem* noſtram ſingularem *de Hortis opobalſami Engadenſibus in vinearum morem excultis, ad illuſtrationem* Cantici Salomonis Capite I, 14, *pag. 451 Tomo II Opuſculorum* noſtrorum *ſacrorum.*

o) In *Epiſtola ad Jacobum Palmerium Grentmeſnilium: Quanto gaudio profuſus eſſes, audiendo* Bochartum *de mille arcanis* Salmaſium *ſollicite & curioſe interrogantem, nunquam inanem recedere. Juraſſes, non defeciſſe oracula. Scias, oportet, maximo in pretio apud eum eſſe* Bochartum, *gratiasque mihi ſingulariter actas, quod eum huc evocaſſem.*

*Colomeſium*, p) multa audivit, quæ hic utramque faciunt paginam, ut nunc taceamus, *Bochartum* eodem conſilio identidem *Salmaſii* ſcripta q) conſuluiſſe. Quemadmodum autem cum *Abrahamo Winckelmanno* r) optandum erat, ut *Bocharti Hierobotanicum*, quod edendum ſecum conſtituerat, publicam adſpicere potuiſſet lucem; ita quoque *Salmaſii Commentarium de Aromatis* promiſſum quidem legimus, s) ſed omnis ſpes ejus *Commentarii* edendi prorſus intercidit.

V. Atque hanc noſtram vocis פרחש explanationem magis magisque confirmant ipſa



p) In *Gallia Orientali pag.* 242.

q) Deſignamus *Salmaſii Exercitationes Plinianas*, iteraque *Exercitationes de Homonymis Hyles Iatricæ*. Illas, cum publicam adſpexiſſent lucem, conſuluit ipſe *Bochartus*; ex his, cum nondum editæ eſſent, *Salmaſius* coram *Bocharto* diſſeruit.

r) In *Præfatione ad Alcoranum ſive Legem Islamiticam Muhammedis, ad optimorum Codicum fidem editam.*

s) *Garcias Aborta* edidit *Aromatum & ſimplicium aliquot medicamentorum, apud Indos naſcentium, Hiſtoriam*, primum quidem Luſitanica lingua διαλογικῶς conſcriptam, deinde a *Carolo Cluſio* Latino ſermone in epitomen contractam, & iconibus, ad vivum expreſſis, locupletioribusque annotationibus, illuſtratam. Quemadmodum autem *Salmaſius* tum in *Exercitationibus Plinianis*, tum in *Exercitationibus de Homonymis Hyles Iatricæ*, dictam *Aborta* Hiſtoriam ſæpius emendavit & correxit; ita idem *Salmaſius* in *Epiſtola* ſua *de Cruce pag.* 469 commemorat *ſingularem* ſuum *de Aromatis Commentarium*, qui tamen nunquam in lucem prodiit.

Prophetæ verba: *Quia occiſus eſt omnis populus* כנען. Notum autem eſt, voces Hebræas כנענית, itemque כנעני, non tantum *e Canaane ortos*, ſed & *mercatorem* & *mercatricem*, denotare. Certe adeo obvius veteribus Hebræis fuit τȣ̃ Χαναναίȣ ſignificatus, ut *Sua*, qui *vir Cananæus Geneſeos XXXVIII, 2*, dicitur, a *Targumiſta* appelletur זבה תברה, *vir mercator*. Vocem כנענים *Job. XL, 30*, conſiderare, operæ pretium fuerit. Nimirum LXX pro *Cananæis* habent *Phœnices*, *Aquila* μεταβόλȣς, *mercatores*; neutrum male. *Phœnices* celebres fuerunt, & primi ac præcipui ex Oriente Græcis noti propter illud mercaturæ ſtudium. Teſtatur id etiam *Joſephus* t) & *Strabo*, u) qui ἐμποριϰȣ̀ς vocat, denique *Homerus*. x) Quin imo, quia illi præ ceteris populis ita dediti erant mercaturæ, hinc ſimpliciter non tantum ἔμποροι, ſed & κάπηλοι, paſſim vocantur, & *divites quidem prorſusque opulenti*. Vide ſis omnino *Jacobum Perizonium*. y) Quod ad LXX attinet interpretes, illi *Phœnicia* & *terra Canaan*, *Phœnicum* item & *Cananæorum*, nomen *promiſcue* uſurpant, uti pluribus declaravit *Samuel Bochartus*. z) In præſenti ſufficiant verba *Proverbiorum XXXI, 24*, de muliere ſedula: *Sindonem conficit, & vendit, & cingulum dat* לכנעני *mercatori*, quæ LXX trans-

t) *Libro I contra Apionem.*
u) *Libro XVI pag. 749.*
x) *Odyſſeæ O. verſu 414 ſeq.*
y) In *Notis ad Æliani variam Hiſtoriam Libro IV Capite 20 pag. 348.*
z) *Parte I Geographiæ ſacræ Libro IV Cap. 34.*

transferunt: *Σινδόνας ἐποίησε, καὶ ἀπέδοτο τοῖς Φοίνιξι* *) *καὶ περιζώματα τοῖς Χαναναίοις.* Atque hoc exemplo, quam *Chananæam Matthæus XV, 22*, appellaverat, eam *Matthæi* fidus interpres *Marcus VII, 26*, nominat *Syrophœniſſam*. Ceterum huc facit, quod in *Philone Biblio*, *Sanchoniathonis* interprete, Phœnicii ſcriptoris longe vetuſtiſſimi, mentio fit cujusdam ΧΝΑ *τοῦ πρώτου μετονομασθέντος Φοίνικος*, *Chna*, qui *Phœniciæ* cognomine primus inſignis fuerit. Nemo enim eſt, qui non videat, nomen *Chna* natum eſſe ex decurtato *Chanaan*. Itaque apud *Stephanum Byzantinum* in libro *de Urbibus Phœnice* vocatur *Chna*, & *Phœnices Chnai*. *Phœnicum* denique nomine ab *Herodoto* etiam cenſeri *Judæos*, inde *Joſephus* recte colligit, quod is ſcribit, in Palæſtina *circumcidi quosdam Phœnicum*, cum, ibi circumciſionem apud nullos populos in uſu fuiſſe, certum ſit, præterquam apud *Judæos*. Quemadmodum autem *Chananæus* in Scriptura paſſim *pro mercatore* ſumitur, uti præter alios pluribus probavit *Petrus Keuchenius*; a) ita *mercatores Hieroſolymitani* non ſine inſigni reprehenſionis nota apud Prophetam noſtrum *Chananæorum* nomine deſignantur. Ecce autem *Hoſeas XII, 8: Chananæus, fallacem habens in manu trutinam, amat frauda-*



*) Voces *τοῖς φοίνιξι* deſunt in plerisque exemplaribus: & vero ſunt *gloſſema*, quod irrepſit in textum e margine, ubi pro *τοῖς χαναναίοις* aliquis ex alio interprete ſcripſerat, *τοῖς Φοίνιξι*.

a) In *Annotatis in IV Evangeliſtas & Acta Apoſtolorum pag. 71.*

*re, diciturque Ephraimita, ſe ditatum, inveniſſe ſibi facultates, nec ullum inventum iri in omnibus ſuis laboribus crimen, in quo peccatum ſit.* Præterea *furacitas Phœnicum* exprimit *in commerciis vafritiem*, de qua Poeta *Odyſſ. ξ.*

- - - Φοῖνιξ ἦλθεν ἀνὴρ, ἀπατήλια εἰδὼς,
Τρώκτης.

*Suidæ* autem eſt τρώκτης, ὁ ἀπὸ παντὸς κερδαίνων, *qui ex omni re lucrum captat, lucrio, quæſtuarius, cardo*, ἀπὸ τοῦ κέρδους, id eſt, *ex lucro*, (ſic dictus,) qui enim lucello magis inhiant, quam hoc hominum genus? Redimus ad Prophetam noſtrum, qui tandem addit mercatoribus exſcindendis *bajulos argenti* נטילי כסף, hoc eſt, ſecundum *Targumiſtam:* עתירי נכסיא, *divites pecuniis.* Ut vero Gallis argentum, ita Hebræis כסף, *pecuniam* ſæpe ſignificat, ex quacunque materia ſit, quod vel ex hiſtoria *Davidis* conſtat, qui, empturus בכסף מלא, *argento pleno*, pro ſolutione dat שקלי זהב, *ſiclos aureos*, *1 Paralip. XXI, 21, 22, 23, 24.* Plura videas apud *Samuelem Bochartum.* b)

VI. Ubi nunc ad finem perventum eſt, quæret aliquis, *cur Sophonias habitatoribus montarii ululatum prædicat?* Nimirum Jeruſalem קריה עלידה, *urbs exaltabunda, Eſ. XXII, 2,* & *XXIII, 7,* dicitur, ubi LXX πόλις πλουσία, *urbs opulenta*, metonymia cauſæ pro effectu. Sic apud *Sophoniam* noſtrum *II, 15: Ninive* eſt העיר עלידה, *civitas exultabunda*, & *Eſ. XXIII, 7, Tyrus* עלידה itidem dicitur, quia *verſu 8* hæc legimus: *cujus mer-*

b) *Parte I Hierozoici Libro II Capite 38 pag. 380.*

*mercatores principes*, כנעניה, *cujus negotiatores ſunt illuſtriſſimi terrarum*; quo utique reſpiciendum eſt in verbis illis *Apocal. XVIII, 23*: ὅτι ἔμποροί σου ἦσαν οἱ μεγιςᾶνες τῆς γῆς. De hac voce Græca, qua *Joannes* itidem utitur *Apoc. VI, 15*, videantur *Barnabas Briſſonius*, c) *Theodorus Beza*, d) & *Joannes Biermannus*. e) Interim hæc eſt ſententia divini Vatis: *Omnes, quæ usquam rerum potiuntur, urbes, quæque alienorum imperiorum magna ſunt decora, ubi fuerint, aliquando quæretur, & vario exitii genere tollentur.*

c) *De Regno Perſarum Libro I §. 209 pag. 283*: *Perſarum* etiam & *Parthorum* Proceres ac Purpuratos *Megiſtanas* interdum appellari, obſervandum eſt. *Daniel Capite III*: Tum Nabuchodonoſor confeſtim ſurrexit, καὶ εἶπε τοῖς Μεγιςᾶσιν αὐτοῦ, & *Megiſtanas ſuos allocutus dixit.*

d) In *Notis ad Marci VI, 21*, apparet, *in Oriente Megiſtanas* appellatos, qui a Latinis *Proceres* vocantur, quaſi *maximates* dicas. Itaque non modo *Suetonius*, de *Perſarum* Rege loquens, Græcum vocabulum retinuit, (ut obſervavit *Eraſmus*,) ſed etiam *Cornelius Tacitus*, de *Armeniis* agens.

e) In *Clave Apocalyptico-Prophetica pag. 475*: *Optimates* Græcis dicebantur ὀλίγοι, ſeu μεγιςᾶνες, Ebræis אדירים *Ierem. XIV, 3*, *Dan. III, 24*, *Nah. II, 5*, *Zach. XI, 2*.

# III.

# IOANNIS CHRISTOPHORI HARENBERGII DIATRIBE PHILOLOGICO-THEOLOGICA DE REGENERATIONE, AN ITERABILI? EIUSQUE NATURA, AD TIT. III, 4, 5, 6, 7.

---

## SUMMA TRACTATIONIS.

§. I. *Exhibetur indoles quæſtionis.* §. II. *Diverſa regenerationis ſignificatio technica.* §. III. *Exponitur dictum Pauli.* §. IV. *Differentia inter converſionem & regenerationem.* §. V. *Regeneratio infantum, & adultorum, rationis uſu pollentium, differt in momentis nonnullis, nec tamen pædobaptiſmus eſt rejiciendus.* §. VI. *Contractus* διαλευεος *ineſt actui regenerationis.* §. VII. *Regeneratio genuina includit fidem, & comitem habet fidei confeſſionem.* §. VIII. *Regenerationis negotium complectitur univerſam N. T. œconomiam.* §. IX. *Baptiſmus, ſeu lavacrum regenerationis, haud iteratur, licet ab heterodoxo, ad formam tamen debitam, impertitum.* §. X. *Baptiſmus regenerationis adminiſtrandus eſt aqua, olim immerſione & adſperſione, poſtea ſola perfuſione, expeditus, Seculo II exeunte comitatus chriſmate.* §. XI. *Exhibentur loca Sacri Codicis, in quibus fit mentio generationis myſticæ & regenerationis.* §. XII. *Ediſſeritur ſtatus regenerationis.* §. XIII. *Status regenerationis recuperari poteſt, &* hoc

*hoc ſenſu regeneratio poteſt iterari.* §. XIV. *Senſu Biblico & anguſto regeneratio non poteſt iterari.* §. XV. *Id quod ex teſtimoniis Biblicis comprobatur.* §. XVI. *Quem in finem vindicatur genuina expoſitio* Jo. III, 5, 7. §. XVII. *Baptiſmi vires defenduntur.* §. XVIII. *Regeneratio baptiſmalis haud eſt iteranda.* §. XIX. *Explorare nos debemus, an ſimus in ſtatu regenerationis collocati.* §. XX. *Criteria hominis in eo ſtatu poſiti.*

I.

An regeneratio poſſit iterari, nec ne, quæri ſolet, & res ipſa in utramque partem poteſt reſpondendo demonſtrari, prouti quidem *regenerationis* vocabulum latius arctiusque accipitur. Quæſtionis hujus caput & cardo vertitur in ea, quam de regeneratione formamus, definitione. Vox ipſa nunc late pro *fidei initio*, ac toto converſionis animi ad Deum negotio, immo pro *renovatione* ac *ſanctificatione*, nunc ſtrictim pro *ſacramento initiationis, ejusque uſu ſalutari*, hominibus collato, adhibetur. Addi poteſt quæſtio, an in Codice ſacro idem ſignificatus vocis uterque paſſim legatur. De diverſis hujus vocis ſignificatibus non hodie demum admonemur. Curam ſuam ad eos evolvendos, ac in lucem proferendos, jam olim contulerunt optimi limatiſſimæque mentis Theologi in *Declaratione formulæ Concord. Artic. III pag. 686*, & in *Epitome Artic. controv. Artic. II ſub init. pag. 578.*

II. In *Auguſtana Confeſſione*, ejusque *Apologia*, *Art. II pag. 17*, per regenerationem intelligitur *vita animæ, orta per eam fidem, per quam homo eſt juſtificatus & ſanctificatus.* Subjiciuntur in *Apo-*

*logia*

*logia* tandem hæc verba: *Quid poteſt dici de converſione impii, ſeu de modo regenerationis, ſimplicius & clarius?* Animadvertit id jam olim D. *Samuel Schelguigius* in libro: *Erklærung der gantzen Augſpurgiſchen Confeſſion und deren Apologie pag. 218.* *Philippus Melanchthon* in *Apologia*, regenerationem in eo poſitam eſſe, docet, ut ii, qui antea in peccatis erant mortui, obtinuerint per Chriſtum & fidem & fidei fructus. Vir doctrina & pietate ſpectabilis, *Joannes Fridericus Burgius*, in eadem verſatur ſententia. Ipſe enim in *Inſtitutionibus Theologiæ theticæ P. III Cap 5 §. 1 pag. 565* ita diſſerit: *Converſio omnem ambitum motuum ſalutarium in homine, ad fidem vel adducendo vel reducendo, comprehendit. Quatenus ei a Deo proficiſcuntur, hominem convertente, fere regenerationi æquipollet. Joannes Wilhelmus Baierus* conciſe enodat difficultates, de vocis poteſtate ſolitas oriri, in *Compendio Theologiæ poſitivæ P. III Cap. 4 §. 2 pag. 587*, hunc in modum exponens mentem: *Regenerationis vox quidem, latius accepta, præter converſionem, etiam juſtificationem & renovationem complectitur; ſtrictiore ſignificatione nunc ſolam juſtificationem, nunc renovationem, ſive ſanctificationem; ſed & fidei donationem præciſe denotat. Poſtrema ſignificatio hujus loci eſt: cui reſpondent nova creatio, vivificatio, & ſpiritualis reſuſcitatio.* Qui vocem late accipiunt, illi per eam deſignant translationem hominis in gratiæ ſtatum, & eam quidem, qua homo œconomiam fœderalem, & fide & virtutum Chriſtianarum cultura, ornatus ingreditur, & ſuave

Chri-

Chriſti jugum ſuſcipit. Qui eandem regenerationis vocem arctiori limite circumplectuntur, ſignificant per illam omnino nihil aliud, ac actum illum Dei, quo intra animam hominis vita per fidem & baptiſmum, & ea quidem ſpiritualis, inchoatur. Ut vero in animis parvulorum, dum ipſi aqua ſacra imbuuntur, ſeu baptizantur, modo extraordinario per opus Spiritus Sancti ſingulare oritur; ita in animis adultorum, ad Chriſtianam religionem ſeſe convertentium, fides ex verbo Dei vivo, in animum demiſſo, ordinaria ratione accenditur, & hæc animi immutati in melius origo plerumque actionem baptizationis ſuſcipiendæ antecedit, atque baptiſmo ipſo corroboratur & confirmatur, niſi baptizatus operationibus Spiritus Sancti oblectamenta peccatorum oppoſuerit, & impedimentum objecerit, ordinaria gratiæ excitantis vi inexſuperabile.

III. Intueamur *Paulum* propius, ut ſignificatum *παλιγγενεσίας*, ſeu *regenerationis*, eruamus. Ipſe docet *Titum*, ut hortetur cœtum Chriſti ad ſtudium fidei & virtutum, præcipue autem eum moneat, ne extraneis atque inſectatoribus ſuis odia opponat, ratus, miſerendum eſſe potius eorum, qui vitiis operentur, extra ovile Jeſu collocati. Rationem arceſſit ex mentione actionum, quibus & *Paulus*, & *Titus*, & reliqui Chriſtiani, antequam vita ſpirituali fuiſſent inſtructi, aliis fuerint moleſti, ſibique pernicioſi. Tum vero ſubjungit: *Cum vero illa prædicanda benignitas*, in commodis hominum promovendis occupata, *& illa* ſingularis *erga homines caritas illuxit Servatoris*

*toris noſtri Dei*, Deus ille *non ex operibus* noſtris, *per juſtitiam* ullam exercitatis, *ſed ſecundum miſericordiam ſuam, eripuit, ſervavit, & ſalvavit nos, per lavacrum regenerationis & renovationis*, a) *a Spiritu Sancto profectæ, quem* ipſe Pater *effudit in nos* (copioſe contulit) *opulente per Jeſum Chriſtum, Servatorem noſtrum*, ut *juſti declarati per illius gratiam heredes redderemur, quantum ad ſpem attinet, vitæ æternæ*. Præceſſerat Dei gratia, miſericordia, & immeritus in mortales favor, qui jubaris inſtar elucebat, cum ſerio pœnitentes confugerent ad illam miſericordiam. Erga hoſce Deus Pater ſeſe præſtabat Servatorem. In homine nihil erat, quod favorem illum potuiſſet promereri. Operibus pietatique homines haud vacabant. At operibus illis deerat juſtitia & conformitas cum lege divina. Non niſi miſericordiæ Dei omnia erant in acceptis ferenda, quæ homini erant adjumento & ſaluti. Deus, miſericordia ditiſſimus, eripiebat hominem ex reatu culpæ & pœnæ. Adminiculi loco, & inſtrumenti vice, erat lavacrum regenerationis. Regenerationis exordium profluebat ex ſancto lavacro, quod Chriſtus inſtituerat. Lavacrum id conjunctum fuerat cum regeneratione & renovatione. Finis lavacri huc tendebat. Regenera-

tio

a) Ad lavacrum vox *renovationis* ſpectat, eo quod per ſalutare hoc lavacrum ponimur in vitam novam, & ſtatum imaginis Dei, in nobis renovatæ. Ad vocem διὰ vocem *renovationis* refert citra neceſſitatem cum *Beza Petrus von Haven* in *Commentatione analytica ad Epiſtolam* hanc *Pauli pag.* 138 *ſeq.*

tio & renovatio exoriebatur a Spiritu Sancto, cujus dona largiſſima Pater ob Chriſti promerita in pœnitentes gratiamque ſuſpirantes effundit. Regeneratio hic ſeparatur a renovatione. Illa deſignat exordium vitæ ſpiritualis publice declaratæ. Hæc ſanctificationem, & animi ad legem Dei conformationem, a qua defecerat homo, deſignat. Dona Spiritus Sancti cum baptiſmo pœnitentium erant conjuncta, non ſolum ordinaria & communia, ſed etiam extraordinaria & miraculis plena, qualia in *Actis Apoſtolicis* leguntur. Cauſa meritoria gratiæ tantæ, in miſeros collatæ, eſt Chriſtus, qua redemtor & ſalvator hominum. Quamprimum illa gratia homines amplectitur, juſtificatio eſt præſto. Tunc homo declaratur juſtus, & ita a peccatis ante actis abſolvitur, ut ea ipſi haud amplius in culpam & pœnam imputentur, ſed ut potius promeritis Chriſti & deprecationi Jeſu relinquatur locus, quorum cauſa homo immunis pronuntiatur a commeritis pœnis. Juſtificationi peractæ innexa eſt hæreditas bonorum, a Chriſto partorum, præcipue autem vitæ ſempiternæ. Juſtificatus quidem non ſtatim intromittitur in ipſam vitam æternam & mercedem gratiæ, ſed ſpem tamen immotam concipit cernendæ tantæ hæreditatis, quæ profluit ex jure adoptionis. Juſtificati enim redduntur filii Dei, & eo, quod ſunt filii, hæredes quoque reputantur bonorum cœleſtium. Regeneratio igitur hoc loco diſtinguitur a juſtificatione, & a renovatione, tanquam fons & origo ab effectu. At ratione temporis hæc non ſunt disjuncta, licet re-

ſpectu ordinis differant. Regeneratio hic eſt actus ille gratiæ Dei, quo is homini ſerio pœnitenti, & ad gratiam divinam anhelanti, ſtatuique peccatorum ſimul renuntianti, fidem donat & originem vitæ ſpiritualis. Regeneratio hic utique jungitur & implicatur baptiſmo, ne dubitemus, de prima vitæ ſpiritualis origine eſſe ſermonem.

IV. Si itaque vocem regenerationis hoc ſenſu adhibemus; eximia converſionem inter & regenerationem intelligitur intercedere differentia. Nam 1) non dicimur nosmet regenerare, ſed generari ac regenerari, licet in ſacris literis dicamur & nos convertere ad Deum, & divinitus converti: 2) infans recens natus, & baptiſmo admotus, dicitur quidem regenerari, at non dicitur ſeſe convertere vel converti ad Deum, ſiquidem תְּשׁוּבָה, *converſio*, ſignificat reditionem ad eum, quem volentes & ſcientes dereliquimus; 3) converſioni non eſt locus, ni ſtatu regenerationis homo ſit ejectus. Quo ipſo evidens eſt & perſpicuum, nonnullos arcto vocis ſignificatu dici *regenerari*, qui ſeſe convertere vel converti non poſſunt dici. Et hoc eſt illud Theologiæ ſubtilioris momentum, quod jam expoſuit Cel. olim & meritiſſimus *Joannes Franciſcus Buddeus* in *Inſtitutionibus Theologiæ dogmaticæ Lib. IV Cap. 3 §. 28.*

V. Actus regenerationis, ſtrictim ſumtæ, gemina ratione poteſt expendi atque conſiderari. Nam regenerantur nunc infantes, dum ipſi ſacro initiantur baptiſmo; nunc, regenerantur adulti Pro hac ætatis diſparitate diverſe de ipſo regene

rationi

rationis actu eſt ſentiendum. Infantes enim non poſſunt per verbum, auribus ingerendum, ad actionem baptizationis ineundam præparari. Ipſi id lectione ſibi nequeunt inſtillare. Ipſi potius per vim Spiritus ſancti extraordinariam, animas ipſorum pervadentem, fide donantur. Irritus omnino eſt eorum labor, qui, quoniam hunc, quo fides in infantum animis accenditur, modum ignorant, pædobaptiſmum repudiare vel averſari ſolent. Infantes dari, qui in Chriſtum credunt, tradidit Chriſtus, auctor haud refellendus. Hic eſt ille, qui juſſit baptizari πάντα τὰ ἔθνη, id eſt, *omnes ac ſingulos omnium gentium & nationum homines*, nulla ætate excepta, nullo ſexu inde disjuncto. Hiſce hominibus infantes indubie ſunt annumerandi. Addit nobis calculum album *Origenes*, qui in ſuo Commentario ad Epiſtolam, *Romanis* a *Paulo* inſcriptam, docet, pædobaptiſmum inde ab Apoſtolorum & Chriſti ætate ac inſtituto nunquam non viguiſſe, effectuique inter Chriſtianos datum fuiſſe. Ad hunc Autorem jam provocavit *Philippus Melanchthon* in *Locis præcipuis theologicis pag. 431 ſeq. edit. 1549, 8, Viteberg.* Ad eum provocavit magnus ille Theologus Salanus, *Ioannes Gerhardus*, in *Locis theologicis Tomo IV Cap. 23 Sect. 3 §. 183 ſeq. pag. 805 ſeq.* b) Et quis dubitat, Chriſtum infantes quoque ad ſeſe & regnum cœlorum invitaſſe? Quod cum in dubitationem revocari nequeat, adjungens porro ſen-



b) Plura Patrum primæ Eccleſiæ teſtimonia congeſſit *Oelerus* in *Annot. ad Catechesin Racovienſem pag. 158 ſeq.*

rentiam haud minus certam, eidem quippe veritati ipſiusque Chriſti verbis ſuperſtructam, maximus hic & univerſalis magiſter, unicum & univerſalem, eumque ordinarium, oſtendit tramitem & modum, per quem regnum cœlorum & œconomiam gratiæ gloriæque intrare licet. Ipſe perhibet, non poſſe quemquam intrare in regnum cœlorum, niſi generatus ille ſit ἄνωθεν, *denuo*, *Jo. III*, 3 hoc eſt, uti ipſe exponit, *ex aqua & ſpiritu*. c) Ipſe hunc baptiſationis modum præivit. Aqua in baptiſmo adhibetur extrinſecus; intrinſecus fidem Spiritus Sanctus accendit. Alibi etiam baptizatio & fides conjunguntur in illa Chriſti ſententia *Marc. XVI, 16: Qui crediderit, & aqua ſacra luſtratus fuerit, is ſalvabitur.* Quo ipſo fit planum, infantes etiam, quos Chriſtus ipſe, ut ſalventur, vocavit, eſſe baptizandos, fidei quippe in ipſis accendendæ habiles. Ipſe gentium doctor *Paulus* ſalutem Chriſtianorum, quotquot ad gratiam Dei perveniunt vel adducuntur, derivat a *lavacro regenerationis & renovationis Spiritus Sancti*, ne quis forte exiſtimet, infantibus aliud patere adminiculum perveniendi ad ſalutem ſempiternam, aliud patere adultis initium & præſidium ſalutis. Baptiſmus vero appellatur λουτρὸν, *lavacrum*, ab actione *ablutionis*, atque in aquam immerſionis, vel adſperſionis, ea peractæ. Immerſioni in terris, ad ſeptentriones vergentibus, ab *Innocentio III*, Pontifice Romano, ſubſtituta eſt ob infantum corpora imbecilliora & cumulos

aquæ

c) Vim hujus argumenti intellexit quoque *Ioannes Harduinus* in *Comment. ad Io. III, 5, pag. 263.*

aquæ frigidioris adſperſio, quæ jam olim, ſi corpora baptizandorum haud ferre poſſent immerſionem, a primæ eccleſiæ Epiſcopis & Presbyteris fuit legitime & ſalubriter adhibita. Lavacrum hoc non eſt commune vel vulgare, nec ad ſordes corporis eluendas apte excogitatum, ſed illud ipſum eſt indicium & adminiculum regenerationis, quæ per Spiritum Sanctum, & fidem, ab eo in animis accenſam, intus perficitur. Per generationem communem & naturalem naſciſcimur vitam hanc fragilem, morbis, turbis, ac morte tandem, moleſtam, nec non præterea oſtendimus mentem, ab amore, in Deum veraſque perfectiones directo, vacuam, ad mala pronam ob inordinatam victus veneriſque cupiditatem, a proclivitate obtemperandi juſſis Dei alienam. Per regenerationem vero recipimus lucem, fidem, & amorem, Deo debitum & dignum, licet non abſint a piis variæ in hac vita imbecillitates. Per generationem demonſtramus veterem *Adami* corrupti, & a Deo deſciſcentis, formam. Per regenerationem vero renovamur ad Dei imaginem, & ad ſaniores cogitationes atque cupiditates, divinis de ſalute noſtra conſiliis conformes, formamur. Hæc eſt illa renovatio, quam *Paulus* vocat *ἀνακαίνωσιν*, expultricem quippe vetuſtatis incommodæ ac veteratoriæ deformitatis innatæ, quæ renovatio cum amicitia Dei eſt conjuncta, per quam in filios ejus adoptamur, ac promiſſionum ipſius conſtituimur hæredes. Id porro veritati eſt conſentaneum, adultos verbo Dei prius præparari, atque ante ad fidem deduci, quam

baptiſmo impertiri. Sed nihilo ſecius baptiſmus, dummodo ipſi obicem non ponant Spiritui Sancto, manet lavacrum regenerationis in hoc ipſo actu ejus indolis, quam fert inſtitutio divina; ac ipſa regeneratio, licet ea non prorſus inchoetur, ni obex gratiæ ponatur a baptizando, confirmatur tamen atque ſtabilitur, & homo fidelis ipſe de adoptionis juribus impetratis redditur certus ac ſecurus.

VI. Per regenerationem hanc, παλιγγενεσίαν, efficimur filii hæredesque Patris cœleſtis, ac Deus ſeſe nobis præbet patrem propitium, ſiquidem ipſi per fidem, Chriſto innitentem, probamur ac placemus. Inſtituitur per hanc regenerationem baptiſmalem fœdus ac pactum δίπλευρον, hominis ſcilicet cum Deo, ac Dei cum homine viciſſim. Deus hominem a vinculis culpæ & pœnæ liberat; homo liberatoris vim & poteſtatem patitur. Deus hominem ad gratiam trahit; homo trahentem & ducentem ſequitur. Deus pœnitentem, ac ductus Dei ſequentem, donis inſtruit; homo anhelat ea, & avide recipit. Deus hominem declarat juſtum; homo prædicat juſtiſſimum & benignum judicem. Deus juſtificatum ornat & renovat; homo expetit recipitque ornamenta & vires novas. Deus juſtificatum conſtituit filium & hæredem vitæ æternæ; homo regeneratus adoptionis jure gaudet, & obedientiam filio dignam, illibatamque conſcientiam, Deo vovet. Ab hiſce effectibus baptiſmi perquam ſalubribus deducendæ ſunt illæ loquendi formulæ, quæ nonnullis videntur vel juſto excellentiores, vel ad

trans-

tranſlatum dicendi genus detorquendæ. *Petrus* dicit *1 Ep. III, 21:* Ἡμᾶς σώζει βάπτισμα, *nos ab exitio ſervat baptiſmus*. *Paulus* in loco noſtro pariterque: *Deus ſecundum ſuam miſericordiam nos ab exitio ſervavit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti.* Inprimis divinus ille *Petrus* loco laudato baptiſmum vocat συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεὸν δι' ἀναστάσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, *conſcientiæ bonæ ſtipulationem erga Deum*, quæ conſcientia bona eſt Deoque probata *per reſurrectionem Jeſu Chriſti*, tanquam per fundamentum univerſæ religionis Chriſtianæ vitæque purioris. Confer *Curas criticas & philologicas* B. *Joannis Chriſtophori Wolfii ad h. l. pag. 148 ſeq.* Ex qua ſtipulatione illud conficitur atque conſequitur, eum, qui baptizatur, pactum inire cum Deo, ac quaſi de æterna ſalute cum illo ſuſcipere contractum, cujus pacti ſumma ac caput præcipuum in eo conſiſtit, ut is, qui baptizatur, conſcientiam integram ſceleriſque puram velit cuſtodire, ſanctiſſimeque, ſe inſtitutis juſſiſque Deo facturum ſatis per Chriſtum, promittat. Non poſſumus igitur, quin promiſſionum, a Deo piis datarum, & quas pactum illud adoptionis in baptiſmo, quod Deus adoptans cum adoptato ſancit, complectitur & firmat, ſimul recordemur, ac inde denuo colligamus, actum baptiſmi conjunctum eſſe cum pacto partium duarum inſigni. Vide *Joannis Gerhardi Locos theologicos Tomo IV. Cap. 23 de S. Baptiſmo* §. *108 pag. 709 ſeq.* §. *114 pag. 717.* Id vero huic pacto eſt proprium, quod Deus illud haud violet,

ideoque una paciſcentium pars ſanctiſſime ſervet promiſſa. At, quod eſt dolendum, homo regeneratus ſibi haud perpetuo temperat cavetque, quo minus ex ſtatu gratiæ & adoptionis excidat. Plerique mortalium aliquando per peccata deliberata, in actum deducta, reſiliunt ab hoc fœdere, & ab eo deſciſcunt. Ni triſtis paſſim loqueretur de hac defectione experientia, e ſcriptis divinioribus exempla poſſemus promere & proferre, quibus fidem dictis facere liceret. Stat tamen a parte Dei pactum illud, quod baptiſmale vocant, inviolatum; hominique reditio ad illud patet, quoties intra gratiæ, divinitus oblatæ, intervallum per ſeriam de peccatis maleque actis pœnitentiam vivamque fidem ad illud denuo ſeſe conformaverit. Deum enim numquam pœnitet fœderis atque ſalutis, per illud promiſſæ, *Rom. XI, 29; 2 Cor. VII, 10.* *Paulus* egregie *2 Tim. II, 13*: *Εἰ ἀπιστοῦμεν, ἐκεῖνος πιστὸς μένει. ἀρνήσασθαι ἑαυτὸν οὐ δύναται. Si a promiſſi fide deſcivimus,* ipſe Deus Servator *fidelis manet*, nec unquam promiſſi fidem migrat. *Abnegare ſe ipſe utique non poteſt.*

VII. Cum vero regeneretur nemo, niſi qui credit, Jeſum eſſe filium Dei, *1 Jo. V, 1, 4*; regeneratio ad religionem Chriſtianam, ejusque profeſſionem, referenda eſt. Et hanc ob cauſam candidatos baptiſmi, antequam ipſi aqua imbuuntur, pro more ſolent examinare Presbyteri, an in Deum trinum fiduciam omnem collocent, an Jeſum pro Deo & homine ac ſuo redemtore habeant, an Spiritum Sanctum venerentur, an peccatorum ſtudio ſint valedicturi, & ad arbitrium

Serva-

Servatoris vicarii, &c. Si candidatus ipſe pro ſeſe reſpondere non poteſt, ſive quod infans, ſive quod mutus eſt, ſuſceptores ac teſtes baptizationis illius pro ipſo ad interrogationes reſpondeant & ſtipulentur. Præmittitur hæc ſtipulatio ipſi actui baptizationis, ut conſtet de elementis doctrinæ & vitæ, quam baptizandus profitebitur, vel profitetur: ne quis ſibi perſuadeat, baptizationem ſolam citra Dei verbum ſufficere: ne regenerationem diſcernamus a fide, nec fidem ſejungamus a doctrina divinitus revelata, cujus quippe ſigillum eſt ipſe baptiſmus. *Philippus* antequam Eunuchum baptizaret, nucleum doctrinæ Chriſtianæ ab ipſo publica profeſſione confirmari voluit *Act. VIII, 37, 38.* Chriſtus actum credendi præmiſit actui baptizationis *Marc. XVI, 16.* Idem jubet Apoſtolos exire, diſcipulosque reddere populos omnes, ipſos baptizando & docendo inſtituta & doctrinam Chriſti, *Matth. XXVIII, 19.* Præmittitur illud *μαθητεύειν* certa ratione actui illi *βαπτίζειν.* Profeſſio enim ſeu confeſſio fidei edenda eſt ante baptizationem, ut innoteſcat, an quis velit eſſe Chriſti diſcipulus & religionis Chriſtianæ affectator; an quis religionis Chriſtianæ futurus ſit ſodalis & conſors, ideoque dignus ſit ſigillo ejus religionis. Et hæc eſt ratio, cur, infantes Judæis ac cultoribus ſimulacrorum, haud cenſemus, ut illi baptizentur, eſſe eripiendos, parentibusve invitis baptizandos. Veriſimile enim non eſt, ipſos, cum ad ætatem provectiorem inter ſuos pervenerint, religionis Chriſtianæ profeſſioni inhæſuros. Aliter vero pronunciandum eſt

 de

de infantibus Chriſtianorum, vel in captivitatem & Chriſtianorum poteſtatem deductis. Merito prius habetur ratio epiſtolæ, quàm ſigilli. Eadem ratione prius ratio habenda eſt profitendæ religionis Chriſtianæ, quam baptiſmi. Hic enim illius eſt ſigillum. Præmittitur merito ἐπερώτημα, ſeu ſtipulatio, antequam pacto ſigillum adjungitur. Nec eſt, quod exiſtimes, ita fidem jam accendi ante baptiſmum, nec dici poſſe, ipſam oriri per baptiſmum. Nam haud inficiamur, baptiſmo adultorum fidem mente conceptam plerumque eſſe priorem; ipſam tamen eo arbitramur confirmari. Infantum alia eſt ratio, in quibus non per confeſſionem religionis Chriſtianæ vicariam, a ſuſceptoribus editam, ſed per ipſum baptiſmum, fides accenditur. Plura, ad hanc rem facientia, expoſuit Vir Summe Rev. *Chriſt. Henr. Zeibichius* in *Diſſ. de Uſu formulæ, qua interrogamus infantes ante ſacram lotionem de fide*, Vitebergæ A. 1734. 4. in lucem emiſſa.

VIII. Ad completum regenerationis actum, ac formandam inde notionem, conveniunt momenta complura. Fundamentum ſuppeditat miſericordia & favor gratuitus Patris cœleſtis, qui in hominis regeneratione *Salvatorem & liberatorem ab exitio* ſeſe benigniſſime præbet. Miſericordia hæc innititur ſponſioni ac expromiſſioni, quam filius Dei, qui tandem humanam ſimul induit naturam, angelus quippe fœderis & conſilii, pro genere humano, in defectionem prolapſo, repræſentavit ac executus eſt. Referenda huc ſunt Chriſti promerita ac ſatisfactio vicaria, *Eph. II, 10*;

*2 Tim.*

*2 Tim. I, 9, Io. I, 12, 13, 17, Rom. V, 9, Eph. V, 25, 26.* Dum enim ipſe in cruce pependit, per ſeſe inſons & ſanctus, execrabilis tamen eo nomine factus; poenam ipſe non ſuam luit, ſed noſtram, *Ieſ. LIII, 5, Ebr. IX, 28, 1 Petr. I, 18, 19, Gal. III, 13.* Nemo ſanus dicet, Jeſum duntaxat exempli loco mortem ignominioſiſſimam perpeſſum eſſe. Deus enim crudelis non eſt, nec ipſe inſontes vult plecti. Nec filius Dei vult inſontes ſubjicere execrationi ſuppliciοque duriſſimo. Subfuerit alia ratio oportet, cur Jeſus in ſeſe tam duriter & acerbe conſuluerit. Sponſor ipſe fuerat pro nobis factus, ſibique imputaverat defectionem generis humani expiandam, ideoque dicitur inveniſſe expiationem. *Job. XXXIII, 24,* expiationem perpetuo valituram *Ebr. IX, 12.* Expromiſſor ipſe factus fuit in tempore, & ſponſioni illi, loco noſtri ſuſceptæ, fecit ſatis, & vim ac fructus hujus expromiſſionis inſeruit baptiſmo regenerationis. Quam ob cauſam dona Spiritus Sancti per baptiſmum regenerationis effunduntur in eos, qui rite baptizantur, nec Spiritui Sancto ponunt obicem, *per Jeſum Chriſtum.* Satisfactioni Chriſti vicariæ glorioſa ejus reſurrectio robur dedit ac complementum, *1 Petr. I, 3, III, 21, Rom. VI, 4.* Spiritus Sanctus animum ejus, qui baptizatur rite, nec obicem illi ponit, renovat, & donis, fide, ac renovatione, inſtruit. Unde baptiſmus vocatur *lavacrum renovationis Spiritus Sancti.* Ne primi Chriſtiani hanc veritatem in dubium revocarent, & ut extranei ſingularibus argumentis de ea convincerentur, Spiritui Sancto viſum eſt, in baptizatos

inter ipſum baptiſmi actum olim chariſmata prorſus eximia conferre, eique miracula adjungere. Donorum ac chariſmatum illorum collatio appellatur a *Pentecoſte Spiritus Sancti*; atque haec menſuram ſervat vel ordinariam, vel abundantem & exuberantem. Quae doctrina, ſub unum conſpectum revocata, tanti eſt momenti, ut homines baptizandi ſint *in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti*. *Chriſtus* hic nobis ſpectandus eſt, non ut merus & nudus homo, ſed etiam ut filius Dei redemtionis jam peractae expromiſſor, & divina perſona, *1 Io. V, 1, 4, 5, 20, Act. VIII, 37*. *Spiritus Sancti* hic ratio habenda eſt tanquam divinae perſonae, gratiam quippe vi omnipotente & ſapientiſſima conferentis. Quis enim renovare poteſt hominem ad imaginem Dei propria & efficaci potentia, niſi ipſe Deus? Complectitur itaque baptiſmus regenerationis ipſam ſacroſanctae Trinitatis doctrinam & redemtionis oeconomiam. Baptiſmus ipſe conſtat ex aqua & Spiritu, *Io. III, 5, Tit. III, 5, Eph. V, 26*, ac ſuperſtructus eſt verbo mandati & promiſſi divini, *Jac. I, 18, 1 Petr. I, 23, Matth. XXVIII, 19, Marc. XVI, 16, Act. II, 38, X, 28*. Fides ipſa eſt regenerationis ſplendor & decus, fides, inquam, viva, mundique, pravitatibus involuti, victrix, *1 Jo. V, 1, 4, 5*. Haec in infantibus per baptiſmum accenditur; in adultis per verbum Dei, in mentem demiſſum, & obedienter exceptum, oritur, *Act. VIII, 12, X, 44, 48, Eph. V, 26*, ac per baptiſmum, ni Spiritui Sancto ponatur obex, confirmatur & obſignatur. Effectus ſunt juſtificatio, adoptio, ſanctificatio, haereditas vitae aeter-

æternæ, ac ſolicita cautio de vitandis peccatis, *1 Jo. V, 18*, continua peccatorum deprecatio, & per Chriſtum paracletum remiſſio, *1 Jo. II, 1.* Unde intelligitur, in doctrina de baptiſmo regenerationis univerſam latere religionem Chriſtianam, ideoque eum haud immerito vocari *verbum Dei viſibile*. Baptiſmus enim ſalutaris eſt ſtipulatio conſcientiæ bonæ. Ut vero cognoſcere poſſimus, quid bona ſit conſcientia hominis Chriſtiani, univerſæ œconomiæ ſalutis rationem habeamus, neceſſe eſt. Si ii, qui vocantur Chriſtiani, hoc perpenderent in dies curate & diligenter, firmius profecto ipſi adhærerent puriori doctrinæ ac vitæ, cogitantes, quantæ eum maneant pœnæ, qui ſtipulationem & pactum baptiſmale violat, & rebus nihili poſtponit.

IX. Qui ſemel rite baptizatus eſt, confeſſione fidei Chriſtianæ præmiſſa, is nunquam amplius eſt baptizandus. Sufficit λουτρὸν, *lavacrum unum*. Circumciſio olim haud fuit repetita. Sacramentum initiationis peragitur ſemel. Fœdus baptiſmale non perit ex toto, licet homo illud violaverit. Deus illud nunquam lædit, vel irritum reddit, ex parte ſua. Si igitur hominem defectionis ſuæ pœniteat, ac cum Deo ipſe in gratiam redeat, fœdus tunc novum haud ſancitur, ſed prius illud ab homine rurſus reparatur. Novo itaque vel repetito fœderis ſigillo tunc opus non eſt. Id vero rei eſt caput, ut quis ſic fuerit baptizatus, quemadmodum Chriſtus formam baptiſmi inſtituit atque præſcripſit. De hoc momento eccleſia debet eſſe certa & extra fluctuatio-

nem

nem poſita. Per univerſam Chriſti eccleſiam du-dum de hac doctrina conſenſio & concordia ce-lebrata fuit & ubique pervagata. At Seculis III & IV a Chriſto nato doctores nonnulli improba-runt baptizationem, ab hæreticis collatam, rati, ab eis peccata remitti haud poſſe, ideoque baptiza-tionem illam eſſe minus firmam, minus ſalubrem. *Cyprianus* inprimis ita fuit ratiocinatus. Quare *Ep. 69 pag. 183* baptiſmum rejecit eorum, qui in communione eccleſiæ poſiti non ſint, licet eodem ipſi ſymbolo & iisdem verbis adhibitis baptizent. Addidit is hanc rationem: *Tunc deinde voce ſua ipſi confitentur, remiſſionem peccatorum non dari, niſi per ſanctam Eccleſiam, poſſe: quam non ha-bentes, oſtendunt, remitti illic peccata non poſſe.* Eadem ratione Pontificii contra nos pugnant, im-probantes miniſterium noſtrum eccleſiaſticum. At, dum ipſi baptiſmum, a noſtris collatum, non damnant, inficiari prorſus nequeunt, remitti inter nos peccata poſſe. *Cyprianus* ibidem *pag. 185* hoc etiam monet: *Qui recte baptizant, poſſunt dare Spiritum Sanctum.* Id vero videtur emen-dationis egere. Pater enim cœleſtis, *Paulo* judi-ce, effundit Spiritum Sanctum in eos, qui bapti-zantur. Suſtinent ii, qui alios baptizant, vicem miniſtrorum. Quæ vero Deus cum miniſtro haud communicat, ea miniſtro adſcribi nequeunt. Poteſt miniſter eccleſiæ per gratiam Dei & verbi divini uſum in animis adultorum removere obi-cem, eosque ita inſtruere, ut ipſi capaces red-dantur fidei ac donorum Spiritus Sancti. Spiri-tum Sanctum, ejusque dona, pro arbitratu eis

imper-

impertiri non poteſt. *Cyprianus* eadem repetivit *Ep. 70 pag. 191.* Eidem ſententiæ accedunt *Conſtitutiones Apoſtolicæ Lib. VI Cap. 15 pag. 344*, ubi hæc leguntur rationis loco addita: *Ab eis enim baptizati accipiunt non remiſſionem peccatorum, ſed vincula impietatis.* Ratione eadem baptiſmus, ab hæreticis collatus, in *Canone Apoſtolico 46* improbatur, ideoque *Canon 47* jubet eos, qui ſic baptizati ſint, rebaptizari. Diu ante *Cyprianum* jam in Synodo ſub *Agrippina* habita ita fuerat conſtitutum, ut patet ex *Cypriani* Epiſtola ad *Jubajanum.* Inhæſit huic Conſtitutioni Concilium Carthaginenſe, *Cypriano* concors. Cauſam non plene decidit Synodus Nicæna. Baptiſma, ab Arianis collatum, primus habuit ratum *Innocentius I*, ordinationem non peræque, *Ep. 18.* Addidit tamen, ne alios offenderet, *baptizatos Spiritum Sanctum non habere ex illo baptiſmate, illisque myſteriis.* Anceps hæſit *Auguſtinus*, an a non-baptizatis quis poſſit legitime baptizari, *Lib. II cont. Ep. Parimen. Cap. 13.* Illos vero, qui ab hæreticis rite fuerant baptizati, rebaptizandos eſſe, idem negavit. Hujus ſententia ipſi Latinæ eccleſiæ tam probabilis fuit viſa, ut hæc ipſa doctrina perviceriτ & triumphet in hunc usque diem. Solebant tamen orthodoxi eis, qui ab Arianis erant baptizati, & ad illos redierant, poſt confeſſionem fidei manus imponere, & chriſma dare, quemadmodum elucet ex *Concilio Aurelianenſi ad A. 511 Can. 10.* Fuſius hoc ediſſeruit P. *le Cointe ad An. 496 n. 81-90.* Græci tamen poſt *Auguſtini* ætatem aliquantiſper adhuc a nova

Occi-

Occidentalium conſuetudine diſſenſerunt. Fuſius hæc expoſuit *Joannes Fellus* in *Notis ad Cyprianum pag. 243 ſeq.*

X. Baptiſmus vocatur λουτρὸν, eo quod corpus aqua mera jam ævo Apoſtolico abluebatur, vel illud immergendo, vel, ſi baptizandus eſſet languidus, & infirmitate laboraret, perfundendo, ſeu adſpergendo. De copia aquæ hic non agitur; rei cardo vertitur in beneficiis divinis, baptiſmo junctis. Succurrit hic dubitationi mentium infirmarum *Cyprianus Ep. 69 pag. 185 ſeq.* ita diſſerens: *Quæſiſti - - quid mihi de illis videatur, qui infirmitate & languore gratiam Dei conſequuntur, an habendi ſint legitimi Chriſtiani, eo quod aqua ſalubri non loti ſint, ſed perfuſi. - - Nos, quantum concipit mediocritas noſtra, æſtimamus, in nullo mutilari & debilitari poſſe beneficia divina, nec minus aliquid illic poſſe contingere, ubi plena & tota fide & dantis & ſumentis accipitur, quod de divinis muneribus hauritur.* Humani igitur paſſus fuit aliquid *Iſaacus Beauſobre*, qui, baptiſmum adſperſionis Seculo demum ſexto in occidentali eccleſia cœpiſſe, ſibi perſuaſit *Tom. I Hiſtoire critique du Manichéiſme & des Manichéens pag. 419.* Arrident potius ea, quæ ſtatuit docuitque Vir Illuſtris *Joannes Georgius Pertſchius* in *Hiſt. Eccl. Sec. I pag. 430 ſeq.* Aquam baptiſmo eſſe adhibendam, exempla prima & purgationis ſignificatio ſatis ſuperque ſignificant. *Stephani III* tamen, Pontificis Romani, hoc legitur decretum: *Si in vino quis, propterea quod aqua non inveniebatur, omnino periclitantem baptizavit,*

*vit; nulla ei adſcribitur culpa. Infantes ſic permaneant in illo baptiſmo. Nam, ſi aqua fuit præſens, ille Presbyter excommunicator.* At Chriſtus inſtituit baptizationem interventu aquæ, non vini, peragendam. *Paulus* itaque hoc λυτρὸν, *lavacrum*, appellavit λυτρὸν τοῦ ὕδατος, *lavacrum aquæ, Eph. V, 26*, nequaquam vero lavacrum vini. Unctionem baptiſmo addiderunt Chriſtiani Seculo ſecundo exeunte ac ætate conſecuta. Legebatur enim in verſione N. Teſt. veteri Italica, ſeu Latina, *Matth. XXVIII, 19: Baptizate unguentes gentes.* Vox illa *unguentes*, unde reſtat Italorum *ogni*, viſa fuit nonnullis deſignare præceptum, de *ungendis baptizatis* promulgatum. Hæc eſt origo unctionis baptiſmalis, ſi juvat ſuffragari *Mariæ Blanchino* in *Diſſ. ad Enarrationem Symboli Pſeudo-Athanaſiani pag. 16 ſeq.* Conditores tamen Conſtitutionum Apoſtolicarum perſpexerunt probe, oleum ante aquam baptiſmalem & unguentum, baptizationi ſubjunctum, legitime poſſe a baptiſmo abeſſe, *Lib. VII Cap. 22 pag. 368.* Errat Jeſuita *Joannes Harduinus*, ſibi c) perſuadens, baptiſmum immerſionis in uſu nunquam fuiſſe. Meliora eum docere poterat *Cyprianus.*

XI. Baptiſmus vocatur *lavacrum regenerationis* ex ſcopo, quem Deus per uſum illius intendit, &, niſi homo obicem ponat, in effectum deducit. Deus enim Servator ac Pater cupit interventu baptiſmi, accedente Spiritus Sancti gratia, hominem, qui baptizatur, declarare filium ſuum

c) In *Comm. ad Act. II, 41, pag. 337.*

ſuum ſuamque prolem, eique jus adoptionis & hæreditatis per fidem vel accenſam, vel obſignatam, impertiri. Quæritur vero haud immerito, an vox *regenerationis* tantummodo adhæreat ſalutari baptiſmatis collationi, an illa de alia etiam quacunque in ſtatum gratiæ divinæ collocatione in ſacris literis adhibeatur. Exhibebimus loca ſingula, in quibus de generatione myſtica & regeneratione injicitur mentio, & eorum inibimus numerum:

1. *Matth. XIX, 28: Jeſus dixit diſcipulis: Amen, dico vobis, vos, qui me ſecuti eſtis in regeneratione* (παλιγγενεσίᾳ,) *cum ſeſſurus erit filius hominis ſuper throno ſuo glorioſo, ſeſſuros quoque ſuper duodecim thronis, judicium agitantes in duodecim Iſraelis tribus.* Sunt, qui παλιγγενεσίαν hic retrahunt ad mentionem priorem ſedendi. At immerito παλιγγενεσία hoc loco eſt nova conformatio eccleſiæ, inſtruenda per evangelium, & confirmanda per excidium Hieroſolymarum. Conf. *Apoc. XX, 4.* Stoici quoque novam mundi conformationem appellarunt παλιγγενεσίαν.

2. *Paulus 1 Cor. IV, 15: In Chriſto Jeſu per evangelium ego vos generavi.* Oſtendit ipſe, ſeſe Corinthiorum eſſe patrem ſpiritualem, eo quod ipſos ad doctrinam Chriſti adduxerit. Ipſe enim verbum Dei eis inſtillaverat, & ſacramenta curaverat diſpenſanda. Legitur hic ἐγέννησα, non ἀνεγέννησα.

3. Idem

3\. Idem Paulus *Gal. IV, 19: Liberi mei, quos iterum dolens parturio, usque dum formatus ſit Chriſtus in vobis.* Legitur hic vox ὠδίνω, propria matri parturienti. Multum operæ *Paulo* erat exantlandum, ut genuinam Chriſti doctrinam & vitam inter Galatas, erroribus implicatos, inſtauraret. Hæc ad regenerationem proprie non ſpectant.

4\. *Paulus ad Philemonem verſ. 10: Oro te filii mei cauſa, quem generavi in vinculis meis, Oneſimum.* Legitur hoc loco ἐγέννησα, & indicatur *Oneſimi* ad Chriſtum per baptiſmum & fidem aggregatio.

5\. *1 Petr. I, 3: Celebrandus eſt Deus & pater Domini Jeſu Chriſti, qui ſecundum multam ſuam miſericordiam regeneravit vos in ſpem vivam per reſurrectionem Jeſu Chriſti e mortuis ad hæreditatem, quæ reſervatur vobis in cælo.* Locus hic noſtro eſt ſimillimus, quare baptiſmus & lavacrum regenerationis, initium aggregationis ad Chriſtum, indicatur. Vocat aggregatos hoſce & recens baptizatos *verſ. 23 regeneratos* per verbum Dei incorruptum, vivum, & æternum, quod (*verſ. 25*) ipſis fuerat annuntiatum. Baptiſmus enim eſt lavacrum aquæ in verbo *Eph. V, 26.*

6\. *Joannes 1 Ep. IV, 7: Dilecti, amemus alter alterum, ſiquidem ille amor ex Deo eſt. Et unusquisque*, ſic *amans, ex Deo genitus eſt, & agnoſcit Deum.* Et *V, 1: Quicunque credit, Jeſum eſſe Meſſiam, ex Deo genitus eſt, & quicunque amat illum, qui genuit* ſeſe, *amat etiam*

*genitum ex ipſo.* Ex *verſu* 4: *Quicquid ex Deo genitum eſt, vincit mundum.* Ex *verſu* 18: *Novimus, omnem, qui genitus eſt ex Deo, non deficere peccando. Sed, qui genitus eſt ex Deo, cavet ſibi, & pravus ille non attingit ipſum.* Indicatur filiorum Dei indoles genuina.

7. *Jacobus I, 18: Pater cœleſtis, conſilio ſuo benigno uſus, progenuit nos verbo veritatis, ut eſſemus primitiæ quædam rerum ejus creatarum.* In Græco legitur ἀπεκύησεν. Similitudo deſumta eſt non a generante, ſed a matre pariente, & infantem extra uterum edente. Locus itaque proprie ad regenerationem ſtricte dictam haud ſpectat.

Ex quibus locis perſpicuum eſt, 1) miniſtros verbi divini dici eum *generare*, quem miniſterio ſuo ex morte ſpirituali ad lucem & vitam, ad doctrinam & vitam Chriſti, perducunt; 2) illos haud dici regenerare; 3) verum Chriſti membrum dici ex Deo eſſe, & ex Deo genitum fuiſſe; 4) ſolum Patrem cœleſtem dici *regenerantem*; 5) baptiſmum dici *lavacrum* παλιγγενεσίας, ſeu *adornatæ in animo œconomiæ novæ*; 6) baptizatos, ſeu regeneratos ex aqua & ſpiritu, dici quoque *regeneratos, Jo. III, 3, 4.* Unde tandem perſpicitur, regenerationem ſenſu Biblico eſſe aggregationem hominis ad gratiam & beneficia Dei per lavacrum aquæ in verbo, ac fidem, inde accenſam. Ex hac aggregatione ſalutari conſequitur ſtatus ille, quo homines per fidem vivunt Deo, ſanctamque agendi rationem pro ſuis deliciis reputant.

XII. Status ejusmodi vocatur *ſtatus regenerationis*, & conſiſtit in nova animæ vita & munditie, quam fides genuina generat & producit ex ſemine incorrupto, ſeu verbo Dei, & operatione Spiritus Sancti, ad illud adjuncta. Regeneratio ſæpius pro hoc hominis ſtatu ſumitur, ſuisque dignoſcitur indiciis, quibus homo de vita ſua ac adoptionis privilegio divinitus indulto certus eſſe poteſt. In Auguſtana Confeſſione librisque Evangelico-Lutheranorum Symbolicis hæc vocis poteſtas ac ſignificatio ſolet crebro adhiberi, laxior quidem, ſed ad vitam tamen Chriſtianam recte tum docendam, tum agendam, ſatis accommodata. Qui enim generantur, lucis uſura & motu liberiori incipiunt frui. Eandem loquendi rationem imitati fuerunt principes Theologorum, quænam regenerationis ſit indoles & definitio, demonſtraturi.

XIII. Spiritualis vita inſiſtit fidei genuinæ, & veluti ſurculus pulcher ex hac ſuccum trahit, excreſcit, ac ad fructus lætiſſimos effundendos promovetur. Simul atque vero fides exſtinguitur vel erroribus tetris, vel peccandi ſtudio, ipſa mentis vis ſublimior, ac ipſa ejus vita divina, perit. Quapropter dubitandum non eſt, quin ſtatus regenerationis poſſit amitti, ac per converſionem animi, ad gratiam Dei revocati & reducti, recuperari. Quo quidem ſenſu homo vitam mentis ſpiritualem, antea deperditam, denuo recipit, ac ſecundum formulam loquendi eccleſiaſticam *regeneratur* ab integro, ut proinde inſulſum dictu haud ſit, *regenerationem iterari poſſe*. Joannes

*Fridericus Kœnig* igitur in *Theologia poſitiva acroamatica* merito §. 437 reiterabilitatem regenerationis largitur.

XIV. Sin vero regenerationem anguſtioribus limitibus circumſcribimus, eamque interpretamur per actum, quo baptizamur, fidemque, baptiſmo vel junctam, vel confirmatam, ſentimus, fœderique divino primum admovemur, quod Deus nobiſcum, & nos cum Deo contrahimus; tum ſane eſt ſecus pronuntiandum. Baptiſmum enim, ſemel rite adminiſtratum, hominique applicatum, haud denuo circa eundem iterari, certius & ſolidius demonſtrati ſolet, quam ut ullis objectionibus relinqui poſſit locus. Et hac quidem ratione regeneratio non debet, nec poteſt, iterari. Beatus *Joannes Franciſcus Buddeus* in *Inſtitutionibus Theologiæ dogmaticæ Lib. IV Cap. 3 §. 27 pag. 950* litem hanc, qua quæritur, an regeneratio iterari queat, ita determinavit atque diremit: *Fieri poſſe, ut, qui ex ſtatu regenerationis exciderunt, in eundem reſtituantur, dubio caret. Cum enim Deus tanto homines amore proſequatur, ut peccatores, quos admiſſorum pænitet, ſemper recipere paratus ſit, id quod ex gratia Dei univerſali fluit, cum verbi divini eadem ſemper ſit efficacia, cum etiam impedimenta quævis per Numinis gratiam ſuperari queant; non video, quid obſtet, quo minus ejusmodi homo denuo regenerari poſſit, quod & exemplo Davidis & Petri, qui ex ſtatu regenerationis exciderunt, & in eum iterum reſtituti ſunt, comprobatur. Sunt tamen nonnulli, qui iteratam illam fidei collationem, converſionem*

*potius,*

*potius, quam regenerationem, vocare malunt.* Librorum Symbolicorum rationem loquendi nuperrime ſecutus fuit Vir optimus & venerabilis, *Joannes Fridericus Burgius*, in *Inſtitutionibus Theologiæ theticæ P. III. Cap. 3 §. 16 pag. 124*, & *Cap. 5 §. 25 pag. 601*, ubi regenerationem meminit iteratam.

XV. Res ipſa ex hac loquendi varietate nihil capit detrimenti, nec doctrinæ Chriſtianæ inſignis inde adjungitur acceſſio, utram hic loquendi formulam ſequi malis. Liceat vero ſic agere, quaſi formula loquendi accuratiſſima, ſacrisque literis maxime conſentanea, ab integro eſſet invenienda atque determinanda. Quod cum facere liceat, argumenta proferam nonnulla, quæ nos eo videntur impellere, ut pronuntiandum ſit, regenerationem iterari non poſſe. Et primum quidem argumentum mihi ſubnaſcitur ex mutua illa habitudine, quæ eſt inter generationem & regenerationem. Regeneratio deſignat hominis, qui generatus & in lucem ſuſceptus eſt, novam quandam, eamque iteratam, generationem, eamque non quidem ad hanc externam lucis uſuram, ſed ad vitam & ſpiritualem & ſempiternam, ſpirituali non interruptæ annexam. Finge porro, hominem hanc lucis uſuram amittere, & ad eam denuo revocari. Num quid tunc homo ille dicitur ad hanc externam vitam denuo generatus? Haud facile crediderim, fore nonnullos, qui Chriſtum, e mortuis reſuſcitatum, *Lazarumve*, a mortuis in hanc vitam reductum, perhibeant denuo generatos, ſeu regeneratos, fuiſſe.

Etenim regeneratio amplius quid involvit, quam reſuſcitatio e morte, licet & hæc & illa ſit omnipotentis Dei opus admirabile prorſusque ſtupendum. Nec tamen inficior, novam eccleſiæ œconomiam vocari *παλιγγενεσίαν Matth. XIX, 28.* At hæc œconomia eſt extra ſingulorum vitam & naturæ & gratiæ, de quarum utraque jam diſſerimus, collocata. Reſpicit enim illa ſtatum eccleſiæ univerſæ. Id porro negligendum haud eſt, regenerationem & converſionem, ſi planiſſime loqui volumus, nonnihil differre (§. 3), adeo, ut is, qui ſtatum regenerationis recuperat, atque ſeſe convertere, vel converti, & redire, dicitur, actum regenerationis omnem haud repetere cenſendus ſit. Aliud porro eſt, fœdus cum Deo inire; aliud rurſus eſt, fœdus, a quo reſiluimus, renovare & reconciliare ex parte noſtra. Regeneratio, ſtrictim dicta, a fœderis, Deum inter & hominem contracti, exordio & inchoatione divelli ſenſu noſtro haud poteſt. Quis vero dicet, hominem fœdus novum cum Deo, Deumque cum homine, ſancire, quotiescunque homo fidem olim datam repetit, ac eam, a ſeſe violatam, inſtaurat? Succurrit illud etiam animo, homines ſingulos ſemel generari, ideoque regenerari ipſos æque ſemel duntaxat. Voculæ *πάλιν* & *ἄνωθεν*, per quas regeneratio, *παλιγγενεσία* & *γέννησις ἡ ἄνωθεν* vocata, denominatur, actionis quidem, ſeu generationis, iterationem, nequaquam vero ternam vel creberrimam repetitionem, deſignant. Vocem *ἄνωθεν* in loco *Jo. III, 3,* non arbitror reddendam eſſe per *deſuper, ſuperne, ſurſum,* ſed

per

per *denuo, iterum, vice altera.* d) Nam *Nicodemus* vocem linguæ Chaldaico-Syriacæ, quam Jeſus adhibuit, poſteriori hoc ſenſu intellexit, quippe qui illud τὸ ἄνωθεν γεννηθῆναι expoſuit *verſ. 4* per τὸ δεύτερον γεννηθῆναι, *ſecundo iterumque generari*, ſeu *regenerari.* Tueor me præterea ſuffragio *Joannis Chriſtophori Wolfii ad h. l.* in *Curis pag. 810.* Unde ſatis elucet, ἀναγέννησιν & παλιγγενεσίαν, quibus vocibus regeneratio indicatur *Tit. III, 5,* & *1 Petr. I, 3,* non deſignare regenerationem ſæpius repetitam, ſed eam potius generationem, quæ fit δεύτερον, πάλιν, & ἄνωθεν. Eadem hæc regeneratio vocatur á Jeſu apud *Joannem* γέννησις ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, *generatio ex aqua & ſpiritu*, *verſ. 5*, immo *expurgatio Eph. V, 26*, & *renovatio Tit. III, 5.* Cur in oratione Chriſti ad *Nicodemum* habita nativum e) & proprium *aquæ* ſignificatum di-

 mittere

d) Syrus vocem ἄνωθεν expoſuit per ܡܢ ܕܪܫ *denuo, ab initio,* Vulgata per *deſurſum,* quod *Io. Harduinus* defendit, Patres per *ſuperne*, quod approbavit *Gotbofredus Arnoldus von inwendigen Chriſtenthum Lib. II Cap. 90 § 2 pag. 213;* merito autem refellit Cel. *Oederus ad Catechiſin Racov. pag. 578.*

e) *Tertallianus* in libro *de Baptiſmo* hunc locum haud aliter ac nos expoſuit. *Socinus* modo Spiritum Sanctum, modo obedientiam, intellexit per *aquam*, *Calvinus* in *Antidoto Conc. Trid.* expoſuit aquam de vi Spiritus Sancti emundante *pag. 276.* Tridentini noluerunt, locum *Io. III, 3, 5,* metaphorice exponi, *Seſſ. VII de Baptiſmo Can. 2.* Varias interpretationes cumulavit *Frid. Adolphus Lampe* in Diſſ. *de Generatione ex aqua & ſpiritu,*

ad

mittere debeamus, rationem ego perſpicio nullam. Nonne & *Paulus* ad *Titum* dixit, Deum ex exitio nos liberaſſe per *lavacrum regenerationis*? Nonne idem ad Epheſios ſcripſit, ipſos redditos eſſe puros per *lavacrum aquae* in verbo? De aqua proprie dicta locum illum *Joanneum*, expoſuerunt primae Eccleſiae doctores, adeo, ut in *Conſtitutionibus Apoſtolicis VI*, 15, ubi ille excitatur, pro γεννηθῇ legatur βαπτισθῇ, ne quis dubitet, de aqua baptiſmali ſermonem Chriſto fuiſſe. Addo & illud, regenerationem illam, quae fit interventu aquae externae, non repeti poſſe, niſi baptizatio ipſa ſimul iteretur. At, baptiſmum haud eſſe uni homini denuo impertiendum, dummodo is rite fuerit baptizatus, jam ſupra eſt oſtenſum. Quae cum ita ſint, regenerationem ſtricte dictam iterari non poſſe, arbitramur.

XVI. Demonſtravimus ſimul id, quod oſtenſuri eramus, ex loco *Joannis III*, 5, 7, proprie accepto. Cum vero inveniantur multi literarum ſacrarum interpretes, qui locum illum utrumque de regeneratione, citra ablutionem corporis ac citra baptiſmum ſpectata, exponunt, operae fuerit pre-

ad *Io. III*, 5, quae eſt *quinta Voluminis I Diſſertationum, pag.* 89 *ſeq.* Ipſe §. 17 *pag.* 100 *ſeq.* per aquam deſignari credit meritum & obedientiam Chriſti, Symbolique rationem refert ad aquae ex latere Chriſti effluxum. Obedientiae illius ſymbolum eſſe aquam, comprobari poſſe putat ex *Jeſ. LV*, 1, *Ezech. XXXVI*, 25, *Zach. XIII*, 1, *Ebr. X*, 22, 1 *Io. V*, 6, 8. *Hermannus Witſius* recte *Oecon. III*, 6: „Dubitamus; an obedientia unquam aquae nomi-„ne in Scriptura veniat. Vide *Oederum* ad *Catech. Racov. pag.* 542 *ſeq.*

pretium, unum ex eis audiiſſe differentem, ac ejus ponderaſſe argumenta. *Stephanus* is erit, *de Brais* dictus, Profeſſor Seculo ſuperiori medio Salmurienſis, cujus Opuſcula Cel. *H. Venema* A. 1735, 4. Leovardiæ edidit. Commentatus fuit *Stephanus* ille *de Neceſſitate Baptiſmi*, locumque, quem indicavimus, §. 54 *pag.* 45 *ſeq* metaphorice explanavit. Ipſe, Chriſtum naturam regenerationis explicaſſe *Nicodemo*, uſum vocibus metaphoricis, a baptiſmo proſelytorum decerptis, ſibi perſuaſit. Addidit, cur ita ſentiret, rationes haſce. Baptiſmi noſtri ſacramentum exſtitiſſe tunc *Nicodemo* ignotum, poſuit magis, quam ad liquidum deduxit. Formulam loquendi *ex aqua & ſpiritu* ita expoſuit, ut priori voce exiſtimet alluſum ad proſelytorum baptiſmum, qui aqua, non ſpiritu, fuerit inſignis, poſteriori vero indicetur id, quod potiſſimum regenerationis perficiat momentum. Nimirum proſelytus juſtitiæ, ſuſcepto poſt circumciſionem baptiſmo, *Abrahami* filius & novus ſeu recens natus infans cenſebatur. Verum enim vero non eſt a propria & nativa vocum ſignificatione ſine graviſſima neceſſitate recedendum, nec religio Chriſtiana myſteriis orbanda. Regenerationem enim, in baptiſmo ex aqua & ſpiritu fieri ſolitam, non ex ſolo illo *Joannis* loco, ſed ex tribus prætererea locis *Pauli*, innoteſcere, ſuaque luce coruſcare, conſtat inter omnes. Ætate *Nicodemi* ſacramentum baptiſmi adhuc fuiſſe incognitum, nemo ſibi perſuadebit, qui meminerit, *Joannem* Baptiſtam juſſu Jeſu baptizaſſe homines male actorum pœnitentes ad remiſſionem peccato-

rum

tum conſequendam. Illud Jeſu juſſum, quo baptizatio imperata fuit *Joanni*, fuit omnino prius & antiquius illa Chriſti ad *Nicodemum* habita oratione. *Joannes* imbuit abluitque homines aqua, quotquot pœnitentiam male actorum præ ſe ferebant, & fide in Meſſiam ſeſe ſuſtentabant, citra quam non eſt remiſſioni peccatorum locus; ac, baptiſmi interventu, impertivit eis peccatorum remiſſionem. Nec illis ſuffragari lubet, qui, baptiſmum proſelytorum, credunt, antiquiorem eſſe illa Jeſu ad *Nicodemum* habita oratione. Nam *Nicodemo* omnis illa, regenerationem reſpiciens, doctrina erat ignota; ſive regenerationem Judaicam, pro proſelytis excogitatam, ſive genuinum Chriſtianorum de regeneratione dogma, ſpectes, & cogitationi objicias. Et cur, obſecro, Synedrium maximum ad *Joannem* Baptiſtam, baptizandis hominibus operam inſumere aggredientem, legatos miſiſſet, quæſituros, quis ipſum facultate & mandato baptizandi, ni ipſe foret Meſſias vel Propheta ille magnus, inſtruxiſſet atque præmuniviſſet, ſi jam tum baptiſmus proſelytorum fuiſſet res admodum nota & comperta? Quæ Judæi & Philoſophi ætatis ſubſecutæ de generatione hominis ſpirituali diſſeruerunt, ea utrique ex fontibus doctrinæ Chriſti & Apoſtolorum decerpſiſſe, & nata occaſione in ſcripta ſua videntur tranſtuliſſe. Eſt ſane illa B. *Guſtavi Georg. Zeltneri* ſententia perquam probabilis, dictitantis, Judæos ex ſtudio imitandi *Joannem* effinxiſſe ſibi illum ritum baptiſmi proſelytorum. Imitationis illud ſtudium ex ritibus elucet conſimilibus. Judæi,

ti, ut diſcipulos Jeſu imitarentur, ejiciebant
emonas, nomine Jeſu exorciſmis adjuncto. Ju-
ei imitabantur morborum curationes, ut ipſi vi-
erentur quoque vi miraculorum edendorum in-
ructi eſſe. Judæi affectabant varias alias perfe-
iones, quæ erant ſigilla & characteres Meſſiæ,
jusque diſcipulorum. *Joſephus* certe *Gerioni-
es* f) *Joanni* Baptiſtæ originem baptiſmi, inter
udæos inducti, attribuit, nec Græcus diſcordat
*Flavius* g) *Joſephus*, dummodo locus in hoc ſit
plane genuinus.

XVII. Rationi humanæ, ſibi relictæ, æqua-
lem id videtur & mirandum & ſingulare, nos per
ablutionem vel adſperſionem, quæ fieri ſolet aquæ
interventu, regenerari. Haud abſimili ratione
*Naeman* Syrus ſibi perſuadere haud poterat, ſeſe
ex aquæ Jordanis contactu ac ablutione inde in-
ſtituta liberari poſſe a lepra, corporis morbo. At
Deus vires rerum augere, inſtitutis certis vim ſin-
gularem indere, & effectum cauſis naturalibus
ampliorem producere, poteſt. Sic ipſe panem
inſtruxit viribus, eſuriem hominum ſatiandi. Ni
in dies vires panis ſentiremus, percelleremur ſa-
ne tanta vi ſupremi Numinis, quam hoc voluit
alimento panis inſertam. Baptiſmus eſt lavacrum,
non aquæ nudæ, ſed aquæ cum verbo Dei con-
junctæ, *Eph. V, 26.* Baptiſmus non conſtat aqua
ſolitaria, ſed eſt ſimul lavacrum Spiritus San-
cti, qui, niſi præfracte ei reſiſtat baptizandus,
hominem reddit participem & hæredem pro-
miſſionum

f) *V, 45, pag. 534.*
g) *Ant. Jud. XVIII, 5, §. 2, pag. 883.*

miſſionum divinarum, *Tit. III, 5, 6, 7.* *Joannes Calvinus* ne quidem ſuſtinuit hoc in dubitationem revocare. Ipſe enim in *Antidoto ad Acta Synodi Tridentinæ pag. 278* ſic docuit: *Nobis quid hodie baptiſmus? Tametſi chirographum eſt mutuæ inter nos & Deum obligationis; hoc tamen habet præcipuum, ut de gratuita peccatorum remiſſione, perpetuaque adoptionis gratia, nos certiores reddat.* Illi, qui in ſolo hærent aquæ elemento externo, nec vim Spiritus Sancti in ſeſe ſentiunt, nec illam anxie concupiſcunt, fructu baptiſmi carent, nec in ſtatu regenerationis verſantur. Ii enim, qui ſunt regenerati, ac in ſtatum regenerationis collocati, ad imaginem Dei reparati ſunt, vivaque ſpe, per reſurrectionem Jeſu Chriſti a mortuis, præditi, quæ proſpectat & comprehendit incorruptam, intaminatam, nec marceſcentem, coronam, beatis in cœlo reſervatam, *1 Petr. I, 3, 4.* Regeneratio eſt παλιγγενεσία. Hæc denotat ſtatus prioris immutationem. Externam mundi innovationem Stoici appellabant παλιγγενεσίαν. h) *Cicero* vocavit reparationem honoris ſui παλιγγενεσίαν i). En verba: *Amicorum literæ me ad triumphum vocant. Rem a nobis, ut ego arbitror, propter hanc παλιγγενεσίαν noſtram non negligendam.* Locum illuſtravit *M. Chriſtianus Samuel Forbiger* in *Diſſert. Lipſiæ A. 1741* edita, & inſcripta: *Parallelismus Ciceronem inter & Matthæum de* παλιγ-

h) *Marcus Antoninus* τῶν εἰς ἑαυτὸν *Lib. XI pag. 326 ſeq. ed. Lipſ. 1729, 8, Ariſtocles* apud *Euſebium Præp. Evang. Lib. XV.*

i) *Epiſt. ad Atticum Lib. VI Ep. 6.*

παλιγγενεσίας ad *Matth. XIX, 28.* k) *Paulo* res eſt cum interna animi ad imaginem Dei reparatione, quam cum baptiſmo conjunxit, ut intelligamus, baptiſmum ex ſcopo Dei eſſe adminiculum reparandi honoris, per *Adami* labem ad poſteros tranſmiſſum deperditi. Noſtrum non eſt, adminiculo regenerationis, baptiſmo, detrahere, vel ad illud imminuendum operam conferre noſtram. Is enim, qui baptiſmum inſtituit, regnum tenet immutabile, ac ipſe utrumque ſacramentum, & initiationis & confirmationis Chriſtianæ, ad adventum ſuum adſpectabilem & extremum usque voluit perſiſtere ac perdurare, *Matth. XXVIII, 19, 20, 1 Cor. XI, 26.*

XVIII. Adjungo id etiam, regenerationem, hoc ſenſu & pro actu initiationis gratiæ acceptam, in homine uno iterandam haud eſſe, dummodo baptiſmus ipſe ad juſſum & præſcriptum Chriſti, *εἰς ὄνομα τοῦ Χριστοῦ*, l) fuerit adminiſtratus in nomine Dei triunius, & aquæ interventu. *Thomas Aquinas* m) exiſtimavit, Apoſtolos nonnunquam baptizaſſe in nomine ſolius Chriſti ex peculiari Servatoris diſpenſatione. Sed hæc ſententia nemini fere ſe commendavit, excepto *Joſepho Auguſtino Orſo*, Ordinis Prædicatorum Monacho, qui A. 1733, 4, Mediolani edidit *Diſſertationem de Baptiſmo in nomine Jeſu Chriſti.* n) Videtur tamen *Nicolaus I* Papa idem ſenſiſſe,

quem

k) *Gelehrte Leipziger Zeitungen A. 1741 pag. 919 ſeq.*
l) Sic expono loca *Act. II, 38, VIII, 12, 16, 18, 19.*
m) *III P. Quæſt. 66 Art. 6.*
n) *Journal des Sçavans 1734 Octobr. pag. 254 ſeq.*

quem excuſavit *Lucius*, Ordini Prædicatorum adſcriptus, & S. Theol. Magiſter, in *Privilegiis Romani Pontificis, adverſus noviſſimos oſores vindicatis, Diſſ. I §. 17 pag. 113 ſeq.*, qui *Orſum* refellit, ejusque ſuffragatorem, *Canalem*, confutavit, *Aquinati Thomæ* aſſentientem in *Opere de Septem Sacramentis*, A. 1734 Venetiis in forma maxima edito, *Lib. I Diſp. 2 pag. 14.* *Fauſtus Socinus* ſibi perſuaſit, præceptum illud *Petri Act. II, 38: Baptizator quisque in nomine Jeſu Chriſti ad remiſſionem peccatorum*, eſſe nec univerſale, nec perpetuum, infantesque Chriſtianorum baptiſmo haud indigere, nec in eo aliquid gratiæ obtineri. Reclamavit novator iſte & doctrinæ Jeſu & primorum Chriſtianorum, meritoque caſtigatus eſt ab *Oedero*. o) Initiandus omnino eſt, quisquis religioni Chriſtianæ dat nomen, baptiſmo regenerationis, eo quod eſt ipſe *caro*, id eſt, labe inſita contactus, & pollutus, & in ea natus. Aliter pronuntiandum eſt de iis; qui baptiſmo citra culpam ſuam carent, & quos miſericordiæ Dei, ut alia ratione ex eis reatum & pœnam peccati inſiti tollat, commendamus. Qui vero ſemel legitime ſunt baptizati, eos rebaptizari, nefas eſt. Infans enim ſemel generatur, naſciturque ſemel. Semel itaque duntaxat per baptiſmum eſt regenerandus. Si quis in lucem fuerit ſuſceptus, ac deinde moriatur, vitamque denuo recipiat, is non dicitur vel iterum generatus, vel rurſum natus eſſe. Reſuſcitatum eſſe illum a mortuis, ac in vitam revocatum, perhibent

o) In *Animadverſionibus ad Catecheſin Racovienſem pag. 544.*

hibent omnes. Sic etiam is, qui modo ſpirituali generatus, ſeu regeneratus, fuit, ſi poſthæc e ſtatu gratiæ exciderit, ex ſtilo ſacri Codicis haud dicitur denuo regenerari, ſed *redire, reverti*que ad Deum, *converti, revocari in vitam* ſpiritualem, *reſurgere* e mortuis, *evigilare e ſomno*, immo *mentem immutare*, ſeu *μετανοεῖν*. Sin vero regenerationem non pro actu duntaxat, quo fides & vita divina in animis hominum incenditur primum beneficio baptiſmi, ſed etiam pro ipſo ſtatu gratiæ, ejusque qualicunque initio & reſtitutione, accipere malis, tecum in certamen deſcendere, non eſt animus. Significatus enim licet prior ſit verbis diviniorum literarum conformis, poſterior tamen eſt eccleſiaſticus tritiſſimusque. Regeneratio itaque, ſenſu priori accepta, non poteſt iterari; poſteriori autem ſignificatu adhibito, ea poteſt omnino iterari.

XIX. Noſtrum eſt, conſcientiam crebro noſtram excutere ac explorare, ne unquam incerti ſimus de ſtatu regenerationis noſtræ, & ut quamprimum, ſimul ac eo excidimus ob peccatorum ſtudium, ad eundem redeamus. Plerique mortalium hic ſunt ſecuriores, quam par eſt. Nulla certe quæſtio eſt & ſalubrior, & magis neceſſaria, & ponderoſior illa, qua nosmet alios que exploramus & interrogamus, an verſemur in ſtatu regenerationis, in fœdere baptiſmali, in cuſtodia conſcientiæ integræ, in adoptionis lætiſſima conditione. Quæſtio hæc in complures alias poteſt dividi. Quæri enim poteſt: an ſimus in baptiſmo, quem adulti ſuſcepimus, regenerati; an a fœdere

dere baptiſmali diſceſſerimus, ac mortem contraxerimus ſpiritualem; an in ſtatu regenerationis adhuc perſiſtamus; quandonam vitam inchoaverimus ſpiritualem; numquid in eo ſtatu ad finem vitæ ſimus perſtituri. Infantes, rite baptizati, ſiquidem ipſi haud impediunt operationes Spiritus Sancti, regenerati ſunt omnino. Ad adultorum baptizationem, licet ipſa rite peragatur, ſides, verbo Dei, in literas relato, ſuperſtructa, accedat, neceſſe eſt, pœnitentiam male actorum præmittens, viva, & actuoſa, licet ea confirmetur in ipſo baptiſmo. Sin vero, qui baptizatur, vim Spiritus Sancti haud ſuſcipit, ejusque reſpuit dona, tunc quidem ipſe baptizatur, at, ob effectum gratiæ divinæ ſuſpenſum, necdum cum ipſo communicatum, nondum regeneratur. Quamprimum vero ipſe gratiæ Dei & energiæ Spiritus Sancti obtemperat, promiſſiones, quas Deus cum baptiſmo copulavit, & ipſi effectus gratiæ eo usque ſuſpenſi, vim ſuam in illum emittunt. Hominem poſſe Spiritui Sancto, ejusque ordinariæ energiæ, impedimentum ponere & reluctari, eis largiendum & exiſtimandum eſt, qui ſacras literas attento legerunt animo. Quis enim arbitrabitur, exempla eorum, qui Spiritui Sancto reluctati leguntur, eſſe prorſus efficta? Quærendum eſt inprimis, an ceciderimus, an exciderimus ſtatu gratiæ, an vitam divinam & ſpiritualem amiſerimus. Qui enim ſtant, cadere poſſunt, p) & ad vomitum reverti. Exſtant exempla eorum, qui deliberato ſtudio pecca-

p) *1 Petr. II, 8, 2 Petr. II, 1, 2, 20, 21, 22, 2 Tim. IV, 10, Ebr. VI, 4, 5, 6, X, 26.*

peccarunt, ac gratia Dei exciderunt. Id nondum tutum, id minus ſtabile eſt, ſi tibi perſuadeas, te ante ſemeſtre ſteriſſe in via pacis, gratiamque Dei guſtaſſe, ideoque te hodie in eodem adhuc eſſe ſtatu. Vigilandum eſt, ne ſtatus conſcientiæ reddatur incertus vel incompertus. Invigilandum eſt legi divinæ, per Evangelii œconomiam ſaluberrimam uſibus noſtris attemperatæ. Lex enim nos deducit ad Chriſtum, miſeros quippe & infirmos. Doctrina Chriſtiana juſtificatos remittit ad ſtudium vitæ novæ, & ad præcepta, quæ amorem erga Deum, nosmet, & alium quemvis, inculcant effectui dandum. Qui doctrinam Chriſti, ejusque vitam ſanctiſſimam & imitationem, negligit, is patrem cœleſtem haud habet propitium, nec Spiritus Sancti gratia fruitur inhabitante, *1 Jo. II, 3, 5, 6, 23, III, 23, 24.* De eo oportet nos eſſe certos, utrum ſtemus, an fuerimus lapſi e gratia Dei. Qui de hoc momento ſtatus ſui ſunt incerti, ii vel in dies vivunt, vel ſecum ipſi conflictantur, angoribus conſcientiæ dubiæ implicati. Si qui vero ita ſunt animati, ut exiſtiment, neminem in hac vita de ſtatu regenerationis ſuæ, ac de gratia Servatoris, certum eſſe poſſe, ii nondum guſtarunt benignitatem Dei, fructusque promiſſionum divinarum haud experti fuerunt. Anne ille, qui regeneratus eſt, vitamque ſpiritualem degit, vitæ illius actuoſæ, ſpiritusque cœleſtia ſpirantis, continuo eſt expers? Quem in finem vivimus, obſecro, ſi ſemper, nos vivere, ignoramus? Nonne novitas mentis, reparatio imaginis Dei, & reſtitutio ſtatus, Deo placentis, cum conſcientia ſui

eſt conjuncta? Judæi hanc παλιγγενεσίαν, hunc novum novique hominis ſtatum, detorſerunt tandem ad externam mundi adſpectabilis renovationem, eamque, paucis ipſorum exceptis, in rebus corpori gratis collocatam eſſe exiſtimarunt. Vocant ipſi eam חידוש העולם, *innovationem hujus œconomiæ*, quam videntur ſuſcepiſſe ex Philoſophia Platonica, atque fato Ægyptiorum & Babyloniorum aſtronomico. Dantur Chriſtiani, qui eadem ratione excellentiam & pulchritudinem eccleſiæ in ſplendore & potentatu antiſtitum ſacrorum externo ponunt, ignorantes, præſtantiam corporis myſtici, cujus caput eſt Chriſtus, conſiſtere in intima membrorum conformitate cum capite per ſtatum regenerationis, Deumque Judaicos cœtus repudiaſſe, eo quod Judæi æque regnum Meſſiæ externum, idque ſceptri mundani particeps, citra mentium emendationem exſpectabant, fide, amore, & juſtitia, neglectis. Sunt, qui regenerationis ſtatum a legis divinæ uſu ſeparant, & in ſenſu continuo gratiæ divinæ, affectibus lætitiæ pleno, & ſenſionibus corporeis fœcundo, collocatum eſſe putant. Hos quoque, certum eſt, ultra terminos ſtatus regenerationis evagari. Confer Cel. ac Maxime Reverendi *Sigismundi Jacobi Baumgarteni Theologiſche Bedencken, erſte Sammlung, pag. 156 ſeq.* Sufficit enim Chriſtiano, ſeſe certum eſſe 1) de miſericordia Dei gratuita; 2) de ſtatu regenerationis ac imaginis Dei in ipſo renovatæ; 3) de adjumento & gratia Spiritus Sancti inhabitante; 4) de remiſſione peccatorum, & juſtificatione coram Deo; 4) ac de

ſpe

ſpe hæreditatis vitæ æternæ; 5) luctaque ſpiritus aſſidua adverſus carnem, & ſanctitatis inter ſerias preces ſtudio. Hæ notæ regenerati hominis profluunt & colliguntur ex pronuntiato *Paulino*. Qui in hoc ſtatu in dies perſeverant & proficiunt, ii ſunt certi de vita æterna, immo eam habent in ſeſe manentem ſpe immota. Qui notis illis vacant, ii vel ſunt ἄπιστοι, vel de ſtatu regenerationis dejecti.

XX. Propria hominis regenerati recenſuerunt *Joannes Wigandus* & *Matthæus Judex* in *Syntagmate ſeu Corpore doctrinæ Chriſti ex N. T.* Baſileæ A. 1575, 4, edito, *pag. 550 ſeq.* Ven. *Silveſter Tappen* in *Glaubensprobe*, aliique. Indicia regenitorum luculentius tradi poſſunt hæc:

1) Regenitus ac pius ſeſe oblectat verbo divino, in literas relato, & id meditatur ſalubriter, ut retineat formam ſanorum verborum, ac doctrinæ Apoſtolicæ, *Joſ. I, 8, Pſ. I, 2, XIX, 8, 9, 10, 11, CXIX, 72, 105, Jo. XII, 48, Act. XVII, 11, 2 Tim. III, 14 ſeq., Tit. I, 9, 1 Tim. VI, 3, IV, 13, 2 Tim. I, 13*, immo illi congruenter vivere ſtudet. Conf. B. *Joannis Jacobi Rambachii* Meletema in *Heſſiſchen Hebopfer Part. I Art. 1.*

2) Regenitus delectatur deſiderio beneficiorum Dei, & precibus, ad Deum directis, quibus amicitiam, cum Deo initam, continuo confirmat, & carnem ſubigit reluctantem, fide viva inſtructus, *Pſ. XLII.*

3) Regenitus morem gerit magiſtratibus, licet perverſis, dummodo ii haud contendant, ut ipſe Deo ejusque juſſis refragetur, *Rom. XIII*, *1-7*, *1 Petr. II*, *13*, *14*, *18*, *Act. V*, *29*. Nec tamen tribunal ſuperius, ſi opus, negligit, *Act. XXV*, *12*.

4) Regenitus peccatum haud admittit ſciens & prudens, *1 Jo. III*, *9*, licet doleat, peccatum, inconſulto & ex imbecillitate fieri ſolitum, a ſeſe haud eſſe alienum, *1 Jo. I*, *10*, *II*, *1*, quod tamen non approbat, ſed potius precibus ſeriis & lucta ſpiritus eradicare ſtudet, *Rom. VI*, *12*, *13*.

5) Regenitus ex animo fratrem ſuum & alium quemvis diligit, *1 Jo. III*, *10*, ac pro inimico etiam Deum orat, eique fauſta quævis apprecatur, *Matth. V*, *44*, *Act. VII*, *59*, *Luc. XXIII*, *34*, *2 Sam. I*, *23*, *1 Tim. II*, *1*, *2*, *3*, *4*, *1 Petr. II*, *15*, licet peccata, ab eo commiſſa, haud approbet, ſed ab eis abhorreat, *2 Cor. VI*, *14*, *15*, *16*, *17*.

6) Regenitus ex animo Deum diligit, eumque cognoſcit notitia affectus, *1 Jo. IV*, *7*, *V*, *1*, *2*, ideoque Jeſum veneratur, *2 Jo. verſ. 9*, & Spiritum Sanctum, omnis ſanctitatis auctorem, *1 Cor. XII*, *3*,

7) Regenitus non ſtudet legem violare vel negligere moralem, ſed præcepta Dei ſtudioſe obſervat, *1 Jo. V*, *2*, *18*, *1 Tim. I*, *8*, *Rom. VII*, *12*.

8) Regenitus occaſiones peccandi ob pietatem ſollicite devitat, ac fide viva illecebras peccati vincit, eisque reſiſtit, *1 Jo. V*, *4*.

9) Re-

9) Regenitus, quippe qui diſpoſitioni fœderis, a Chriſto ſanciti, ſeſe conformat, baptiſmum & ſacram cœnam haud deſpicit, ſed utrumque ſigillum doctrinæ Chriſtianæ ex inſtituto Chriſti inviolatum conſervat, usque dum Chriſtus ad judicium univerſale acceſſerit, *Matth. XXVIII, 19, 20, Ebr. XII, 27, 28, 1 Cor. XI, 26.*

10) Regenitus perpetuo memor eſt ſtipulationis, in baptiſmo ſuo cum Deo conciliatæ, ut fidem ſinceram, & integram conſcientiam, conſervet, *1 Petr. III, 21, 1 Tim. I, 5.*

Sufficit hæc regenitis ſtatus ſui præſentia, & in angoribus conſcientiæ ipſos ſolatur deſiderium, continenter ad gratiam Dei per fugam peccati & Chriſti promerita anhelans. Non enim omnes norunt articulum temporis definire, quo in hunc ſtatum progreſſi fuerunt. Satius eſt, in eo ſtare & manere, quam de initio ejus anxie quærere. Dantur enim renati homines, qui, ex quo baptizati ſunt, conſtanter Deo inhæſerunt. Dantur alii, in quibus fructus fidei ſenſim, & quaſi ſine ſenſu, accreſcunt, quique norunt, ſe eſſe renatos, licet ipſi ignorent, quo temporis puncto inter regenitos fuerint relati.

# IV.

# I. B.

# NOTITIA
## LIBRI LONGE RARISSIMI, PAUCISSIMISQUE VISI,
## PHILIPPI MELANCHTHONIS HYPOTYPOSEON,
## ITALICO SERMONE EDITARUM.

### I.

Notitiam libri tibi exhibemus, Lector bibliophile, quo vix rariorem & notatu digniorem exſtare, omnes, quæ alias libri raritatem evincunt, circumſtantiæ loquuntur. Nam ita rarus, ita paucis viſus eſt, ut viri in his literis ſummi, & in rarioribus libellis inveſtigandis longe feliciſſimi, eum inter fictitios libros, & ex errore tantum vel fabula quadam enatos, retulerint. a) Adhæc, ipſæ textus originalis editiones cum

a) Teſtes hic volumus duumviros, in Hiſtoria literaria magnum nomen adeptos, & ſingulari in libris raris perquirendis felicitate gaviſos, plurimum Reverendos Viros, *Io. Georgium Schelhornium*, amicum noſtrum per multos annos longe jucundiſſimum, & *Io. Vogtium.* Quorum ille in amœniſſimis *Amœnitatibus literariis Tom. VII pag. 109*, ſermone de hoc libro inſtituto, ſcribit: *Neminem novi, qui, eum librum, iſtud nominis in fronte gerentem, ſe unquam vidiſſe, profeſſus fuerit.* Hic vero in *Catalogo librorum rariorum*, nuper inſigniter *aucto, pag. 383*, relata quoque *Scaligeri* relatione, de qua poſtea, eadem prorſus repetit, & *Schelhornianam* ſententiam confirmat. Cui non leve

cum per ſe raræ ſint, immo rariſſimæ, b) hæc longe rarior verſio ſe eo magis raritate ſua commendat. Habet Auctorem virum in eccleſiæ hiſtoria longe celeberrimum, & de ejus reformatione & puriorum



leve pondus accedit, quod non tantum omnes, quotquot hujus libelli mentionem faciunt, uno *Scaligeri* ore loquantur, adeoque eum ipſi non viderint, ſed & ipſe *Scaliger* non ex inſpectione, ſed relatione amici, eum noverit. Primus, & quidem hactenus unicus, qui librum videndi, &, quod re vera exſtet, indicandi, occaſionem habuit, eſt B. *Chriſt. Aug. Saligius*, qui ejus ex celeberrima Bibliotheca Sereniſſimi Principis Guelpherbytani deſumti indicium fecit in optimæ frugis plena *Hiſtoria Aug. Confeſſ. P. III pag.* 532 in *annotat.*

b) *Hypotypoſeon*, ſeu *Locorum communium*, *Philippi Melanchthonis* primas editiones, quæ ſcilicet ab anno 1521 ad 1533 prodierunt, ubi totam earum faciem *Philippus* mutavit, eſſe rariſſimas, ignotum illis eſſe nequit, qui Reformationis hiſtoriam literariam didicerunt. Nam & pauca initio deſcribebantur exemplaria, & in tantis animorum de religionis negotio motibus avide coemebantur & diſtrahebantur, unde ſingulis fere annis editionem repetere neceſſe habuit *Melanchthon*. Omnium tamen rariſſima eſt editio prima, A. 1521, 8, Vitebergæ edita, niſi A. 1520 primæ ejus lineæ publici juris factæ ſint, quod Præfatio nobis ſatis luculenter innuere videtur; (conf. *Præfationem, editioni, Tomo I Operum pag.* 147 inſertæ, præfixam,) etſi certum quoque eſt, A. 1521 demum iſtas *Hypotypoſes* perfecta forma lucem vidiſſe, unde corrigendus eſt *Seckendorfius*, qui in *Hiſt. Luth. Suppl. ad Ind. primum §.* 48 annum 1520 ponit. Illam enim editionem ſuo tempore diſparuiſſe, conqueritur *Leonhardus Hutterus* in *Locis theol. fol.* 9; unde meri-

riorum ſacrorum reſtitutione poſt *Lutherum* omnium meritiſſimum, immo & bonarum artium cum Evangelica doctrina inſtauratorem feliciſſimum, cujus libros primæ editionis inter rariſſimos referri, quod ſint αὐτόγραφοι, id eſt, vivis tantis Auctoribus editi, harum literarum peritis ſatis notum eſt. Libri porro exhibemus notitiam, in ipſo veritatis cœleſtis, in Italia quoque orientis, diluculo, veriſimili ratione in celeberrimo quodam & rarorum librorum parente typographeo excu-

merito gratiæ agendæ ſunt Ven. *Herm. von der Hardt*, quod, laudabiliſſimo inſtituto, libellum ad cognoſcendam primam eccleſiæ reformari & emendari cœptæ faciem utiliſſimum *Hiſtoriæ Reformationis literariæ P. IV Art. 6 pag. 28 ſeq* inſeruerit. Conf. *Ejusd. Autographa Lutheri Tom. I pag. 12, Altes und Neues 1728 pag. 194,* Rev. *Vogtii Catal. libr. rar. pag. 382*, & alii. Nos non iſtam quidem primam Vitebergenſium editionem, cujus tamen duplex in Bibliotheca Guelpherbytana occurrit exemplar, vidimus; præſentem tamen intuemur ejusdem anni 1521 editionem Baſileenſem, & anni 1522 Argentoratenſem, utramque cum Vitebergenſi exacte convenientem, itemque verſionem Germanicam, ea, quam *Juſtum Jonam* concinnaſſe, & A. 1536 ad Electorem, hunc ad *Lutherum*, revidendam detuliſſe, refert Illuſtr. *Seckendorfius Hiſt. Luth. Lib. III* §. 50 *pag. 142*, multo antiquiorem, editam A. 1522, 4, hoc titulo: *Der Haupt-Artickel und fürnemſten Puncten der ganzen hayligen Schrifft, durch Magiſter Philipp Melanchthon Lateiniſch gemacht, und folgent verteutſcht, ayn wunderguts Biechlin von allen Stenden der gantzen Chriſtenhayt dienlich.* Cujus verſionis Auctor, niſi fallimur, *Georgius Spalatinus* eſt. Quia

excuſi; & teſtis veritatis, caput extollentis inter mediam aulæ Romanæ contra Evangelium tyrannidem. Librum tibi deſcribimus, & in ſe paucæ molis, & exemplarium prima mox diſtractione rarum factum, imo, quod raritatem ejus ad ſummum faſtigium evexit, ultricibus flammis ita deletum, ut vix duo exemplaria conſervaverit Germania. Quis non, tot librorum rarorum criteriis in unum conſpirantibus, libellum hunc albis corvis rariorem eſſe, fatebitur? Cum vero non communi librorum rariorum conditione prematur, qui plerumque, quo rariores ſunt, eo pejores eſſe deprehenduntur, ſed inter libros optimos, & qui ad ſanctiſſimarum doctrinarum puritatem reſtituendam plurimum inter noſtros, imo

Quia vero *Philippus* in ſingulis fere editionibus quædam mutavit, id quod in plerisque libris ſuis feciſſe eum, opportune notavit Ven. *Krafftius* in *Emendandis & corrigendis ad Hiſt. Verſion. Germ. Bibliorum Lutheri, a Io. Fr. Mayero conſcriptam, pag.* 30; hinc egregiam ſymbolam ſacræ hiſtoriæ Reformationis adjiceret, qui, conquiſitis editionibus iſtis usque ad annum 1533, quo libri faciem mutavit *Philippus*, & collatis inter ſe, mutationum indicia daret, &, qua ratione in poſterioribus *Locorum communium* editionibus ab iis ſeceſſerit, exponeret, ſimulque totam celeberrimi operis hiſtoriam explicaret. Etſi enim id facere contendit *Georgius Frid. Stiberus* in *Hiſtoria Theologiæ Dogmaticæ, Lutheri & Melanchthonis, Lipſiæ A.* 1712, 8, edita, & quædam etiam erudite poſt Cel. *Hardtium loc. cit.* monuerit B. *Jo. Franc. Buddeus* in *Iſagoge in Hiſt. Theol. liter. P. I pag.* 383 *ſeq.*; ea tamen non impediunt, quo minus accuratam & argumento ſuo aptam hiſtoriam hujus celeberrimi libri avide optemus.

imo etiam inter adverſarios, contulére, primo loco referatur; non ingratum fore Lectori bibliophilo putamus, ſi, quæ de eo ſciri poſſunt, omnique adhibita a nobis induſtria exquiri, cum eo communicemus,

II. Titulus vero libelli, quem non præſentem tantum intuemur, ſed & proprium aliqua literaria felicitate poſſidemus, hic eſt: *I principii della Theologia, di* Ippofilo da Terra negra. *Con gratia & privilegio.* Neque vero locos impreſſionis, neque typographi nomen, vel etiam annus editionis, additus eſt, conſtatque paginis, vel foliis potius, (averſa enim paginæ pars numero non ſignata eſt,) octoginta ſeptem; eſt quoque omiſſa Præfatio ad *Tilemannum Pletenerum*, quem Stolbergæ ad Hercyniam Paſtorem fuiſſe, ex Dedicatione verſionis vernaculæ patet.

III. Manſiſſet vero in obſcuro, & erepta non manibus tantum & oculis, ſed & memoriæ hominum ſubducta, fuiſſet hæc *Hypotypoſeon Melanchthonianarum Italica verſio*, niſi fata libelli inter Germanos ignoti nobis enarraviſſet *Joſephus Juſtus Scaliger*, ex cujus ore *dictorum ejus fortuitorum* collectores ſequentia notaverunt, quæ, licet ſæpius ab aliis adducta, hic tamen neceſſario repetenda ſunt, quia nobis libelli hiſtoriam & fata, & ſimul cauſam inſignis raritatis, enarrant. Ita vero dicto loco, Articulo *Rota:* c) *Parlamentum Papæ vocatur Rota. Hujus erat Conſiliarius, qui nunc eſt Cardinalis, vir bonus, Monſignor Seraphino, qui dixit mihi: nos habuimus hodie litem jocoſam; impreſſi*

c) *Scaligerana ſecunda pag. m.* 207.

*preſſi erant Loci communes Philippi Melanchthonis Venetiis cum hoc titulo: per Meſſer Philippo di Terra nera.* d) *Et illi Loci communes miſſi Romam per annum integrum emebantur, & legebantur cum magno applauſu, & jam non amplius reperiebantur, ita, ut oportuerit iterum petere Venetiis. Tandem Franciſcanus quidam agnovit librum, & dixit, ſe habere, eosdem Locos Lutheranos eſſe Melanchthonis. Volebant mulctare typographum, qui non legerat fortaſſe. Ipſi eſt remiſſum, & exemplaria combuſta & ſuppreſſa. Ita ſpectatur, non quid, ſed quis, dicat.* Ex hac *Scaligeri* relatione omne illud dimanavit, quod apud viros doctos de eadem relegimus, quorum nemo libellum ipſum vidit, ſed ad *Scaligeri* fidem quilibet narrationem retulit. Videndi *Wagenſeilius*, e) *Morhofius*, f) *G. Fr. Heupelius*, g) *Vincentius Placcius*, h) *Iac. Fr. Reimmannus*, i) *I. G. Schelhornius*, k) *Io. Vogtius*, l) *Io. Chr. Wendlerus*, m) *G. F. Stieberus*, n) *Io.*

d) *Scaligerum* librum ipſum non vidiſſe, vel ex ſolo, minus accurate relato, titulo patet. Non enim *Philippo*, ſed *Ippofilo*, & Guelpherbytanum & meum exemplar habent.

e) in *Telis igneis Satanæ pag.* 18.

f) in *Polyhiſtore Tom. III Lib. IV* §. 17 *pag.* 539.

g) in *Sylloge Amœnitatum hiſtorico-criticarum n. IX.*

h) in *Theatro Pſeudonymorum pag.* 58.

i) in *Introd. in Hiſt. liter. Sect. III Lib. IV pag.* 122.

k) in *Amœnit. litter. Tom. VII pag.* 109.

l) in *Catalogo librorum rariorum pag.* 323 *ſeq.*

m) in *Diſſert. de Meritis quorundam Theologorum Eccl. Ev.* §. 4 *pag.* 84.

n) in *Hiſtoria Theol. dogm. Lutheri & Melanchth.* §. 23 *pag.* 156.

*Io. Franc. Buddeus*; o) ex Gallis *Colomeſius*, p) *Dupinius*, q) *Teiſſierius*, r) *Bailletus*. s) Omnes enim titulum minus recte referunt. t)

IV. Nos non quidem certiora multa promittere curioſo Lectori poſſumus; faciamus tamen periculum, quousque conjecturis, ſua probabilitate non deſtitutis, hiſtoriam libelli, quoniam eo præſente utimur, aſſequi liceat. Et, quod primo quidem ad Auctorem attinet, fictitio illo nomine *Philippum Melanchthonem* denotari, & *Scaliger* retulit, & ipſa celeberrimi Theologi nominis ſignificatio prodit. Ut vero larvatus incederet, nulla alia cauſa fuiſſe videtur, quam ut nomen Auctoris, atro carbone jamjam in aula Pontificis notatum, u) tutius lateret, liberque eo ſecurius legeretur.

o) in *Iſagoge in Hiſtor. Theol. liter. P. I pag.* 385.

p) *Remarques ſur les Scaligerana pag.* 263.

q) *Bibliotheque des Auteurs ſeparez de la communion de l'Egliſe Romaine Tom. I pag.* 88.

r) *Eloges de Mr. Thou & Teiſſier Tom. II pag.* 29.

s) *Jugemens des Savans Tom. V P. II des Auteurs deguiſez pag.* 462.

t) Ab his enim omnibus Auctor ex ore *Scaligeri* vocatur *Filippò*, qui tamen in ipſius libri fronte *Ippofilo* vocatur, id quod primus notavit, qui librum vidit, Cl. *Saligius loc. cit.*

u) Vix ediderat contra *Thomam Radinum*, *Lutherum* A. 1520 Romæ publica Oratione allatrantem, *Melanchthon*, fictitio *Didymi Faventini* nomine uſus, *Orationem pro Luthero*, quæ *T. II Opp. pag.* 38 exſtat, cum *Ioannes Cochlæus* anno ſequente *Confutationem abbreviatam adverſus Didymum Faventinum Philippi Melanchthonis* conſcriberet, quæ tamen demum *Lipſiæ A.* 1534 edita eſt, in qua recens ela-

geretur. Nec dubitamus hoc artificium cum *Bailleto* x) imputare amicis *Melanchthonis*, vel potius veritatis Evangelicæ aſſertoribus clandeſtinis, y) quos & ſimili inſtituto *Lutheri* & *Buceri* libros

elapſas prelum *Hypotypoſes Melanchthonis* ita ſuis commendat, ut canina rabie in eas detonet, & ad rogum poſtulet. *Vidi heri*, ait, *quos jam edidiſti, Locos communes, ſeu Hypotypoſes theologicas, novum plane Alchoranum. Qui tanto pernicioſior erit Babylone Lutheri, ſi non ſtatim deleatur de terra viventium, quanto eſt tibi, quam illi, & ſtilus ſuavior, & ingenium nobilius.* Sed & reliqua legenda ſunt, quæ excerpſit ex libello rariori Cl. *Schelhornii* diligentia *Amœn. liter. Tom. VII pag. 106*, in quibus optat, ut mox Vulcano libellum tradere poſſet. Talibus ſyſtaticis commendatas Hypotypoſes *Melanchthonis*, *Radino* Romano in furias a *Melanchthone* acto, quis, aperto Auctoris nomine, in Italiam deportare fuiſſet auſus? Aliud ſpecimen odii Pontificii in hos Locos communes ſunt *Alphonſi Hiſpani Inveſtivæ Philippicæ*.

x) *loc. cit.*

y) Inter hos, præter Auguſtanos *Lutheri* & *Melanchthonis* amicos, (in qua urbe amplum ſemper cum Italis fuit commercium, & multa converſatio,) meretur inprimis notari *Calvus*, Bibliopola Papienſis, de quo *Jo. Frobenius* in *Epiſtola ad B. Lutherum*, quam legimus apud *Stiberum loc. cit. pag. 79 ſeq.*, ita: *Calvus quoque, bibliopola Papienſis, vir eruditiſſimus & Muſis ſacer, bonam libellorum* (Lutheri) *partem in Italiam deportavit, per omnes civitates ſparſurus. Neque enim tam ſectatur lucrum, quam capit renaſcenti pietati ſuppetias ferre, &, quatenus poteſt, prodeſſe.*

bros perſonatos in Italia evulgaſſe, ſatis notum eſt. z)

V. Ipſe libellus Venetiis editus eſt, etſi locum titulus non præ ſe ferat. De eo enim nos teſtimonium *Scaligeri*, qui ex ore Cardinalis *Seraphini* id accepit, dubitare non ſinit. Quem vero typographum editorem habuerit, hariolando difficile quidem eſt; non tamen a vero longe abeſſe putamus, ſi ad prelum *Manutianum*, a *Paulo*

A. 1533

z) Explicationem Orationis Dominicæ, quam *Lutherus* conſcripſit, Venetiis Italico ſermone, omiſſo Auctoris nomine, editam cum applauſu, refert *Jo. Mattheſius* in *Vita Lutheri Conc. XV p. m. 177 b*. De *Bucero* vero ita *Jo. Sturmius* in *Anti-Pappo IV P. I pag. 11: Bucerus in Pſalmis explicandis verſabatur, neque quisquam omnium eſt, qui plura tunc ſcripſerat, quam Bucerus. Capito quædam in lucem ediderat, non tam ſuo judicio, quam amicorum ſtudio, divulgata. Habebat autem ſuos Bucerus Commentarios Pſalmorum, quos Aretii Felini nomine inſcripſit, opus valde vendibile, etiam Cardinalibus & Epiſcopis laudatum, cuius verus Auctor ignorabatur.* Conf. *Morhof. Polyhiſt. Tom. III Lib. V pag. 539*, & inprimis *Bailletus T. V Jugemens P. IV n. 1 pag. 465 ſeq.*, & *Colomeſius* ad *Scaligerana pag. 263*. Ita exſtat quoque *Calvini Catechiſmus in Italicum ſermonem*, nec loco, nec Auctoris nomine, commemorato, *translatus*, & *A. 1545*, 8, editus.* Ut alios Proteſtantium libros, pari artificio in Italia typis impreſſos & divenditos, taceamus. Immo, in ipſo *Indice prohibitorio Hippophili Melangai Comm. in Ev. Matthæi* prohiberi, quid aliud ſuadet, quam ſub hac larva hunc quoque librum Noſtri in Italiam excurriſſe?

A. 1533 reſtitutum, a) referamus. Literæ enim, charta, modus ſignandi primas Capitum literas, aliæque circumſtantiæ, mere cum *Manutianis* conveniunt. Et, tempus quoque coincidere, poſtea videbimus.

VI. Cum vero nec annum editionis adſcriptum libellus habeat; ille quoque meris conjecturis definiendus eſt, quibus tamen libellus ipſe argu-

a) Ut conjecturæ noſtræ ſua veriſimilitudo conſtet, ex hiſtoria typographei *Manutiani* repetendum eſt, poſt mortem *Aldi* & *Andreæ Aſulani*, ſoceri, ita res *Manutianas* perturbatas fuiſſe, ut *Franciſcus* & *Fredericus Aſulani*, qui una cum patre ab obitu *Aldi* curam rei typographicæ in ſe ſuſceperant, prela per quatuor annos, 1529, 1530, 1531, & 1532, quieſcere ſinerent. Vid. *Vict. Trincavelli Præfatio* ad *Gaſpar. Contarenum*, *Themiſtio*, *ex Aldina officina edito A. 1534, præmiſſa*. Anno vero 1533 *Paulus Manutius*, conſilio, opere, & induſtria *Joannis Baptiſtæ Egnatii*, typographiam parentis, pulcherrimis characteribus ornatam, inſtauravit, narrante *Georgio Logo*, nobili Sileſio, in *Præf.* ad *Gratii Poema*, *A. 1534* apud *Manutium* editum. Hoc itaque anno *Paulus* libellum imprimere facile potuit. Accedit vero & aliud, quod non exiguam nobis veri ſpeciem ſuadet. Conqueritur *Manutius Epiſtolarum Lib. I Ep. 7 de inimica natione virtutis ac diligentiæ, quæ & patri ſuo negotium exhibuerit, & ad ſe vexandum atque opprimendum conſpiraverit, ita, ut durius habuerit negotium, ut ſuas fortunas in tuto collocaret.* Hæc verba ſi cum narratione *Seraphini*, Cardinalis, conferantur, non improbabile fit, *Manutium* eum typographum fuiſſe, qui vix a mulcta ſe liberaverit, manibusque inquiſitionis ſe extricaverit.

argumenta quædam ſuppeditat. Eſt enim hæc verſio adornata ad editiones *Hypotypoſeon* primas, & quidem ad eam, quæ *Auguſtæ Vindelicorum A. 1524*, & ex *typographeo celebris Medici, Sigismundi Grimmii*, prodiit, b) & in qua varias emendationes & additiones atque variationes a prima editione *Melanchthon* adhibuit. Cum vero A. 1533 aliam plane libro faciem indueret *Philippus*, quæ, nomine ejus per Auguſtanam Confeſſionem per omnem orbem pervulgato, facile intra anni vel biennii ſpatium in Italiam penetrare potuit; non inepte inde conjicere licet, poſt annum 1534 vel 1535 verſionem hanc adornatam non fuiſſe. c) Additur vero his libris Italicis in fine admonitio ad lectorem, in qua duæ retractationes, de quibus poſtea, Auctoris referuntur. Inter has eſt ſententia de illicitis Chriſtianis

b) Debemus hæc benevolentiæ Reverendiſſimi eccleſiarum Guelpherbytanarum Præſulis ſummi, *Io. Bern. Haſſelii*, qui non tantum, noſtris precibus exoratus, exemplar Italicum, in Bibliotheca Ducali aſſervatum, cum noſtro contulit, ſed & cum variis editionibus, ob variationes inter ſe diverſas, comparavit, unde denique compertum eſt, hanc Auguſtanam editionem interpretem ab oculos habuiſſe. Id quod conjecturam confirmat, parariis amicis *Melanchthonis* Auguſtanis, quos ſibi in Comitiis celeberrimis comparaverat, poſt A. 1530 hanc verſionem Venetiis ſuſceptam, & circa hos annos editam fuiſſe.

c) Alias dubium non eſt, quin interpres, vel qui ei hunc libellum vertendum commendavit, novam, eamque mutatam ſatis & emendatam, editionem adhibuiſſet.

ſtianis litibus coram magiſtratibus, quam epilogi hujus Auctor monet revocaſſe *Melanchthonem* peculiari ſcriptione: *An licitum ſit Chriſtianis litigare.* Hæc etſi inter Opera *Melanchthonis*, immo & alias ejus Opuſculorum collectiones, non occurrat; d) conſtat tamen, editam eſſe A. 1529, 8. e) Cum itaque, propter additam libello noſtro in fine mentionem hujus ſcripti, ante annum 1529 verſio hæc confici non potuerit; recte, niſi nos omnia fallunt, & non ſine veri ſpecie, conjicimus, circa annum 1531 vel 1532 fuiſſe hanc verſionem confectam, & A. 1534 *Manutiano* prelo expreſſam.

VII. Veriſimilia hæc eſſe, nemo, qui has circumſtantias probe conſideraverit, temere nega-



d) Extat quidem inter *Melanchthonis Conſilia theologica Part. II pag.* 371 unum ad quæſtionem: *Utrum ad Cœnam Domini admittendi ſint, qui a judicibus petunt defenſionem, aut pœnam, ſeu ut rei,* &c.; ſcriptum vero anni 1559 ab hac ſcriptione differt. In eo Conſilio ait, *ante annos fere quadraginta Viro Cl. D. Hier. Schurfio veram interpretationem pergratam fuiſſe, cum quidam ex eccleſia univerſum agmen forenſe ejicerent.*

e) Hoc debemus induſtriæ Cel. *von der Hardt*, qui *Tom. I Autographorum Lutheri pag.* 262 hujus libelli meminit hoc titulo: *Chriſtianis an liceat litigare in judicio*, Philippo Melanchthone *Auctore, ad* Caſparum Müllerum, *Cancellarium Comitis in Mansfeld. Aliquot Pſalmi in verſus conjecti per* Io. Mycillum. *Haganoæ, 1529*, 8. *Tom. III* vero *pag.* 184 etiam hujus ſcriptionis in dialectum inferioris Saxoniæ converſæ meminit. Conf. Cl. *Saligius Hiſt. Aug. Confeſſ. Tom. III pag.* 534.

bit. Non tacebimus tamen, quod iis potiſſimum queat obverti. Quicquid ſcilicet de libelli hiſtoria & fatis novimus, illuſtris *Joſephi Juſti Scaligeri* relationi debemus, ex cujus ore *Jo. Vaſſanum* eam excepiſſe, atque cum fratribus *Pithœis* communicaſſe, conſtat. Quodſi vero hujus relatione ſtandum eſt, accidit iſta hiſtoria tempore ipſius, cui eodem die, quo in rota Romana evenit, Cardinalis *Seraphinus* nuntiavit. *Scaliger* vero filius A. 1540 natus eſt, unde, hæc ſaltem ante annum 1560, tanquam eum annum, quo *Scaliger* cum magnis viris juventutis cauſa converſari potuit, non accidiſſe, facile colligitur; tum vero per annum demum lectus eſt libellus, Venetiis impreſſus. Non diffitemur, hæc prima fronte cum ſuperioribus conciliari non poſſe; quoniam vero & libri ipſius argumentum, ad primas editiones formati, & character atque forma typi, inferiorem ætatem apud eos, qui plures hujus ætatis libros, Venetiis impreſſos, viderunt, non admittere videntur, non inique ad *ἀβλεψίας* a *Vaſſano* admiſſæ ſuſpicionem deducimur, qua is ea, quæ *Joſephus Scaliger* de parente *Julio Caſare* narravit, de illo ipſo intellexit. Talia enim oſcitationis ſpecimina in his collectaneis *Scaligeranis* plura occurrere, multaque inde non cohærere, dudum viris doctis obſervatum eſt. f)

Recte

f) *Plurima* in his Collectaneis *dicta inconſtanter, quæ inter ſe non cohæreant, pugnent etiam nonnunquam,* olim jam judicavit *Fr. Vavaſſor de Ludicra dictione pag.* 240. Conf. quos laudat Ven. *Wolfius* in *Præf. ad Caſauboniana* § 8 *pag. 14*, & inprimis

Recte vero, minimeque præter rem, nos ad hæc delabi, quilibet perſpiciet, qui expenderit, *Joſephum*, filium, in Gallia natum & educatum, juventutis annos in Gallia, virilis ætatis inter Batavos, transegiſſe; patrem vero *Julium Cæſarem*, in Italia natum & educatum, de ſuſcipiendo poſt deſertam militiam ordine *Franciſcanorum* cogitantem, Bononiæ ſtudiis theologicis invigilaſſe, & virili demum ætate in Galliam delatum eſſe. Vero itaque ſimilius eſt, *Julium Cæſarem*, Romanæ eccleſiæ addictum, & in Italia diu verſatum, Romæ cum Cardinalibus fuiſſe converſatum, quam *Joſephum*, inter Gallos primo, tum inter Batavos, & in eccleſia Reformata, viventem. Quodſi ad patrem eam relationem referimus, cuncta rite cohærent; ſin ad filium, omnia pugnant, præſertim cum *Joſephi Scaligeri* tempore libellus hic ſub corrupto *Hippoſili Melangæi* nomine jam in Indicem prohibitorium relatus fuerit. g)



primis, qui ſimilem difficultatem chronologicam obſervavit, *Bailius* in *Dict. Tom. II Art. D'aurat Not. E. pag. 256.*

g) Vid. Cel. *Schelhornius loc. cit.*, qui recte judicat, hunc libellum fictitio hoc nomine prohiberi; etſi, hoc nomine prodiiſſe, nullo alio argumento conſtat. Unde ſuſpicamur, libellum, tunc, cum Index primus A. 1548 conficeretur, (vid. *Francus de Indicibus probib. & expurg. Cap. I §. 6 pag. 4, 5,*) jam per 12 annos ſuppreſſum & evaneſcentem, Auctores Indicis non ſuis oculis vidiſſe, ſed ex aliorum tantum relationibus noviſſe, ſicque ipſos nomen fictitium effinxiſſe. Quodſi vero in primis adoleſcentiæ *Scaligeri*, filii, annis jam Indici

VIII. Quod ad ipſum vero libelli argumentum & tractationem attinet, nolumus hic eſſe prolixi, & illa deſcribere, quæ nec ad inſtitutum noſtrum ſpectant, & facile ex ipſa libelli Latini, nunc omnium lectioni in *Hiſtoria Reformationis literaria Hardtiana* patentis, inſpectione, qua maxime dignus eſt, hauriri poſſunt. Id unum monemus, & in hac noſtra verſione Italica easdem ſingulares ſententias, quas in juventute *Melanchthon* ſecutus eſt, & a quibus ſenex totus abhorruit, inveniri. Inter quas cum & aſſerta abſoluta neceſſitas confeſſionis privatæ, baptiſmi neceſſitate non minor, itemque rejectæ omnes lites & interdictæ Chriſtianis coram magiſtratu fuerint, quas mature & ante hujus libelli verſionem mutavit *Philippus*, neceſſarium interpres duxit, hac de re in epiſodio lectorem monere. h) Reliqua vero, & inprimis

duram

dici libellus adjectus eſt; in ejus annis maturioribus demum edi & ſupprimi non potuit. Adeo nihil in tota narratione cohæret, ſi ad *Scaligerum* filium eam referamus.

h) Dabimus monitum Interpretis, in fine additum, ſuo idiomate: *Al Lettore. Io mi ſono aviſato lettor Chriſtiano, di ricordarti due coſe, le quai legendo queſto libro, ti potrebbon dar noia. La prima è, che parlando della confeſſione, dice, l'aſſolutione privata è coſi neceſſaria, come il batteſimo: tu dei intendere queſto, quando la conſcientia tua non ſi poteſſe acquietar per il general verbo dello Evangelio; all' hora veramente hai biſogno della privata aſſolutione, cio è della ſententia over parola dello Evangelio. Altrimente, ſe tu credi al Evangelio, in qualunque modo tu l' oda, tu ſei aſſolto, & ſonoti rimeſſi tuoi peccati, co-*

*mo*

duram illam ſententiam de neceſſitate omnium rerum abſoluta, nec correxit, neque emendandam monuit i) Interpres, novo ſpecimine, ex primis editionibus unam adhibitam eſſe ab Interprete, unde ſua transferret. In iis enim editionibus, quas nova facie ab anno 1533 emiſit *Melanchthon*, hunc fatalitatis errorem recte & prudenter *Philippus* abjecit.

*me ſi lege a Rom. I & Marco al 16, & Luca al 24. L'altra è, che, parlando de' Magiſtrati, dice, peccar quelli, chi litigano. Queſto luco ha poi l'autore ritrattato in piu luoghi, ma ſpecialmente in un libretto, che hà intitulato, Se ſia licito a Chriſtiani litigare, dove ei prova eſſere licito, purche non per vendeta ne per odio, ma ſolo perche ſia data ragione a cui perviene. Imperoche ſe è licito haver magiſtrati, è ancora licito a eſſi dimandar aiuto, come fece Paolo quando appello à Ceſare, nelli atti al Capo 25.*

i) Ut ſpecimen verſionis quoque demus, en pauca hac de ſententia quædam: *Pag. 7, a: La divina predeſtinatione togliera a l' huomo la libertade perche tutte le coſe auuengono ſecondo la divina predeſtinatione, coſi le opere eſteriori come le cogitationi interiori in tutte le creature. Pag. 8, a: Io giudico che non ſi poſſia inſegnare ne la fede ne il timore di Dio, ſe non perſuadiamo Dio fare tutte le coſe in tutti. - - La Scrittura toghe via la libertade a la voluntà noſtra par la neceſſità de la predeſtinatione.* Temperavit tamen ſibi *Philippus* in hac editione a duris illis primæ editionis verbis: *Omnia ſimpliciter neceſſario evenire*, etſi reapſe illud dicat, id quod, noſtro quidem judicio, fruſtra excuſat *Seckendorfius Hiſt. Luth. Lib. II ſegm. 21 §. 79 pag. 280*; a qua ſententia totus poſtea abiit *Melanchthon*. Conf. *Baylius Dict. Tom. IV Art. Synergiſtes not. A. pag. 217.*

# V
# IO. BURCHARDI MENCKENII, OTTONIS FILII, a)
## DE
# VITA ET IN LITERAS MERITIS OTTONIS MENCKENII, DOCTORIS LIPSIENSIS,
# ORATIO,
## NUNC PRIMUM EDITA, ET NOTIS FRID. OTTONIS MENCKENII ILLUSTRATA.

---

## LECTORI S. D. FRID. OTTO MENCKENIUS.

Quas olim in hac Academia parens meus Orationes vario tempore varias habuit, ante paucos annos conjunctim prodiiſſe cura mea, & in his col-

a) In *Novis literariis Germaniæ*, Hamburgi A. 1703 publicatis, *pag.* 258 *Jo. Burchardus* noſter filius dicitur *Lüderi Menckenii*, JCti Lipſienſis celeberrimi, ſed id per errorem, quem & ipſi Auctores eodem *Anno pag.* 173 & 320, itemque *A.* 1707 *pag.* 93, emendarunt. Idem hoc notatum video a *Jo. Ludolpho Bünemanno* in *Programmate II de Viris doctis Weſtphalis, Hamelmanno plane non, vel minus, memoratis*, A. 1713 Mindæ edito, §. 4. Sed notari etiam meretur error *Nic. Hier. Gundlingii*, *Lüderum* hunc, quem conſobrinum habuit *Otto* noſter, hujus fratrem vocantis in *Collegio Hiſtoriæ literariæ Parte III pag.* 4049 *ſeq.*

colligendis tantum a me poſitum induſtriæ, quantum poſcere & pietas, & ipſarum dignitas Orationum, videbatur, fortaſſe Lectorum pauci ignorant. Cujus me nunc conſilii, ſive quod jucundum ſit, monumentum aliquod memoriæ paternæ erexiſſe, ſive quod, probari viris doctis, cupideque legi, has Orationes, videam, adeo non pœnitet, ut re nulla, quam propagata ſic ad poſteros parentis fama, mihi magis placeam. Fuerat autem tunc, cum juſta hæc perſolverem paternis Manibus, mihi certiſſime perſuaſum, quicquid unquam aut conſcriptum a parente, aut recitatum publice, Orationum eſſet, hoc a me concluſum volumine eſſe; nec ab his, quos olim æquales habuit *Menckenius*, ullam earum, quas ipſi recordari poterant a ſe auditas, hic deſideratam ad hunc diem memini. Sed, quantum iſta me fefellerit opinio, nuper demum intellexi, cum fortuna quadam in Orationem, prorſus mihi antea incognitam, & me nondum nato habitam, *) lectu autem non ſolum

 non

*) Eſſe enim publice, idque, ni fallor, in Philoſophorum cathedra, dictam hanc Orationem A. 1708, IV Cal. Februarii, ſi aliunde non conſtaret, vel ſatis certo compertum mihi eſſet ex Carmine elegiaco, quo hæc paternæ Orationis ſolennia, nomine Collegii, in colligendis *Eruditorum Actis* occupati, celebravit olim *Ludovicus Chriſtianus Crellius*, tunc Philoſophiæ Magiſter, poſtea Logices & Metaphyſices in hac Academia Profeſſor publicus. Habet hoc Carmen duas majoris formæ plagulas, dignum, & Auctore ſuo, & *Menckeniorum* pari, quorum laudes, ut fere fit, a poetica ſuavi-

non indignam, ſed talem etiam, quam, ſi viveret, inter ceteras *Menckenius* primo vellet loco collocatam, avi quippe mei, *Ottonis*, conſecratam laudibus, inciderem. Quam ipſam avide inſpicienti mihi, legentique totam, viſus eſt parens meus hic exemplum præbuiſſe filii inprimis grati, & beneficiorum paternorum memoris, officioque ſe ſolventis eo, quo, qui pietatem colunt, obſtrictos ſe fatentur omnes. Nulla igitur deliberatione opus fuit ad id, ut hanc ſimiliter, ac ceteras, olim editas, Orationem transmittendam ad poſteros decernerem; quippe quo futurum illud eſſet, ut idem ego præſtitiſſe patri meo, quod ille ſuo, judicarer. Nec gratiam hoc ipſo initurus mihi nullam videor ab iis, quibus caram adhuc avi & parentis eſſe memoriam ſcio, utriusque non de Lipſienſi tantum Academia, quæ quantum debeat *Menckeniis*, etiamſi diſſimulet ipſa, nemo tamen neſcit, quam de literis, & harum ſtudioſis, optime promeriti. Et erunt fortaſſe inter ipſos exteros, qui ejus

ſuavitate plurimum nitoris decorisque acceperunt. Eſt autem ſic inſcriptum: *Ad Virum Nobiliſſimum, Ampliſſimum, atque Juriſconſultiſſimum,* D. Io. Burchardum Menckenium, *Hiſtoriarum P. P. & Academiæ Lipſienſis b. t. Rectorem, beati parentis ſui, Viri Summe Reverendi atque Excellentiſſimi, Domini* Ottonis Menckenii, *S.S. Theol. Licentiati, Moralium Profeſſoris Publici celeberrimi, Decemviri, Coll. Min. Principum Collegiati, memoriam, die ejus emortuali, IV Cal. Febr. A. MDCCVIII, ſolenni Oratione recolentem,* Acta Eruditorum, *interprete* M. Ludovico Chriſtiano Crellio.

ejus hominis, cui bonum illud literisque ſalutare *Actorum Eruditorum* opus debere ortum atque incrementa ſua, vel fando audierant, vitam quomodocunque actam, fata, ſive proſpera, ſive adverſa, & quicquid ille unquam aut ad Academiæ patriæ honorem, aut ad ſalutem literarum, opera partim, partim conſilio, attulit, ex Oratione filii, non vera tantum, ſed hæc ſuaviter etiam eleganterque, narrantis, cum voluptate aliqua cognoſcant. Nam, cum aliis multis, ſi non minoris, at certe nec majoris, famæ Germanis hoc poſt mortem ſuam contigerit, ut res eorum variæ ampliſſimis ſint commentariis deſcriptæ, nec, qui deſcripſerunt, eo nomine in docti orbis reprehenſionem incurrerint, ſane cauſam ego non video, cur ſupremum hoc officium uni ſit *Menckenio* negandum, per quem ſalva olim bono cuique fuit fama ſua, & cujus, dum viveret, eo ſpectarunt curæ omnes, ut præclara aliorum opera, resque cum inſigni laude geſtas, a turpi hominum oblivione vindicaret. Dubitare autem de narrationis paternæ ſi quis veritate auſit, næ, illi ignotum ſit, oportet, ingenium *Menckenii*, alieniſſimi ab ea arte, quæ falſam conſectari laudem, aut rem literariam ineptis fictionibus miſcere, docet, &, ut in vita omni, ita in oratione ipſa, veræ ſimplicitatis ſtudioſi. Ceterum, de rebus paternis veriora a filio, quam ab alio quocunque, poſſe exſpectari, nemo facile negaverit; quamque illis, quæ leguntur paſſim in vulgaribus libellis, re ipſa ſit aut plenior, aut accuratior, narratio parentis mei, exempla

varia

veria in Notis, quas Orationi huic viſum eſt ſubjicere, docebunt. Sunt hæ Notæ, ut aperte tecum agam, non tam omnium lectorum, quam exterorum ſaltem, cauſa additæ, quibus, rerum noſtrarum plerumque ignaris magis, quam incurioſis, & virorum in Germanis laude aliqua florentium omni pæne notitia deſtitutis, rem facturum me valde gratam putavi, ſi, quæ, per orationis modum, non niſi breviter & quaſi curſim attingere parens potuit, quæque adeo lectori in noſtris inſtitutis hoſpiti obſcuriora eſſent, eorum diligenter rationem explicarem, &, ut rectius poſſent exteris intelligi, efficerem. Si quis igitur noſtrorum hominum, eorum inprimis, qui ſua tantum amant, aliena omnia æternis tenebris ſepulta cupiunt, vulgaria hic, ac dudum inter nos cognita, tractari, dixerit, haud eum in me iniquum putabo, modo, non hæc ſibi ſcripta eſſe uni, agnoſcat, nec, quæ unus & alter ſciunt, eadem cognita eſſe omnibus, contendat. Sed, futuros etiam, ſcio, qui, abſtinere me ab omni hoc, dicendi de paternis avitisque geſtis, negotio debuiſſe, ſibi & aliis perſuadeant, quod hæc domeſticarum rerum commemoratio ſordere plurimis lectorum, nec carere nota vanitatis, ſoleat; a quibus, vulgi magis judicio, quam certa ratione, utentibus, mihi quidem parum timeo. Nimirum ita ego vere judico, oſtentationis eſſe, decantare & extollere paternas laudes; contra, deſcribere, & poſteritati commendare, pietatis.

Dum

Dum ſupremum grati animi & humanitatis officium præſtare optimo parenti, ejusque virtutes in illuſtri ponere monumento, b) meditor, valde equidem vereor, ne plerique ita de me exiſtimaturi ſint, quaſi, patrias memorando laudes, proprias ambitioſius extollere cupiam. Quodſi enim non ultima filiorum commendatio eſt, iis procreatos eſſe parentibus, qui nulla impietatis aut turpitudinis labe dehoneſtantur, ad me forte etiam nonnihil perveniet ejus laudis, quam patri, cui vitam, mores, ſtudia mea debeo omnia, aſſertum

b) Plene hic & copioſe deſcripta exhibetur vita *Menckenii*, quam brevius & quaſi in tranſcurſu dudum alii commemorarunt, in his, quæ habet Academicum Programma, in funere *Menckenii* A. 1707 publicatum, acquieſcendum ſibi rati. Pauciſſima enim, non illic commemorata, invenias in *Lexico doctorum Virorum*, patria nobis lingua ſcripto, quod vulgo *Menckenio-Jœcherianum* dici ſolet, *T. II pag.* 152; in *Lexico hiſtorico univerſali*, quod, neſcio quam recte, *Buddeanum* vocant, *Parte III pag.* 523; in nova *Lexici Moreriani* editione Baſileenſi T. *V pag.* 234, cujus Auctor, aut, quod verius eſt, compilator, quicquid habet, ex *Lexico Buddeano* deſumſit, ſola vertendi laude contentus; porro in *Novis litterariis Germaniæ Anni* 1707, Hamburgi collectis, *pag.* 92: quo in loco integrum, quod dixi, Academiæ Lipſienſis Programma legendum exhibetur; in libro, ſic inſcripto: *Kurtze Nachricht von der Stadt Leipzig, und abſonderlich von der Univerſitæt daſelbſt, pag.* 142; in *Hiſtoriæ Bibliothecæ Fabricianæ Parte V pag.* 417; in *Io. Iac. Vogelii Leipzigiſchem Geſchicht-Buch, oder Annalibus, pag.* 999; in *Io. Caſp Læſcheri Meritis Theologorum in rem literariam Parte I pag.* 183;

in

tum eo. Quod cum ego diu multumque mecum anxia deliberatione agitavi, parum profecto abſuit, quin pium officium intermitterem, probe quippe perpendens, quantum ſæpe expediat, ea omittere, quæ hominum, cuncta in peſſimam partem interpretantium, improbas cenſuras provocare valeant. Præterea publicæ curæ me quodammodo abſterrebant; quandoquidem me totum immerſum videbam Reipublicæ, cui hoc longius poſtponenda ſunt privata negotia, quo magis omnium intereſt, eam ſalvam eſſe & inconcuſſam. Enimvero, poſtquam in animum meum revocavi, quæ patri indulgentiſſimo, in extremo vitæ articulo

in *Io. Ludolphi Bünemanni Progr. I de doctis Weſtphalis, Hamelmanno vel non, vel minus, cognitis*, Mindæ A. 1713, 4, edito, §. 15; in *Dan. Frid. Pœnmanni Vitis Virorum ex quovis facultate clariſſimorum pag.* 186; in Ill. *Ge. Chriſt. Gebaueri Hiſtoria Collegii Gelliani & Anthologici*, præmiſſa ejus *Anthologicarum Diſſertationum Libro, pag.* 115 in *Nic. Hier. Gundlingii* libro poſthumo: *Vollſtændige Hiſtorie der Gelahrheit, Part. III pag.* 4048; in P. *Niceronii Memoires pour ſervir à l'hiſtoire des hommes illuſtres dans la Rep. des lettres Tom.* 3, *pag.* 248; denique in *Supplementi novi ad Lexicon Morerii*, ſermone Gallico conſcripti, editique Lutetiæ A. 1735, *Tom. II pag.* 51: quo in loco nil niſi verba *Niceroniana*, ſed Auctore ne quidem nominato, repetita vides. Hi, inquam, ſi non omnes, ſaltem plerique, potiora tantum vitæ *Menckenianæ* momenta, ex *Programmate* illo *Academico* dudum nota, attigerunt; quibus [illegible]iora, & ex parte ſcitu digniora, lectores ſuos docet filius *Ottonis, Ioannes Burchardus*, Oratione hac, ut pia, ita ſatis, ni me fallit amor patris, eleganti, & *Menckenianis* ceteris, olim a me publicatis, prorſus ſimillima.

tulo conſtituto, ſponte & ultro dedi, promiſi; poſtquam illius in publicam rem merita, amoremque ardentiſſimum, quo me meosque proſecutus eſt, mecum perpendi; nullum tam efficax argumentum, nulla ratio digna deprehenſa eſt, quæ me ab inſtituto meo dimoveret, inprimis cum cogitarem, poſſe me hoc, quicquid eſt, officii ſalvis etiam reipublicæ rebus præſtare. Neque vero rem novam aut inauditam nunc aggredior. Nam, ut taceam exempla majorum, qui ex hoc loco propinquos vita defunctos laudarunt; jam quidem etiam Romani, ubi laudationes funebres habere cœperunt, filiorum hoc munus eſſe præcipuum voluere. Quare *Tiberium*, annos natum novem, patrem defunctum, *Auguſtum*, duodecimum annum natum, aviam *Juliam*, neque minus *Appii Claudii* & *Marcelli* filios parentes ſuos, & *Q. Metellum L. Metellum* patrem, ipſumque *Caligulam*, prætextatum, *Liviam Auguſtam*, proaviam, in funebri concione laudaſſe, accepimus; & longum foret, enarrare exempla alia virorum in Romana Republica illuſtrium, qui funera parentum luculentiſſimis orationibus decorarunt. Prope enim a natura mortalibus inſitum videtur, ut, quemadmodum parentes erga liberos, ita viciſſim hi erga parentes, affectu ferantur plane ſingulari, &, ſi ipſe dicere debeam, quod ſentio, eos ego nunquam non miſerrimos duxi, qui vel ſequius judicare de parentibus ſuis, & ſuum potius ingenium, ſuas vires, extollere, vel, quod multo etiam iniquius, nullo honore proſequi vivos, nedum defunctos, conſuevere. Sunt enim nonnulli

filii tam infectis ac perverſis moribus, ut, ubi humani quidquam pati parentes ſuos, animadverterint, eos ſalſe rideant, ſubſanniant, & quavis data occaſione traducant, quorum improbam conſuetudinem ſemper ſum vehementer averſatus, quandoquidem ita plane perſuaſus ſum, non tantum laudes parentum a filiis modis omnibus amplificandas eſſe, verum & nihil tam arduum aut laborioſum excogitari poſſe, quod parentum in gratiam ſuſcipere jure quiſquam detrectaverit. Itaquè pace veſtra, Auditores, quod piis Manibus optimi parentis debeo, quod ei dudum, etiam cum inter vivos eſſet, deſtinavi, hoc ipſo die ejus emortuali perficiam atque exſolvam, quanquam, ſi imbecillitatem meam, ſi hæc, quibus obſeptus ſum, negotia, intueor, me ex ſententia id perfecturum, pæne deſpero. Unus me ſolatur atque erigit favor, quo parentem meum nunquam non proſequi dignati eſtis, cujus ſi me ex aſſe hæredem eſſe jubeatis, in modica etiam ſorte luculentam atque magnam hæreditatem videbor mihi conſecutus. Rogo itaque Vos & obteſtor, Patres conſcripti, tuque ſtudioſa concio, date hoc piis Manibus parentis mei, date memoriæ Viri de literis, de republica noſtra, ſive magiſtratum, ſive cives, ſpectes, non male meriti, meque, poſtremum illi officium præſtiturum, ejusque vitam, non qualem ipſe ſcripto reliquit, (nihil enim de ſe unquam, ut parum de nominis ſui fama ſollicitus erat, conſignavit,) ſed qualem ex ore ejus accepiſſe olim meminimus, breviter enarraturum, benevole auſcultate; quod ubi impetravero,

petravero, haud parum lætabor, &, quamvis inconditam, ad vos Orationem fecero, ſatis me officio meo defunctum exiſtimabo.

Qui in laudatione verſantur, Conſul ampliſſime, Auditores honoratiſſimi, natalium ſplendorem mellitis inprimis verborum globulis exornare, plurimumque extollere, conſuevere. At ego, hæc noſtra non eſſe, quæ a parentum patriæque commendatione petuntur, & ſatis utique laudis nos habere, cenſeo, ſi, cum propria virtute nomen comparavimus, nulla natales noſtri turpitudinis macula laborant. Natus eſt *Otto* c) *Menckenius* anno poſt milleſimum & ſexcenteſimum quadrageſimo

c) Auctores *Supplementi ad Lexicon Morerii*, A. 1735 Pariſiis *Voluminibus* formæ majoris *duobus* editi, *Tom. II pag. 58 Menckenium* noſtrum prænomine *Ludovicum Ottonem* dicunt, errore neſcio unde tracto, niſi forſan, cum nomen ejus ita exſcriptum invenerint: *L. Otto Menckenius*, præmiſſum illud nomini *L.*, quod *Licentiati* munus denotat, accepiſſe eos pro prænomine *Ludovici*, putes, quod facile accidere potuit hominibus exteris, ignaris plerumque rerum noſtratum, ut fere omnium, ita Academicarum inprimis, quæ & ipſæ non raro ita obtectæ ſunt & involutæ, ut vix civibus noſtris, nedum exteris, ſatis poſſint intelligi. Sed, quoquo modo ſe res habeat, certe ex *Novis literariis Germaniæ Anni 1707*, unde ſcilicet, quicquid ipſi memorant de *Menckenio*, petitum ſibi fatentur, meliora diſcere poterant Auctores illi, quippe legentes hic nomen *Menckenii* ita expreſſum: *Otto Menckenius, SS. Theologiæ Licentiatus*, &c.

dragesimo quarto, d) die 22 Martii; Oldenburgi, quæ urbs, e) ut vel nomen indicat, antiquiſſima eſt, &

d) Annum quadrageſimum per errorem nominat *Gundlingianæ Hiſtoriæ eruditionis* Editor, qui ſub literis *C. F. H.* latere voluit nomen ſuum, Operis modo dicti *Parte III pag. 4048 not. y. 979.*

e) Non deſunt ſua decora Oldenburgo civitati, olim ſub Comitum, & generis & virtutum gloria illuſtriſſimorum, nunc ſub Regis Daniæ, imperio floretiſſimæ. Illa noſſe cupienti plene ſatisfacient rerum partim Oldenburgicarum ſcriptores, *Herm. Hamelmannus* in *Chronico Oldenburgico*, edito Oldenburgi, 1599, fol., *Io. Iuſtus Winckelmannus* in *Arboreto genealogico Heroum Europæorum ex unica Oldenburgica familia*, Oldenburgi, 1664, fol., idem in *Oldenburgiſchen Friedens- und Kriegs-Handlungen von 1653 bis 1667*, ibid. 1671, fol., & Auctor incognitus in *der Uhralten Oldenburg-Rabſtædtiſchen Chronica, aus dem Latein überſetzt* (a *Balth. von Wida*), Oldenburgi, 1719, fol., partim, qui univerſæ Weſtphaliæ, cujus a nonnullis pars habetur Oldenburgenſis Comitatus, hiſtoriam & topographiam expoſuerunt, *Mart. Zeilerus* in *Topographia, oder Beſchreibung des Weſtphaliſchen Crayſes*, Francofurti, 1653, fol., *Nic. Schatenius* in *Hiſtoria Weſtphaliæ*, Nevhuſii, 1690, fol., *Albertus Kranzius* in *Metropoli Lib. III Cap. 25*, *Io. Iuſtus Winckelmannus* in *Notitia veteris Saxo-Weſtphaliæ & finitimarum regionum*, Oldenburgi, 1667, 4, *Io. Neuwaldus* in *Commentario de antiquis Weſtphaliæ colonis*, Oſnabrugæ, 1678, 4, *Herm. Hamelmannus* in *Operibus Geneal. hiſtoricis de Saxonia inf. & Weſtphalia*, Lemgoviæ, 1711, 4, & Scriptores illi omnes, quos in *Opuſculis variis de Weſtphalia, ejusque doctis aliquot Viris*, edidit, & Notis illuſtravit, *Ioannes Goes*, Weſtphalus, Helmſtadii, 1668, 4.

& commerciis atque opificiis florens, Friſiæ Weſtphaliæque contermina, & ad Hontæ ripam ſita, qui fluvius, inde per paſcua fœcundiſſima delapſus, mox Viſurgi infunditur. Poſſem hic acerrimam adverſus *Juſtum Lipſium* invectivam inſtruere, qui, cum a piſcatoribus nonnullis in ſuburbio Oldenburgenſi fuiſſet minus liberaliter habitus, non tantum Oldenburgenſes, ſed Weſtphalos omnes, alicubi in Epiſtolis *barbaros* f) appellat; poſſem longum Virorum,



f) Non homines tantum *barbaros* appellavit, ſed de ipſa etiam regione, maxime vero de Oldenburgo urbe, ejus civibus, horumque moribus & victu, ita contemtim & abjecte judicavit *Lipſius*, ut magis vix potuiſſet, etiamſi in illa terra Deos hominesque omnes capitales hoſtes habuiſſet. Evomuit imprimis virus ſuum quatuor *Epiſtolis*, a ſe olim evulgatis in *Centuria II Epiſtolarum miſcellanearum*, quam ſeorſim Lugduni Batavorum A. 1590 publicavit, ac deinde variis in locis, ut *Herm. Hamelmannus* in *Apologia Comitum Altenburgicorum contra virulentas Juſti Lipſii calumnias* nos docet, bis aut ter recudi curavit. Has, ut conſcriptæ ſunt a *Lipſio*, integras, tum quod miram voluptatem habeat earum lectio, tum quod paucis Lectorum, ob rationes, paulo poſt indicandas, putem cognitas, videarque adeo effecturus, ne pereat maledicentiæ *Lipſianæ*, ſeris poſteris abominandæ, memoria, legendas hoc in loco exhibebo, rem ita, ſi non omnibus, iis ſaltem, qui inter Opera *Lipſii*, conjunctim edita variis in locis, fruſtra quæſiverunt has Epiſtolas, valde gratam facturus. Illarum prima, ad *Janum Douſam* data, hæc eſt: „Oldenburgi, mi *Douſa*, ſum. Ubi, malum, iſtud? inquies. Oppidum eſt in Weſtphalia,

qui, e Weſtphalia oriundi, literis fuere ap-
prime

lia, tertio lapide a Brema. Illic me tenent equites noſtri, qui loca hæc omnia perſultant. Certe animi pendeo. Properem? Cum periculo eſt, nec audet id quiſquam mercatorum. Hæream? Tempus mihi labitur itineri opportunum. Quodſi diutius in his locis illæ turmæ; delibero, Embdam redeam, an mari Hamburgum pergam, atque iſtinc Francofurtum. O omnia moleſta in hoc tempore! Sed Dii porro juvent, adhuc fero & reſiſto. Apud vos quo loco res ſint, ſcire velim. Nam hic qui inquiram? In Scytharum eremia mihi videor, nec inter homines ſatis certo. Omnes hic Suillii, Scrofæ, Porcii, &, uno verbo, tui *Hermanni*. O Batavia! O amiculi! Vos mihi in mente, & ad vos adſpiro. Fontes tamen meos prægustaſſe vellem, quod, ſubvereri incipio, ut fiat hac hieme. Videbo, & ſub manu conſilium aliquod capiam, quod te non celabo. Vale, mi *Douſa*, & lectiſſimæ uxori tuæ ſalutem & oſculum (ita jubeo) a me ferto. In Barbaria, apud pultiphagos, III Non. Octobr. cIↄ Iↄ LXXXVI.„ Jam alteram, ad *Janum Hautenum* conſcriptam, accipe: „ Embdæ cum dies aliquot quieviſſem, partim recreandi mei cauſa, partim quia deerant currus; iter arripui Bremam verſus, ſed pede parum fauſto. Oldenburgum ecce veni, (diſtat tertio milliati ab ea urbe,) & undique cingunt nos equites peditesque, qui in Belgium parantur. Manendum in nidulo illo fuit, aut incidendum in Harpaces illos, quibus nihil eſt ſancti. Et mehercules de tota vita mea hæreo, ita multa á multis pericula audio, ita multa ipſe video. Omitto moleſtias, & tædia hoſpitiorum præſertim, quæ hic plus quam Germanica. Crede mihi, amice, barbaria nulla barbaria eſt præ hac Weſtphalia. Cetera Germaniæ fere vidi.

Quid

Quid dicam? Deliciæ illæ locorum & hominum ſunt, ſi cum iſtis comparentur. Et tamen avide anhelo ad illos fontes. Sed hiems me occupat; &, ſi diutius morantur hic equites, (pecuniam autem exſpectant, nec, niſi ea plene numeratá, pedem moturi dicuntur,) fractum meum iter. Quod ſi fiet, iterum Embdam conſtitui, & illic hiemare. Nec enim plane diſplicet is locus, & inter ignotos libellis meis & chartis me involvam, ſine metu interpellationum. Sed nos interea quid? Quo loco res publica, res privata? Scribe ad me, quæſo, & literas Embdam deſtina: quia, in omnem caſum, illinc ad me vel in mediam Germaniam facile perferentur. Ita mandavi, & uxor te docebit. Vale, mi amiciſſime, cum uxore tua & familia omni, quam ſaluto. Oldenburgi, ex hara, quam hoſpitium appellant, cIↄ Iↄ LXXXVI. „ In tertia, ſcripta ad *Ioannem Heurnium*, audi, quam ſit ingenioſa conviciandi libido: „Ego, mi *Heurni*, quod vos Medici miremini, vivo. Paſſus enim ea in hoc Weſtphalo itinere ſum, quæ nemo olim Cynicus, aut patientiam profeſſus. Omnia humana mala me exagitarunt, ab aere, ab aquis, a cibis. Venti & pluviæ perpetuæ; cibi, non dicam barbari, ſed vix humani. Valetudinem meam noſti, & quam ea præcipue mihi firmanda delectu dapum. Ecce autem in hoſpitiis (ſic appellabo: etſi re vera: ſtabula illa aut haræ potius,) primo initu poculum aliquod obtruſum cereviſiæ olentis, aut tenuis, & ſæpe a recenti coctione calentis. Nec recuſare fas, niſi elegiſſes expelli. Hic guſtulus erat, & ad ignem cum aurigis aliquot aut ſcrophipaſcis eadem illa potio ſæpius iteranda, cum ſolenni elegantia ad ſingulos potus porrectæ manus. Interea menſa ſternebatur, (nec dicam de mappa. Noſti.) & jam calor meus inhiabat in cibum: ſed, heu, primum ferculum e larido ſpiſſo, pingui, & addo, crudo. O rem mei ſtomachi! Quid facerem? Poſcere

aliud, nefas. Specto igitur, & taceo, & buccellas aliquot panis frango. Atque utinam panis! Sed re vera, mi *Heurni*, ſi colorem, ſi pondus, ſi totam faciem, vidiſſes: juro tibi, pejeraſſes de pane. Ater ille, gravis, acidus, & formatus in maſſam quaternos aut quinos pene pedes longam, quam ego nec elevaſſem. *Plinius* ibi mihi in mente, qui de hac aut finitima gente ſcribit: *Miſeram eam, quæ terram ſuam ureret.* Ego verius: *Miſeram, quæ ternam ederet.* Sed vide alios miſſus. Diu exſpectato, ecce tibi caput jam cœnæ, patina grandis, plena braſſicæ confectæ. Ea jurulenta eſt (virulentam mihi calamus ſcribebat,) adipe porcino ad digitum eminente ac ſuperſtante. Hanc ambroſiam non comedunt mei Weſtphali, ſed vorant. Ego quid? Nauſeo & fameo. Atque ad extremum paſſulas aliquot e ſacciperio meo haurio, quas cum pane lente guſto. Invidiam ea res habuit & ſermonem; ſed ego cum hoſpite convivas iratos habere malui, quam Hygeiam. Denique & famulus meus inſuſurrabat iis de morbo. Extremum ferculum caſeus fuit; ſed ita putridus, ut diffluerer. Hoc ipſum tamen illi habent, ut cerebrum Jovis. In pagis iſta: in oppidis haud multo meliora. Niſi quod illic tamen piſces nobis plerumque appoſiti, ex his, qui Norwegia afferuntur ſale indurati & vento. At panis e ſiligine eadem. Hos tamen cibos edere jam didici, imo concoquere; & ſi ad vos unquam redeo, virum videbis ſive paſſerem marinum potius, qui vorare didicerim ferrum. Hæc in menſa. Vis etiam lectum? plane electum. Lecticæ pleræque in ordinem ad utrumque latus. Juxta eas vaccæ, equi, vituli; ſupra pulli & gallinæ; ſubter (teſtor Fidem) porci. De pulvino aut linteis (oro) noli quærere. Mendicorum noſtrorum tegetes longe meliores ac puriores, aut centones. Itaque per dies totos octo veſtem non poſui. Jam illud

corol-

corollarium pulchrum, quod duas noctes dormivi in aperta navi, ſive cymba, in Honta flumine, ſub puro Jove: idque cœlo pluvio & ventoſo. Poſt hæc tamen omnia, vivo. Jocoſa habes: quid aliud mihi libeat natali die? Nam de morbo, abſit, ut te conſulam. Male perierit ille in mala via. Tu ſalve. Et voveo idem *Holmanno, Beïmæ, Bontio*, collegiis meis. Embdæ, XVIII Cal. Nov. cIↃ IↃ LXXXVI. Carmen pro Methodo tua habes, ſed quod non dubie olebit hanc gentem.„ Quarta, ad *Petrum Colvium* data, brevior eſt ceteris, ſed non ob id minus virulenta; „ Appello te, mi *Colvi*, ultro. Libet, & vacat: illud ob amorem, hoc ob otium, quo præter votum nunc fruor. Nam hic (in quo nidulo!) teneor Oldenburgi, inter homines ſemihomines. Idque vi ſive metu noſtrorum equitum, qui circumfuſi. Noſti genus, & quam nec Muſis, nec Mercurio, parcant; utique ſi iis bulga. Ita iter noſtrum protollitur, & bene, ſi non tollitur ſuperventu nigræ hiemis, quæ & ipſa adequitat. Videbo, &, quod Deus ille dabit, feram. Salvi, mi *Colvi*! Ubi dixi, Nonis Octobr. cIↃ IↃ LXXXVI.„ Aſpera ſane & contumelioſa omnia, quæque ſatis exacerbare potuerunt hominum etiam placidiſſimorum animos. Noli igitur mirari, provocaſſe in ſe *Lipſium* dira hac Epiſtolarum quadriga capitales, ut Weſtphalorum omnium, ita *Ioannis* inprimis *Domanni*, fœderis Hanſeatici Syndici, ortu Weſtphali, iras, qui, juſto patriæ amore ductus, ſatiram ſatiræ, venenum veneno, oppoſuit, & horrida illa calumniarum monſtra libello integro, bilis & irarum plurimum habente, depugnanda ſibi ſumſit. Edidit hunc Helmſtadii A. 1591, altero nempe a publicata *Epiſtolarum Lipſianarum Centuria altera* anno, ita inſcriptum: *Ioannis Domanni, Oſnabrugenſis, pro Weſtphalia ad Cl. Virum Iuſtum Lipſium Apologeticus.* Ejusdem libelli editionem novam neſcio quis altero a morte *Domanni* (obiit enim A. 1618,) anno, qui fuit Seculi XVII nonus deci-

mus, forma 12 curavit, ut patet ex *Bibliotheca Menckeniana pag. 437.* Dedicavit hoc, quicquid eſt opellæ, Auctor, ut majorem *Lipſio* invidiam faceret, *Ioanni*, Comiti Oldenburgenſi & Delmenhorſtano, in cujus quippe *domum præcipue injurioſas & contumelioſas* has *Lipſii* Epiſtolas, & de cujus *ſede & oppido Oldenburgo, hujusque indigenarum ingeniis, indigna* ab illo *ſcripta*, dicit. Utque, ſerio a *Lipſio* rem geſtam, perſuaderet ſuo Principi, illa omnia, quæcunque ſunt in Weſtphalos injurioſe dicta, itemque alia complura, priusquam luce ſint donata publica, privatim communicata cum amicis, refert, ad quos ingenii aut ſtili tantum cauſa hæc ſcripſiſſe minime omnium videatur. In ipſo opere nihil intentatum relinquit, ut, mendaciſſimi obtrectatoris in ſuis Epiſtolis perſonam ſuſtinere *Lipſium*, manifeſtum omnibus faciat. Quod cum videri vult modeſtiſſime agere, re ipſa ita conſcitate & truculenter agit, ut famæ *Lipſianæ* ſtudioſi vix legere hæc ſine indignatione poſſint. Eodem fere, quo *Domannus*, tempore, ſub finem nempe anni 1591, alius in aciem adverſus *Lipſium* proceſſit civis Weſtphalorum pius ac nobilis, *Hermannus Hamelmannus*, id duplici Apologia modis omnibus, & magna animi contentione, agens, ut primo Oldenburgo civitati, deinde univerſæ Weſtphaliæ, antiquam ſuam, cui detractum iverat *Lipſius*, gloriam aſſereret. Horum libellorum alteri titulum fecit: *Apologia* Hermanni Hamelmanni *pro illuſtribus & inclytis Comitibus Altenburgicis, & pro honeſtis ac induſtriis urbis Altenburgicæ civibus, & totius regionis incolis, contra virulentas* Iuſti Lipſii *calumnias atque injurias*, cui præmiſſa eſt, dedicationis loco, ad *Antonium Guntherum*, Comitem Altenburgenſem & Delmenhorſtanum, Epiſtola; alterum inſcripſit: *Apologia altera* Hermanni Hamelmanni *pro Weſtphalis contra* Iuſti Lipſii *calumnias*, *Simoni*, Comiti ac Nobili Domino in Lip-

pia,

pis, dedicatum. In utroque Opere non ſolum fortiorem, ſi ipſum autorum robur ſpectas, ſed animoſiorem etiam, & in *Lipſium* concitatiorem, *Domanno Hamelmannum* dixerim, qui, cum *temerarium & non ſatis prudentem phantaſtam, Scytham, Scrofam, Porcum, Scillum, mendacem ſemper, bardum, barbarum, ſemihominem*, dicit *Lipſium*, virum doctrina & fama maximum, etſi in Weſtphalos, ſi ita vis, iniquiorem, hoc ipſo talem ſe, qualem *Lipſius* deſcribit, Weſtphalum oſtendit. Sed erunt forte, qui, patriam ſuam defendenti omnia licere, putent. Ipſe ſane *Lipſius* tanquam malæ cauſæ conſcius, lectis *Domanni* & *Hamelmanni* Satiris, tacere, ſatius exiſtimavit, quam reſponſione æque vehementi injuriam, Weſtphalis & Oldenburgo factam, atrociorem efficere. Quin, ut omnes intelligerent, quadam turpiter factorum pœnitentia ſe duci, & exacerbatum ipſe in ſe Oldenburgenſium animum aliquantum mitigaret, a nova *Epiſtolarum* ſuarum editione, quam A. 1592 Antverpiæ curavit, abeſſe juſſit quaternas illas, in Weſtphalos injurias, Epiſtolas, ſubſtitutis in harum locum quatuor aliis, una *Typographi ad Lectorem*, tribusque ſuis ad *Jacobum Monavium* & *Abrahamum Ortelium*, quibus ipſis Præfatiunculæ loco hæc præmiſit *Lipſius*: *Lectori. Erant in editionibus aliis Epiſtolæ quaternæ, quæ joci aut ſalis aliquid haberent, non in gentem, ſed in hoſpitia gentis & præſertim ruſticana. Aliqui morſum aut læſionem interpretati ſunt: & quia non eſt, aut fuit, is animus, nunc omiſimus induximusque. Earum loco iſtæ Centuriam explent; quæ defenſionem habebunt, & ſine cujusquam mala gratia, opinor, legantur. Vale.* Occaſionem hæc ſuppeditarunt *Auberto Miræo*, cui tamen de *Hamelmanni* libellis innotuiſſe nihil videtur, de Epiſtolis illis *Lipſianis* in *Elogiis Belgicis Claſſe VIII pag. m.* 148 ita ſcribendi: *Aucta porro jam fama, cum Epiſtolas ſuas ab aliis alibi vul-*

*gari, comperiſſet, eas ipſe errantes collegit, &,* Longolii, Sadoleti, Bembi, Bunelli, *quemque in hoc genere unicum laudare ſolebat,* Politiani, *exemplo, publici juris fecit, Epiſtolica inſtitutione in bonum juventutis adjuncta. Atque hinc iterum turbæ: quod in Centuria altera Epiſtolæ quaternæ eſſent, quæ joci aut ſalis aliquid haberent in hoſpitio Weſtphalorum. Non pauci morſum aut læſionem interpretati ſunt: & pro Weſtphalis ſuis libello etiam edito* Domannus *pugnavit. At* Lipſius, *ut erat ingenio placido, atque ab omni litigio admodum alieno, epiſtolas illas non interpretatione ſolum lenivit, (quod vere poterat, & publice in literis ad* Jacobum Monavium *jam fecerat,) ſed ſpongia delevit.* Inde ſcilicet eſt, quod, quamcunque *Epiſtolarum,* aut *Operum* etiam omnium, *Lipſii* editionem, ab anno inde 1592 ad hoc usque tempus vulgatam, evolvas, nusquam Epiſtolarum quatuor, quas ſupra dedi, veſtigium occurrat; ubivis autem quatuor illæ aliæ, prioribus ſubſtitutæ, leguntur. Cumque priores illæ tres aut quatuor, ab Auctore publicatæ, quibus ſunt adjectæ illæ quatuor in Weſtphalos iniquæ, editiones *Epiſtolarum* in rariſſimis ſint numerandæ; hinc in eam ſententiam adducor, me, quod ſuis quaſi e tenebris in lucem illas revocaverim epiſtolas, hoc ipſo rem & bonam, & Lectorum plurimis gratiſſimam, feciſſe. Sed dubito, an æque gratam fecerim *Lipſianis* Manibus, qui, inſtauratam ſui criminis memoriam, quam interire forſitan præſtabat, graviter dolebunt. Id enim ſerio egiſſe *Lipſium,* ne quidquam aut a ſe in Weſtphalos, aut a *Domanno* & *Hamelmanno* in ſe, dictorum poſteritati innoteſceret, vel inde ſuſpicari licet, quod in his, quas novas addidit, Epiſtolis, facti excuſandi cauſa ſcriptis, nullam *Domanni,* aut *Hamelmanni,* ne quidem mentionem injiciat, remque omnem ita tecte & occulte tangat verius, quam ediſſerat, ut, qui eam aliunde haud noverit, hinc notitiam haurire aut nul-

nullam, aut valde levem, poſſit. Ipſi vero excuſationi ſi ineſſe multum ponderis dicemus, fiet id amore magis *Lipſii*, quam certo & deliberato cauſæ judicio. Nam, quod atrociora illa dicta interpretari nos *leves, ſcœnatiles, & improvidos jocos*, jubet, &, *nihil luſiſſe ſe in ipſos Weſtphalos, ſed in ea, quæ ad ipſos*, in Epiſtola ad *Monavium* ſcribit, in eo, dubito, an ipſi fidem ſint habituri ii, qui ipſas Epiſtolas legerunt, & urbana illa *hominum ſemihominum, Suilliorum, Scrofarum, Porciorum*, vocabula notarunt, nec, quantum diſcrepet inter joculare ſcribendi genus, & illud *Lipſianum*, ignorant. Quam ſit incomtus Weſtphalorum victus, quam rudes plurimorum mores, dudum conſtat, &, ſi ſola hæc perfudiſſet ſale ſuo *Lipſius*, plauſum ei, feſtive hæc narranti, ut narravit re vera, ab omnibus ſpopondiſſem. Nunc, cum, ingenii laſcivientis impetum longius, quam decebat, ſecutus, ipſam regionem atque gentem contumeliis affecerit, hanc *barbaram* & *ſemihomines* alentem, illam *eremiam*, & Oldenburgum civitatem *nidulum*, vocando, nemo dubitat, juſta eum ipſius gentis odia incurriſſe, & luculenta mali animi ſpecimina edidiſſe. Sed, quoquo modo ſe res habeat, ſatis jam pœnarum *Domanno* & *Hamelmanno* dedit *Lipſius*, nec novam in eum ſatiram ſcribemus, quia, quantumvis aceti habeat, aculeos *Hamelmannianos* minime æquabit. Longiores in narrando fuimus, quod, præter unum *Miræum*, cujus verba paulo ante ſunt prolata, ſcriptores *Lipſianæ* vitæ, quoscunque mihi licuit inſpicere, rei hujus, ſatis, ſi quid judico, & ſcitu & memoratu dignæ, nihil habeant. Unum hoc addo, *Lipſii* quaternas illas de Weſtphalia Epiſtolas, ejusdemque ad *Jacobum Monavium* ſupplicem, cum ipſo *Domanni Apologetico*, acceſſiſſe *Opuſculis variis de Weſtphalia, ejusque doctis aliquot viris*, editis a *Joanne Goes* Helmſtadii *A.* 1668, 4, *pag.* 86 *ſeq.* eademque omnia cum duabus *Hamel-*

manni

ſprime exculti, g) indicem contexere; poſſem ſoli fe-

licitatem

*manni Apologiis*, in hujus *Hamelmanni Operibus genealogico-hiſtoricis de Weſtphalia & Saxonia inferiori*, ab *Ern. Caſim. Waſſerbachio* Lemgoviæ A. 1711, 4, conjunctim editis, a *pag.1379* ad *1464* legi; unde omnem belli hujus, neſcio, civilisne, an literarii, hiſtoriam cognoſces.

g) Si nullum eſt tam vile & abjectum tuguriolum, quod non aliquando virum magnum ac doctrina celebrem eduxerit; ſane de Weſtphalia, ampliſſima illa & plurimis naturæ bonis abundante regione, nemo dubitet, hanc omni tempore cives fama & doctrina florentiſſimos, eosdemque numero non paucos, aluiſſe. Nec negabunt eam laudem Weſtphaliæ, qui non ſunt hoſpites in literaria Hiſtoria, aut qui propius inſpexerunt *Hermanni Hamelmanni* ſcripta tria: *de quibusdam Weſtphaliæ Viris ſcientia claris, qui, exploſa barbarie, puritatem Romanæ linguæ toti Germaniæ attulerunt*, Orationem; *Relationis illuſtrium ſcientia, virtute, pietate, & ſcriptis Virorum, qui vel Weſtphali fuere, vel in Weſtphalia olim vixere, vel inde oriundi, aliis in regionibus claruerunt, præſertim viri Lippienſes, Monaſterienſes, Oſnabrugenſes, Paderbornenſes, Mindenſes, Libros VI*; & *Orationem, ſive relationem hiſtoricam, quod hominibus Weſtphalis potiſſimum debeatur, vel adſcribatur, quod Latina lingua & politiores artes per Germaniam reſtitutæ ſint*; quæ ſingula Opuſcula *Hamelmanni Operibus Genealogico-hiſtoricis de Weſtphalia & Saxonia inferiori*, Lemgoviæ A. 1711 editis, *Erneſt. Caſim. Waſſerbachius*, eorum editor, adjecit; porro *Io. Ludolphi Bünemanni* Programmata tria *de doctis Weſtphalis, ab Hamelmanno plane non, vel minus, memoratis*, Mindæ A. 1713, 4, publicata; *Reinh. Henr. Rollii* Diſſ. Academicam *de Meritis Weſtphalorum in Academiam Roſtochienſem*, Roſto-

chii

chii A. 1707 publicatam; denique *Opuſcula* illa varia *de Weſtphalia, ejusque doctis aliquot viris, a Ioanne Goes* in unum, ut paulo ante dixi, volumen collecta. Habes enim hic, ut cetera, quæ ad ipſam regionem ſpectant, taceam, Scriptores quinque, doctorum in Weſtphalis virorum vitam & in literas merita exponentes: *Hermanni Hamelmanni de vita, ſtudiis, itineribus, ſcriptis, & laboribus Hermanni Buſchii, Nobilis Weſtphali, narrationem;* Henr. Meibomii *de vita & obitu Hermanni Tuliebii, Philoſophi, Poetæ, & Hiſtorici, Carmen;* Nathan. Chytræi *Orationem de vita & obitu Arnoldi Burenii, Weſtphali;* Ioannis Caſelii *ad* Io. Reccium *Epiſtolam, in qua laudat aliquot viros non vulgari doctrina præditos nationis Weſtphalicæ;* & Reineri Reineccii *de vita ſua ad* Henr. Meibomium *narrationem.* Non eſt hujus loci, illorum omnium, quicunque aut doctrina, aut ſcriptis ſuis, Weſtphaliam nobilitarunt, ſive nomina colligere, ſive rerum præclare geſtarum hiſtoriam exponere; quod & alii, paulo ante nominati, præſtiterunt, & præſtare olim in animo habuerunt *Rein. Henr. Rollius,* qui inſtituti hujus rationem reddidit in publico *Programmate,* Francofurti & Lipſiæ A. 1711, 4, edito, & *Chriſtianus de Plettenberg,* qui, ut patet ex *Meibomii Addit. ad Vogleri Introduct. in Notit. Script. pag. 108,* & *Struvii Introd. in not. rei liter. pag 262,* magnum *de illuſtribus viris & ſcriptoribus Weſtphalis* Opus meditatus eſt; nominabo tamen, ut dictis parentis fides ſua conſtet, illorum præcipuos, vel ſic ſatis effecturus, ut Weſtphalia nulli alii regioni præclariſſimorum virtute & doctrina civium copia inferior putetur. Sunt autem præ ceteris in heroum literatorum numero ponendi *Alexander Hegius,* in pago Geih, tractus Monaſterienſis, natus A. 1433, Daventrienſis ſcholæ Rector, *Dialogorum, Epiſtolarum, Carminum,* ſcriptor nobiliſſimus, *Eraſmi, Ioannis Murmellii,* & aliorum, præceptor; *Rudolphus Langius,*

Cano-

Canonicus Monaſterienſis, Poeta paucis ſecundus, cujus vitam & laudes *Herm. Hamelmannus* deſcripſit publica *Oratione*, adjuncta ejus *Operibus genealogico-hiſtoricis de Weſtphalia pag.* 257; *Hermannus Buſchius*, in arce Saſſenburgo, Epiſcopatus Mindenſis, natus A. 1468, Polyhiſtor vere magnus, inprimis vero Poeta *Virgiliano* ævo dignus, cujus vitam ab *Herm. Hamelmanno* deſcriptam paulo ante dixi, cujus & in literas merita juſtis laudibus proſequitur parens meus, *Io. Burchardus*, in Diſſ. *de Græcarum & Latinarum literarum in Miſnia inſtauratoribus* §. 15, idem, qui hujus *Buſchii Lipſica*, ſeu *de laudibus Lipſiæ Carmen*, nova olim luce donavit in Academico *Programmate*, adjuncto ejus *Diſſertationibus literariis pag.* 232; *Hermannus Bonnus*, Oſnabrugæ natus A. 1504, primum Lubecenſis ſcholæ Rector, poſtea in eadem urbe primarius ſacrorum antiſtes, *Chronico Lubecenſi*, *Vitis Martyrum*, *Annotationibus in Acta Apoſtolorum*, aliisque ſcriptis, clariſſimus, cujus vitam ſingulari libello *Caſp. Henr. Starckius* deſcripſit; *Arnoldus Purenius*, in pago Epiſcopatus Monaſterienſis, haud procul a Bura, unde ipſe nomen traxit, natus A. 1485, literarum humaniorum in Academia Roſtochienſi publicus Profeſſor, *Lutheri* & *Melanchthonis* amicus, Orator jucundiſſimus, quem, ut diximus, *Nathan. Chytræus*, *Oratione* publica laudavit; *Hermannus Tulichius*, Steinhemii natus A. 1486, in Academia primum Vitembergenſi Poeſeos, poſtea in Lipſienſi Eloquentiæ, Profeſſor, poſtremo Luneburgenſis Scholæ Rector, Philoſophus, Poeta, & Hiſtoricus egregius, Carmine *Mejbomiano* decantatus; *Io. Rivius*, Attendoriæ in Weſtphalia natus A. 1500, Latinæ linguæ in Miſnia inſtaurator feliciſſimus, Theologus etiam præclarus, doctrinæ æque ac ſcriptorum fama illuſtris, cui quantum debeat Miſnia, copioſe ediſſeruit parens meus in Diſſ. *de Græc. & Lat. lit. in Miſnia inſtauratoribus* §. 30, cujus & vita, eleganter expoſita

poſita a *Georg. Fabricio*, præmiſſa eſt ejus *Operibus theologicis*, a *Io. Oporino* Baſileæ A. 1560 editis; *Nicolaus Goniæus*, Martis primum caſtra ſecutus, poſtea ad Hebrææ linguæ ſtudia, & hanc juventuti prælegendam, converſus, mortuus Roſtochii A. 1589, de quo ita canit *Io. Caſelius* in *Epiſtola* ad *Io. Reccium*, ſupra memorata:

*Goniadem nobis dederat Transveſera tellus,*
*Altrix clara virum, dextraque animoque valentum.*
*Ille etiam fama majorum, Martis alumnus,*
*Se dignum geſſit puer, horrida bella ſecutus:*
*Quem tamen ex acie media in ſua templa retraxit*
*Pallas, & a Muſis Sophia decreta doceri*
*Juſſit, ut ipſe, quibus mentem pectusque poliſſet,*
*Pergeret hinc iisdem teneram formare juventam.*
*Has igitur juſſus partes non ſegnis obibat,*
*Theſaurosque etiam linguæ pandebat Hebrææ,*
*Queis ſine nec Moſen, nec priſca oracula vatum,*
*Quisquam intelligat, aut reſeret myſteria cœli.*
*Nicoleo hæc vita fuit. Nam cetera ſprevit,*
*Lætus ſorte ſua, nulli gravis, omnibus æquus.* &c.

*Conradus Goclenius*, Mengerichii in Weſtphalia natus A. 1454, linguæ Latinæ in Academia Lovanienſi publicus Profeſſor, cujus, præter alia ſcripta, *in Officia Tullii* exſtant *Scholia* doctiſſima; *Paſchaſius Ratbertus*, Abbas Corbejenſis Seculi IX doctiſſimus, cujus *Opera omnia*, cum *vita* Auctoris, A. 1618 *Jac. Sirmondus* edidit; *Hermannus*, Monachus in campo Ciſtercienſis Ordinis, in diœceſi Monaſterienſi, patria Weſtphalus, A. 1440 clarus, cujus & alia, & inprimis *de Poteſtate Papæ & Concilii Liber unus*, circumferuntur; *Theodorus de Niem*, ortu Paderbornenſis, Epiſcopus primum Verdenſis, poſtea Cameracenſis, Hiſtoricus Seculi XIV non ignobilis, cujus *varia Opuſcula* edidit *Io. Ge. Eccardus* in *Corpore hiſt. medii ævi*; *Conr. Heresbachius*, Ber-

Bergerhaſini procul a Minda circa finem Seculi XV natus, JCtus politiſſimus, linguas Græcam & Latinam excellenter doctus; *Commentariis de re ruſtica* inprimis nobilis; *Ortwinus Gratius*, cognomine *Daventrienſis*, Monaſterii natus, ut aliis ſcriptis, ita *Lamentationibus obſcurorum virorum*, notus, quibus famam ſuam tueri ſtuduit adverſus accuſationes *Epiſtolarum obſcurorum virorum; Frid. Staphylus*, Oſnabrugæ natus A. 1514, Theologiæ in Academia Regiomontana Profeſſor, qui poſtea in caſtra Pontificiorum tranſiit; *Ferdinandus* L. B. *de Fürſtenberg*, Epiſcopus Paderbornenſis, celebris ille *Monumentorum Paderbornenſium* editor, Poeta etiam eximius, & doctorum virorum Mecænas maximus; *Io. Leunclavius*, Amelburienſis, de hiſtoria Byzantina meritiſſimus, nemini in republica literaria mediocriter verſato ignotus; *Io. Gryphiander*, Oldenburgenſis, Hiſtoriarum Profeſſor Jenenſis, quo nemo de *Weichbildis Saxonicis* elegantius ſcripſit; *Eilhardus Lubinus*, Weſterſtadienſis, Poeſeos & Theologiæ in Academia Roſtochienſi Profeſſor, cujus quanta fuerit linguarum Græcæ & Latinæ, Antiquitatum item, peritia, politiſſima ejus ſcripta, vulgo nota, loquuntur; *Gothofredus Antonius*, Freudenbergenſis, in Marburgenſi primum, poſtea Giſſenſi, Academia Jurium Profeſſor, tenaciſſimæ vir memoriæ, & de Jure inprimis publico & feudali optime meritus; *Juſtus Feurbornius*, Hervordienſis, magni nominis Theologus, cujus ſcripta, quæcunque edidit, in magno pretio habentur; *Thomas Lindemannus*, in eadem urbe natus, Profeſſor Jurium Roſtochienſis, Autor *Hiſtoriæ Juris Romani*, & aliorum non mediocris pretii librorum; *Io. Cothmannus*, ejusdem urbis civis, & ejusdem Academiæ Profeſſor Theologiæ publicus, ſcriptis variis, inprimis Antipontificiis, aliquod nomen conſecutus; *Meno Hannekenius*, Blaxiæ in Oldenburgenſi ditione natus A. 1595, poſt varia rerum diſcrimina

facro-

ſacrorum Lubecenſium primarius Antiſtes, cujus paſſim celebrantur *Irenicum Catholico-Evangelicum*, & *Grammatica Hebraica*; *Io. Botſacius*, Hervordiæ A. 1600 natus, Rector & Profeſſor Lycei Daneiſcani, ſcriptor variorum argumenti theologici librorum; *Severinus Slüterus*, Halenſis, ſacrorum Hamburgenſium Antiſtes ſenior, cujus varii exſtant, philoſophici partim, partim theologici, libelli; *Steph. Clotzius*, Lippiæ A. 1606 natus, primum Theologiæ Profeſſor Roſtochienſis, poſtea ſacris per terras Holſaticas præfectus, Theologus fortis, conſtans, & eruditus; *Ioannes Glandorpius*, ortu Monaſterienſis, Seculi XVI Philologus & Poeta inſignis, qui, ſi nihil aliud ſcripſiſſet, (ſcripſit autem multa & egregia) uno *Hiſtoriæ Romanæ Onomaſtico* nomen ſuum immortalitati conſecraſſet, *vir magni ingenii, animi non abjecti, diligentiæ incredibilis, judicii dextri*, ut vocatur *Io. Caſſelio* in *Epiſtola* ad *Io. Reccium*, paulo ante nominata; *Marcus Dabercuſius*, *Io. Rivii* diſcipulus, ſcholæ, Suerini recens inſtitutæ, præfectus, ad formandam juventutem natus factusque, qui & ſcripto ſingulari oſtendit, *quemadmodum adoleſcentuli ſolidam principiorum utriusque linguæ cognitionem adipiſcantur*; *Ioannes Boccerus*, haud procul a Minda natus A. 1516, in Academia Roſtochienſi Jurium Profeſſor, Poeta & Hiſtoricus paucis ſecundus, cujus *Annales Regum Daniæ*, & varia Carmina, in magno paſſim pretio habentur; *Wernerus Rolevincius*, ortu Colonienſis, ſub finem Seculi XV varia doctrina, & ſcriptis limatiſſimis, inter quæ facile eminent *Faſciculus temporum*, & *de ſitu & moribus veterum Saxonum Libri III*, clariſſimus, magnus etiam patriæ ſuæ præco, de qua bene meritus eſt edito *de laude Weſtphaliæ* libello; *Ioannes Goes*, vir in colligendis, & ex parte illuſtrandis, *rerum Weſtphalicarum* Scriptoribus, ut ſupra a me dictum eſt, diligentiſſimus; *Hermannus Hamelmannus*, in lucem editus Oſnabrugæ A. 1525,

A. 1525, S. Theologiæ Doctor, & ſacrorum in urbe Oldenburgo Antiſtes primarius, non ultimi ſubſellii Hiſtoricus, cujus publice exſtat *Chronicon Oldenburgicum*, & alia, hiſtoriam Weſtphalorum illuſtrantia, Opuſcula conjunctim edita ſunt, ejusdemque vita ornata, ab *Ern. Caſim. Waſſerbachio* Lemgoviæ A. 1711, 4, cujus & vitam, accurate ſatis conſcriptam, A. 1720 *Io. Georg. Leuckfeldus* edidit; *Jo. Domannus*, Oſnabrugenſis, ſtrenuus ille patriæ ſuæ adverſus obtrectationes *Lipſianas* vindex; *Reinerus Reineccius*, Steinhemi in Epiſcopatu Paderbornenſi A. 1541 natus, nobilis ille *Operum hiſtoricorum ac genealogicorum*, quibus magno ſuo commodo orbis literatus fruitur, ſcriptor, qui ſuam ipſe vitam in Epiſtola ad *Henr. Meibomium*, adjecta Collectioni *Opuſculorum de Weſtphalia Goeſianæ*, deſcripſit, & patriam ſuam in eleganti *de patria ſua, oppido Steinhemo, ditionis Paderbornenſis, Commentariolo*, eidem Collectioni adjuncto, laudavit; *Ioannes Michaelis*, Suſati natus A. 1606, in Lipſienſi Academia Profeſſor Medicinæ publicus, mortuus d. 29 Nov. A. 1667; *Antonius Güntherus Heshuſius*, Oldenburgi A. 1638 natus, in Lipſienſi Academia Organi *Ariſtotelici* Profeſſor publicus, vir in veterum Philoſophorum doctrinis haud mediocriter verſatus; *Lüderus Menckenius*, Oldenburgi natus A. 1658, Profeſſor in Academia Lipſienſi Jurium, & Ordinis JCtorum Præſes, cujus excellentem doctrinam, recti juſtique ſtudium, ferream in ſuſtinendis laboribus conſtantiam, non diſcipuli tantum, quos numero multos & præclaros aluit, ſed cognati etiam, collegæ, uno verbo, quicunque eum propius noverunt olim, pia adhuc memoria recolunt, taciti que admirantur; denique, ſi & hunc addere liceat, avus meus, *Otto Menckenius*, Oldenburgenſis, idem ille, qui hæc diſſerendi occaſionem ſuppeditavit, & plura deinde dicendi materiam ſubminiſtrabit. His unum addam, qui hoc ipſo tem-

tilitatem; h) poſſem hominum, in eo tractu viven-



pore Weſtphaliæ ſuæ gloriam ſuſtinet, in præcipuis Lipſienſis Academiæ ornamentis numerandum, *Fridericum Mentzium*, non ſolum doctrinæ naturalis præcepta publice cum plauſu juventutis explicantem, ſed reliquas etiam liberales quasque artes feliciſſimo ingenio complectentem, Philoſophum ſubtilem & inſignem, Criticum acutum & ſolertem, uno verbo dicam, Polyhiſtora egregium, aut, ſi contemtum habet ea vox ætate noſtra, Virum in omni genere doctrinæ elegantioris vere doctum.

h) Non adeo inculta, ut multis putatur, regio eſt Weſtphalia, ſi fidem habeas peregrinatoribus, aut horum interpreti, *Davidi Chytræo*, in *Oratione de veteris Saxoniæ provincia ampliſſima, quæ Weſtphalia hodie nominatur, Opuſculorum de Weſtphalia* Collectioni *Goeſianæ* adjecta, ita ſcribenti: *Soli etiam Weſtphalici ubertas & bonitas multis in locis eximia eſt. Etſi enim in eo tractu, quem mercatores ſæpiſſime tranſeunt, regio vaſtior & incultior eſt; tamen ad Viſurgin, & circa Suſatum, Hervordiam, Paderbornam, Warburgum, Hoexeriam, & paſſim alibi, fertilibus agris, ac ubique fere lætiſſimis paſcuis, glandiferis ſylvis, iisque non incultis, abundat. Verſus Rhenum & montes Haſſiæ etiam ferri, cupri, plumbi, & aliorum metallorum, ad Corbachium etiam auri, venas non incelebres habet. Et terræ bonitatem, omniumque rerum ad victum pertinentium copiam, frequentia hominum, eam incolentium, & oppida plurima, ac urbes amplæ & populoſæ, Monaſterium, Oſnabruga, Suſatum, Minda, Tremonia, Hervordia, Paderborna, Lippia, Lemgovia, Weſalia, & ceteræ, recta deſcriptione & ſplendore ædificiorum, & civium multitudine ac humanitate, paucis in Germania cedentes, oſtendunt.*

tium, mores i) extollere, ſi quidem prolixus eſſe laborarem. Nobis enim ſuffecerit, hujus, ut mitiſſime dicam, levitatis ipſum poſtea *Lipſium* pœnituiſſe; quemadmodum ex apologetica ejus ad *Jacobum Monavium* epiſtola abunde patet. Patrem k) habuit Noſter *Ioannem*, mercatorem ac Sena-

i) Audiamus eundem *Chytræum*, de Weſtphalis, horumque moribus, magnifica omnia dicentem: „Domi Weſtphali, & privata & publica diſciplina, ad pietatem, ad virtutem, & omnia juſtitiæ officia, & præcipue ad laborem, aſſuefiunt. Ut autem homines, nihil agendo, male agere diſcunt; ita rurſus honeſtis laboribus multæ malæ commoditates & vitia reprimuntur. Itaque, cum noſtra ſit ſapiens operum, parvoque aſſueta, juventus, & corpora laboribus durentur, luxum & voluptates aſpernantur, & de pluribus bene mereri, & poſtea moleſtias ac onera gubernationis, ad quam in his etiam propinquis urbibus plurimi adhibentur, facilius perferre, poſſunt: imo ad gubernationem eo ſtudioſius provehuntur a prudentibus, quia bene parere honeſtis imperiis, & officioſi, ac diligentes, & fidi in mandatis ſibi functionibus, eſſe a pueris aſſueverunt.„

k) Natus fuit hic *Ioannes* A. 1607, mortuus A. 1688. Patrem habuit *Ottonem Menckenium*, civem & mercatorem Oldenburgenſem, mortuum d. 27 Dec. A. 1617, cui frater fuit *Gerdt Menckenius*, civis & mercator Oldenburgi, pater *Eilbardi*, Archi-Sacerdotis (ita vocatur) Marienwerderæ in Pruſſia, & *Gerdtii*, civis & mercatoris Oldenburgenſis; matrem *Geſchiam Hauſſmanniam*, ſartoris aulici in urbe Oldenburgo filiam, quæ marito, præter hunc *Ioannem*, genuit *Geſchiam*, *Talckium*, & *Helmericum*; avum paternum, *Helmericum*, in eadem urbe civem & merca-

Senatorem apud Oldenburgenſes ſpectatiſſimum, qui integer vitæ ſceleriſque purus creditus eſt omnibus, exemploque illis etiam fuit, quos profunda animi ſubmiſſione colebat. Etſi enim parum ſplendida ſorte uteretur; tanta tamen illius apud cives exiſtimatio fuit, ut, cum pictor ejus imaginem prope feneſtram ſolis radiis expoſuiſſet, plures, agnoſcentes hominis ſimilitudinem, eam nudato capite venerati ſint. De cujus optimi ſenis fatis (nam ad ætatis annum ſecundum & octogeſimum pervenit,) ſi ad vos fari uberius vellem, Auditores, dies me citius, quam diſſerendi jucundiſſima



mercatorem. *Ioannes* hic ex *Anna Sophia Spieſsmacheria*, *Lüderi Spieſsmacheri*, Conſulis Oldenburgenſis, cui pater fuit *Ioannes Spieſsmacherus*, mercator & civis Oldenburgenſis, & *Eliſabethæ zur Helle* filia, nata A. 1617, mortua d. 5 Octobr. A. 1659, genuit, præter *Ottonem* noſtrum, *Eliſabetham*, natam d. 8 Julii A. 1642, *Annam Chriſtinam*, natam d. 3 Febr. A. 1646, nuptam *Chriſtiano Snedermanno*, mercatori Bremenſi, *Sophiam Catharinam*, nat. d. 20 Maji A. 1651, *Rebeccam*, nat. A. 1650, mort. d. 19 Maji A. 1651, *Lüderum*, nat. d. 2 Jul. A. 1651, mort. d. 8 April. A. 1660, *Eliſabetham*, nat. d. 29 Jun. A. 1652, *Ioannem*, mercatorem & ſenatorem Oldenburgenſem, nat. d. 2 April. A. 1653, mort. d. 25 Mart. A. 1697, *Eliſabetham Sophiam*, nat. d. 13 Junii A. 1654, nuptam *Ioanni Schmidio*, in urbe Oldenburgo Proviſori Eccleſiarum, *Antonium Guntherum*, nat. d. 18 Febr. A. 1656, mort. d. 21 Dec. 1657, *Catharinam*, natam Cal. Martiis A. 1657, mortuam d. 4 Maji A. 1703, uxorem *Chriſtophori Pfautzii*, Publici Mathematices in Academia Lipſienſi Profeſſoris.

diſſima materia, deficeret. Sæpe enim, maxime cum in Norvagia iter faceret, mediis in ſylvis, equo ad proximam arborem alligato, pernoctavit, & obſcura nocte in aëre ſonitum tubarum (ita enim narrabat,) caniumque non ſemel percepit, quæ phantaſmata exercitus furioſi nomine vulgo veniunt. At fortunarum ſuarum initia fato adſcribebat. Cum enim inter ipſos belli tumultus ad nundinas in Holſatia, promiſſa indemnitate, invitarentur mercatores, & nemo alius ſarcinas afferre auderet; tum ſolus avus meus, quicquid habuit pannorum, adduxit atque explicavit, totque ſubito emtores reperit, ut intra unius diei ſpatium pannos ad unum omnes, quo vellet pretio, divenderet. Hinc majori indies felicitate uſus, cum e dulciſſimo matrimonio, cum *Anna Sophia, Lüderi Spieſsmacheri*, Conſulis Oldenburgenſium graviſſimi, filia, inito, primogenitum *Ottonem* ſuſcepiſſet, nihil prætermiſit, quod ad illum perpoliendum mature erudiendumque pertineret. Non potuit autem diu celari egregia ejus indoles, quin erupit continuo in puero incredibilis ardor addiſcendi bonas literas, adeo, ut ei reliqua omnia ſordere quodammodo viderentur. Ferebatur autem jam tum amore in hiſtorias præcipuo, rerumque novarum percurioſus erat; quare ad tabellariorum, qui novellas publice impreſſas afferebant, fores diligenter excubabat, nec adduci poterat, ut eas, uti juſſus erat, ad ædes paternas prius deferret, quam ab initio ad finem perlegiſſet ipſe; quæ curioſitas ipſi perpetua ac plane ſingularis fuit, adeo, ut primus exſtiterit in Academia noſtra, qui Novel-

las

lis magno applauſu privatis ſcholis explicaret, quod & alii poſtea non exiguo auditorum fructu fecerunt. Optabat pater, quandoquidem erectum atque alacre in illo ingenium perſpiciebat, quo, non ignorabat, quantum expediat, inſtructos eſſe, qui mercaturam exercere cupiunt, ut filius eandem, quam ipſe, vitæ rationem amplecteretur ac probaret. Igitur, cum is nondum ex ephebis egreſſus eſſet, ut, qua eſſet in expediendis negotiis agilitate experiretur, juſſit *Ottonem* faſciculum quendam ad amicum deferre; cujus rei cauſam cum ſatis Noſter intelligeret, quamprimum foras egreſſus eſt, faſciculum in ſubjectam aream projecit, totaque via impulſis per vices pedibus promovit. Hanc etſi petulantiam in puero nequaquam probaret pater; ſubriſit tamen, atque eum ab illo tempore optimis præceptoribus tradere, ac literarum ſtudiis imbuere, prorſus & omnino conſtituit. Prædicabat hic Noſter ante alios *Eilardi Foltenii*, Paſtoris poſtea Jeverenſis, diligentiam; cujus privata inſtitutione feliciter uſus eſt; atque huic tribuendum exiſtimaverim, quod Grammaticæ præcepta non juventuti tantum commendaret identidem atque inculcaret, verum & adoleſcentibus, atque adeo adultis, quin illis ipſis, qui ad ſenilem ætatem pervenere, nunquam cenſeret librum hunc e manibus deponendum. Quamobrem & in omni vita, & poſtremo quoque, quamvis ſexagenario major, nunquam aliquid vel meditatus eſt, vel Latina oratione, quam quidem in poteſtate habebat, compoſuit, quin Grammatica præcepta, quibus aſſuetus puer fuit, ſubinde conſuleret.

Sed redeo ad præceptores, quos inter ſcholæ patriæ Rectorem, *Jacobum Stephani*, l) Polyhiſtorem inſignem, ſcriptisque eruditis in lucem publicam emiſſis, percelebrem, & Collegas ejusdem ſcholæ alios, numerabat. Memini autem, eum ſæpius de trivialium ſcholarum defectibus conqueſtum, quod tot ingenia, natura æque ac cultu diverſa, ad eadem ſtudia eadem via & ratione deducantur. Ita, cum puer admodum a Poeſi eſſet alienior, ſatis ſe feciſſe credebat, ſi *Ærariaq poetica*, *Fleviſſas*, *Mantiſſas*, *Poeticas*, & id generis libellos alios, nullo delectu in conſilium adhibuiſſet. Quare non ſine delectatione nonnunquam recordabatur, quod, cum ſententiam illam *redire in uterum matris*, carmine efferre vellet, ſatis ita magnifice, conſulto Ærario, ceciniſſe ſibi viſus ſit:

*Matris & in ventrem greſſus glomerare ſuperbos.*

Hinc, cum, ingens diſcendi deſiderium in patria ſatis implere ſe haud poſſe, intelligeret, ipſi pater auctor fuit, ut, cum primum ad pubertatem perveniſſet, ad vicinum, quod Bremæ floret, Gymnaſium illuſtre dimitteretur, m) ubi non

l) Neque tamen, quod mireris, hujus viri nomen invenias in *Lexico Eruditorum Menckeniano*, aut, ſi mavis, *Jöcheriano*; nec mihi ipſi quidquam notum eſt ſcriptorum hujus viri, in quo laudando, nimium dediſſe amori erga præceptorem patris ſui videtur *Joannes Burchardus* noſter.

m) Refert *Ottonem* inter Gymnaſii Bremenſis alumnos Cel. *Conradus Ikenius* in *Oratione de illuſtri Bremenſium ſchola magnarum ingeniorum ſemi-*

*morumque*

non tantum *Hipſtedio*, n) *Wagenfeldio*, o) *Ke-*



*morumque in omni ſcientia virorum alma atque fæcunda matre*, A. 1741 edita, *pag.* 30. Idem in *Notis*, huic *Orationi* adjectis, *pag.* 128, adhuc nomen *Menckenii* in albo Gymnaſii, eidem A. 1660 inſertum, legi, teſtatur. Honorifica inprimis avo meo verba ſunt *Ikenii*, atque adeo digna, quæ huc transſcribantur integra: *Celeb. hunc virum quoque noſtras aliquando coluiſſe Muſas, at nomen, albo A. 1660 inſertum, teſtatur, eo impenſius nobis gratulamur, quo magis dein tam invidenda doctrinæ copia, quam præcipue ævum laturis Actis Eruditorum, quorum ipſe primus conditor fuit, quorumque decus adhuc digniſſimi poſteri tuentur, immortalem ſibi famam peperit.*

n) Fuit hic, prænomine *Ioannes*, ortu Bremenſis, natus in hac urbe A. 1612, Gymnaſii primum Franeckerani Rector, poſtea linguæ Græcæ, Eloquentiæ, & Hiſtoriarum, in patrio Lyceo Rector, & Senatus Bibliothecarius, mortuus A. 1682, ultimo Decembris, ætatis anno ſeptuageſimo, cujus hæc exſtant ſcripta: *Collationes philologicæ in Epiſtolam ad Romanos; Delineatio Eccleſiæ Dei tum ſub Veteris, tum ſub Novi, Fœderis œconomia; Diſpoſitiones oratoriæ & epiſtolicæ; Analytica in N. Teſtamentum univerſum, & partem Veteris; Diſpoſitiones hiſtoricæ fœderum divinorum; Orationes; Poemata*, & minoris momenti alia. Memoriam ejus conſervavit *Henningius Witte* in *Diario biographico ad A. 1681*, & S. Rev. *Conr. Ikenius* in *Oratione*, paulo ante nominata, *pag. 127 ſeq.*

o) Logicam & Metaphyſicam *Henricus Wagenfeldius* in Gymnaſio Bremenſi per annos quadraginta docuit, mortuus in extrema ſenectute d. 30 Nov. A. 1689. Scripſit *Metaphyſicam compendiariam, Logi-*

*nio*, p) aliisque viris eruditiſſimis, adhæſit, verum & a celeberrimi inprimis *Henrici Kippingii* q) ore ſedulus pependit, tantumque in omni

Logicam, & *Diſputationes philoſophicas* complures, ſed illius ſeculi ſpinas & barbariem olentes. Agit de eo idem *Wittenius Tom. II Diarii biogr. ad A.* 1689, & *Ikenius loc. cit. pag.* 118 *ſeq.*

p) Bremam patriam habuit *Franciſcus Kœnius*, S. Theol. Doctor, ejusdemque & Philoſophiæ practicæ in Lyceo patrio Profeſſor, mortuus d. 30 Jan. A. 1689, ætatis tertio & ſexageſimo. Ditavit orbem eruditum ſcriptis variis, quorum præcipua hæc ſunt: *Inſtitutio ſynoptica Ethicæ, Oeconomicæ, & Politicæ; Diſputationes* Franciſci Burmanni *contractæ; Axiomata Aretologica;* Diſputationes *de Felicitate morali, de Civitate, de Ratione ſtatus tum imperantium, quam parentium.* Vid. ejusdem *Wittenii Tom. II Diar. biogr. ad A.* 1689, & *Ikenii Orat. cit. pag.* 76.

q) Ut laudetur *Kippingius*, vel nominaſſe *Antiquitates* ejus *Romanas*, ut ſæpiſſime, ita eleganter inprimis Lugduni Bat. A. 1713, 8, editas, ſatis erit. Etſi enim plura, nec ea nullius pretii, doctrinæ & induſtriæ *Kippingianæ* monumenta exſtent, *Hiſtoriæ* nempe *univerſalis recenſus, de Cruce & Cruciariis Liber ſingularis, Auctarium Epitomes Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, a Jo. Pappo editæ, Methodi Juris publici Libri II, Inſtitutionum politicarum methodicarum Libri II, Exercitationes de Scriptura Sacra, Inſtitutiones phyſicæ, Animadverſiones in Aubrii Prætenſiones Gallicas, Baſtum jorriſticum, Tractatus de natura & conceptu Dei*, ut cetera, maximam partem philoſophica, Opera etiam poſthuma, conjunctim edita, taceam; nullo tamen majorem, quam doctiſſimo illo *Antiquitatum Romanarum* Ope-

omni vita, Bremæ literis operam dediſſe, lætatus eſt, ut, quoties Gymnaſii hujus mentio injiceretur, animus ei mirum in modum videretur ſubſultare. Memini, eum, ſi minima etiam referre par eſt, ſæpius inter alia narraſſe, quod Comœdiæ de *Joſepho*, publice a Gymnaſii alumnis repræſentatæ, ipſe quoque actor interfuerit. Hic ita rem inſtruxerant juvenes, qui ipſi omnia ad ſuum ingenium fingebant, ut, quo varias *Joſephi* ætates recte exprimerent, tres omnino perſonas, ſtatura diverſas, in ſcenam producerent, quos inter medius *Otto* noſter, alter ſtatura major, tertius minor, erat. Accidit vero paulo poſt, ut, nimium indies increbreſcente natandi, frigidisque balneis utendi, conſuetudine; graviter præceptores

Opere, inter eruditos famam conſecutus eſt. In Bremenſi Gymnaſio munus Conrectoris adminiſtravit; quem in locum mira eum fata deduxerunt, copioſe enarrata in *Io. Burch.* & *Frid. Ottonis Menckeniorum Bibliotheca Virorum militia æque ac ſcriptis illuſtrium pag.* 260. Diem ſuum obiit A. 1678, d. 26 Febr. in ipſa cathedra apoplexia correptus. Vita ejus deſcripta eſt a *Io. Havighorſtio*, in urbe Bremenſi V. D. Miniſtro, & Eloquentiæ Prof. Publ. quam legimus in fronte *Antiquitatum Romanorum Kippingii*, Lugduni A. 1713 editarum. Ceterum notatu dignus eſt error Editoris *Hiſtoriæ literariæ Gundlingianæ*, qui, Jenæ aut Lipſiæ inſtitutione *Kippingii* uſum, ſcribit, *Menckenium*, quas in urbes, dubito, an unquam pedem intulerit *Kippingius*. Ita ſcilicet verba Editoris *loc. cit. Parte III pag.* 4048 *not. y.* 70: *Nachhero aber zog er auf die Univerſitæten Leipzig und Jena, allwo er unter Henrico Kippingio, &c. ſeine Studia proſequirte.*

res admonerent ſuos diſcipulos, ne anceps periculum ſubirent. Hic nihilo minus perſonatus *Joſephus* major una cum minore alacri ſaltu in Viſurgim ſe projecit, addito epiphonemate:

*Nitimur in vetitum ſemper, cupimusque negata.*

Sed hæc poſtrema eorum vox fuit; quippe mox procelloſo gurgite rapti uterque, miſere interierunt, quorum caſu adeo perculſus eſt animus *Ottonis*, eandem cum illis perſonam paulo ante in theatrum introducentis, ut nihil ipſe unquam præpoſtere acturum ſerio ſtatueret, abunde quippe intelligens, quantum, a majorum præceptis defeciſſe, noceat. Jam decimum octavum ætatis annum attigerat, & poſcebat ratio, ut, quamvis in hoc ipſo Gymnaſio ſublimiores etiam diſciplinas non a primo, quod ajunt, limine ſalutaſſet, verum potius in ſuccum atque ſanguinem converſiſſet, in ſcholam tamen ſuperiorem ſe conferret, ut vel nondum ſatis percepta addiſceret, vel præmia certe ſtudiorum elegantiſſimorum nanciſceretur. In eo itinere, quod illi primum fuit, durius fatum expertus eſt. Etſi enim ab hoſtibus tum metuendum nihil eſſet; in latronum tamen incidit cohortem, a quibus & annulo, & pecuniis nonnullis, & gladio, ſpoliatus eſt. Sed nihil in his deploravit magis illo tempore, quam gladium, affabre elaboratum, ut ſolent novelli ſtudioſi, cum primum Academiam ingrediuntur, arma in locum præcipui ornamenti atque decoris habere; quibus ereptis, Noſter quoque, juvenili animo calamitatem ſuam metiens, neſcio quid ſiniſtri de

vita

vita Academica ſibi præſagiebat. Ceterum jam tum luculentum Bibliothecæ, quamvis perexiguæ, fructum expertus eſt. Nam, cum prædatores, peram ejus attrectantes, libellos illic contineri, animadverterent, intactam reliquere, eoque haud modicam pecuniæ ſummam, intra volumina reconditam, Noſter lucratus eſt. En, quanto nobis præſidio ſint literæ, quantumque interſit, comites ubique habere libros, qui non tantum animos mortalium inſtruunt, verum eos contra vim omnem atque impetum barbarorum fortiſſime tuentur. Nam &, cum aliquot poſt annos media hyeme ſceleratiſſimi quidam homines in publica via eum aggrederentur, qui multo eum inclementius habuere, quippe & pallio, & amictu omni, una cum interiore tunica, quæ proxime induſium tegit, exutum, & verberibus inſuper male mulcatum, pellem tamen, libris æque ac nummis refertam, integram atque inviolatam habuit. Advenit r) denique Lipſiam noſtram, quo tempore de abrogando Pennaliſmo, conjuncta cum ceteris Academiis opera, vehementer laboratum eſt; quam ſtudiorum peſtem cum ex ipſis Profeſſoribus

r) Venit Lipſiam noſter A. 1662, ætatis ſuæ tenellæ octavo & decimo conſtitutus. Parum accurate ſcribunt Auctores *Supplementi ad Lexicon Morerianum loc. cit.: Il retourna à Leipſic*, quaſi jam ante Lipſiæ egiſſet Noſter, atque tunc, cum Academiam novellus civis ſalutaret, ex itinere neſcio quo rediiſſet Lipſiam. Non ſane hic ſecum ipſi concordant Auctores illi, qui, cum reverſum in hanc urbem dicant, meminiſſe etiam ejus temporis, quo primum huc conceſſerit, debebant, quod nec factum ab illis eſt, nec fieri potuit omnino.

bus nonnulli clam fovere etiamnum viderentur, metuit utique Noſter, ne fraudi ipſi olim eſſet, quod Pennalium, quos vocabant, numero adſcriptus non fuiſſet. Hoc malum ut prorſus demum tolleretur, ſtudioſi juvenes, quicunque in noſtra Academia commorabantur, novis quibusdam, iisque durioribus, legibus ſanctiſſimo jurejurando ſeſe obſtringere jubebantur, idque, ut temporis compendium fieret, quadraginta una aut quinquaginta juvenes ſponte & ultro præſtabant, quos inter pleroſque, peccandi libidine ab alio in alium propagata, pejeraſſe, eventus docuit. Hic ex univerſo cœtu ſolus Noſter juramentum renuit, &, a ceteris paulum digreſſus, cum ad privatum inde colloquium admiſſus eſſet, adeo valida attulit argumenta, ut, tenerrimam hominis conſcientiam nequaquam onerandam, decreverint Academiæ Patres. Hoſpitem Lipſiæ primum nactus eſt *Gothofredum Slüterum*, s) Profeſſorem Publicum, de Academia noſtra immortaliter meritum, quo pie defuncto,

s) Fuit hic in Academia Lipſienſi Organi Ariſtotelici Profeſſor publicus, & S. Theologiæ Licentiatus, Gottingæ patre cognomine, Sacrorum primum Gottingenſium, poſtea Oldenburgenſium, primario Antiſtite, natus d. 22 Sept. A. 1605, mortuus Lipſiæ d. 26 Mart. A. 1666. An, præter *Commentarium analyticum ſuper Organum Ariſtotelicum*, quidquam ſcriptorum reliquerit, equidem neſcio. Vitam ejus, ex concione funebri D. *Eliæ Sigism. Reinharti*, Paſtoris Lipſienſis ad Ædem S. Nicolai, excerptam, legat, cui lubet, in *Pauli Freheri Theatro virorum erud. clar. pag. 1552.* Habet & de eo nonnulla *Io. Iac. Vogelius* in *Leipzigiſchen Geſchichtbuch, oder Annalibus, pag. 603 & 720.*

cto, in tuum, Vir ſumme maximeque Reverende, Ampliſſime atque Excellentiſſime, *Joannes Oleari*, t) Patrone atque Collega venerande, hoſpi-

t) In re literaria plane hoſpes ſit oportet, cui ignota ſint, ut gentis *Olearie* univerſæ, ita hujus maxime *Ioannis*, magni & excellentis Theologi, in omne literarum genus merita. Ortu is Halenſis fuit, qua in urbe natus eſt d. 5 Maji A. 1639, patre *Gothofredo Oleario*, magni item nominis Theologo. In Academia Lipſienſi Græcæ primum linguæ, poſtea Theologiæ, Profeſſor, utrumque munus ita ornavit, ut non domi ſolum, ſed penes exteros etiam, in magnam doctrinæ exiſtimationem venerit. Quicquid enim ſcriptorum edidit, limatum eſt omne, ſucci plenum, & elegantiori doctrina conditum. Hoc in numero ſunt *Exercitationes* ejus *LII in Epiſtolas Dominicales; Liber de Stylo N. Teſtamenti; Conſiliorum theologicorum Volumina duo; Theologia moralis; Introductio in Theologiam caſuiſticam; Hermeneutica ſacra; Diſſertationes theologicæ 106, & Philoſophicæ 61*, ne quid dicam de *Programmatibus* & *Orationibus Academicis*, ſigillatim editis, quibus ſi conjunctim publicari contigiſſet, forſan hinc etiam famæ *Olearianæ* non leve incrementum acceſſiſſet. Nec, quod gratus prædico, male meritus eſt de *Eruditorum Actis*, quæ communi ore *Lipſienſia* vocari ſolent, in quibus condendis eo & docto & diligenti ſocio uſus eſt olim avus meus. In extrema ſenectute obiit d. 6 Aug. A. 1613, in eo imprimis felix, quod filios tres in eadem Academia publice cum plauſu docentes vidit, *Gothofredum*, Theologum incomparabilem, *Joannem Fridericum*, Jureconſultum doctum, & *Georgium Philippum*, Græcæ & Latinæ linguæ Profeſſorem, cujus funus nuper demum extulit Academia noſtra, magnam floris atque incrementi ſui par-

hoſpitium benevole receptus eſt, quo cum fuerit per complures annos uſus, nunquam ſine gaudio atque oblectatione vitæ illic tranſactæ meminit, & ſuaviſſimæ inprimis amicitiæ, quam, cum venerando hoſpite contractam, per omnem vitam ſartam tectamque conſervavit. Ceterum viros celeberrimos, *Franckenſteinium*, u) *Rap-*

partem nobiliſſimæ *Oleariorum* genti referens acceptam. Condecorati ſunt Manes *Ioannis Elogio* ampliſſimo & ſatis honorifico in *Actis Eruditorum Anni 1713 Menſ. Sept. pag. 428.*

u) Tulit hunc, prænomine *Chriſtianum Fridericum*, Lipſia noſtra d. 20 Aug. A. 1621. Latinam linguam & Hiſtorias publice hic cum plauſu docuit, & inter Philologos ſuperioris Seculi clariſſimos locum non ultimum obtinuit. E vita exceſſit ipſis Calendis Novembris A. 1679. Præter *Notas in Benj. Prioli Hiſtoriæ Gallicæ Libros XII, Diſputationes* aliquot Academicas ſcripſit, dignas omnino, quæ hic nominatim indicentur. Sunt vero hæ: *de Terræ motu; de Ephialte, ſeu Incubo; de Philoſtorgia; de Antipathia nationum; de Conſule Romano; de ratione exigendorum tributorum; de Ærario Romano; de Epiſtola Pauli ad Philemonem; de novo anno;* quibus addimus *Orationem, anniverſariæ Ioannis Georgii I, El. Sax. memoriæ conſecratam.* Programma Academicum, in funere hujus *Franckenſteinii* editum, unde vitæ & ſcriptorum ejus plenior peti notitia poteſt, exhibet *Frid. Caſp. Hagenius* in *Memoriis Philoſophorum, Oratorum, Poetarum, Hiſtoricorum, & Philologorum, ætatis noſtræ clariſſimorum, pag. 58.* Brevibus etiam de eo egit Illuſtris Academiæ Gottingenſis Anteceſſor, *Ge. Chriſt. Gebauerus*, in *Collegiorum Lipſienſium Gelliani & Anthologici hiſtoria*, præmiſſa

*Rappoltum*, x) *Thomaſium*, y) & *Alberti*,

missa ejus *Anthologicarum Diſſertationum Libro pag.* 37 *ſeq.*

x) Inter præcipua ornamenta ſua numeravit olim *Fridericum Rappoltum* Lipſienſis Academia, Thomanæ primum, poſtea Nicolaitanæ, ſcholæ Conrectorem, inde Dialectices, tum Poeſeos, tandem Theologiæ, Profeſſorem publicum, Philologum, Poetam, & Theologum inſignem, cui cum doctrina excellenti magna ingenii ſuavitas conjuncta fuit. Natus eſt Reichenbaci d. 26 Jan. A. 1615, mortuus Lipſiæ d. 27 Decembr. A. 1676. Edidit libros non ſolum doctos, ſed ex parte etiam lectu jucundos, *in Horatii Sermones & Satiras Commentarium, Obſervationes in Epiſtolas ad Titum & Coloſſenſes, Synopſin Controverſiarum, in Epitome Formulæ Concordiæ occurrentium.* Taceamus ceteros, inprimis vero mellitæ dulcedinis Carmina, & Diſſertationes Academicas. Scripta ejus theologica & exegetica, argumenti partim theologici, partim literarii, *duobus Voluminibus* diſtincta, conjunctim edidit *Io. Benedictus Carpzovius*, forma 4, Lipſiæ A. 1695; *Poëmatum* vero editionem A. 1670, 12, curavit *Frid. Bened. Carpzovius*, Polyhiſtor ille, cui ſimiles paucos tulit Lipſia noſtra. Memoriam vitæ & ſcriptorum *Rappolti* conſervarunt *Paulus Freherus* in *Theatro viror. erud. pag.* 719, & Ill. *Go. Chriſt. Gebduerus loc. cit. pag.* 34.

y) Ut magnum eſt & illuſtre in literaria Republica *Thomaſiorum* nomen; ita præ ceteris palmam ſuo jure tenet *Jacobus* pater, cum filiis duobus, *Chriſtiano*, & *Godofredo*, ſolo adhuc ſuperſtite, quorum merita enarraturo vix integrum volumen ſufficeret. Ad *Jacobum* ſpectat oratio parentis mei, natum Lipſiæ d. 25 Aug. A. 1622, & in patria Academia,

*ti*, *z*) aliosque, non tantum publice docentes,

demia, ut alia munera taceam, primum Philoſophiæ moralis, inde Dialectices, tandem Eloquentiæ, Profeſſorem, Philoſophum & elegantiorum literarum doctorem excellentem, virtutibus etiam, inprimis pacis & honeſtatis ſtudio, condecoratiſſimum. Multa de eo præclare & magnifice commemorari poſſent; ſed hæc partim noſtra pagina non capit, partim in vulgus dudum ſunt notiſſima. Id nunc addimus, ſcriptorum, quæ tantam, quanta vix eſſe major poteſt, famam ei pepererunt, præcipua haberi *Origines Hiſtoriæ Philoſophicæ & Eccleſiaſticæ*; Diſſertationem *de Stoica mundi exuſtione*; Librum *de Plagio literario*; *Philoſophiam practicam*, Diſſertationes Academicas, maximam partem ad antiquitates & literarum hiſtoriam ſpectantes; *Orationes* item & *Programmata*, a filio *Chriſtiano* conjunctim edita. Fatalis ei fuit dies 12 Sept. (nonum habet *Lexicon Eruditorum Menckenio-Jœcherianum Art. Thomaſius*, ſeptimum *Henning. Wittenius* in *Diario biographico ad A. 1684*,) anni 1684. Ex ſchola ejus, tanquam ex equo Trojano, prodierunt diſcipuli doctiſſimi, quorum multos Academia noſtra habuit & fama & doctrina præceptori ſuo ſimillimos. Vitam & merita *Thomaſii*, nunquam ſatis laudanda, adumbrata magis, quam deſcripta, ſunt a *Io. Iac. Hoffmanno* in *Lexico univerſali Art. Thomaſius*; *Henning. Wittenio loc. cit. Io. Iac. Vogelio* in *Leipzigiſchen Geſchichtbuch pag. 835*, *Frid. Caſp. Hagenio* in *Memoriis Philoſophorum*, &c. *Decad. VII pag. 203*; & *Dan. Frid. Pœnmanno* in *Vitis Virorum ex quavis Facultate clariſſimorum pag. 171*.

z) Eſt is *Valentinus Alberti*, Philoſophus, ut illa tempora ferebant, ſolers & acutus, Theologus autem non ſolum doctrina magnus, ſed animoſus etiam, & adverſus Pontificios capitali odio inflammatus. Lucem adſpexit Lehnæ in Sileſia d. 15 Dec. A. 1635. Publi-

tes, ſed privatas quoque ſcholas aperientes, ſummo ſemper ſtudio audiendos ſibi ſtatuit, eorumque doctrinas tanta cum voluptate, tantoque cum fructu, hauſit, ut eo ipſo, quo in Academiam delatus eſt, anno a) Philoſophiæ & optimarum artium Baccalaureus, & mox ſequenti b) Magiſter, applaudentibus Muſis & cunctis Gratiis, crearetur. Regnabant illo tempore ſpinoſa Logicæ ac Metaphyſicæ ſtudia, in quibus quo quis magis excellebat, hoc doctior, hoc peritior, credebatur. Itaque Noſter quoque tanto paulatim ho-



Publice Logicam & Metaphyſicam, nec non Theologiam, ſed hanc extra ordinem, docuit, magnam felicitatis ſuæ partem in auditorum frequentia reponens. Si ſcriptorum, ab eo editorum, copiam ſpectes, dubito, an hoc *Alberti* diligentiorem unquam Academia noſtra doctorem habuerit. Illa omnia nominatim exhibet *Henr. Pippingius* in *Memoriæ Theologorum noſtra ætate clariſſimorum Decade V pag. 678 ſeq.*, ubi & Programma Academicum, in funere *Alberti* publicatum, integrum exhibetur. In illis, ſi induſtriam ſcribentis ſpectes, præcipuam laudem habent *Juris Naturæ Compendium*, *Auguſtana Confeſſio, theologice & apologetice pertractata*, *Examen Confeſſionis fidei Tridentinæ*, & *Theologiæ poſitivo-polemicæ B. Hieronymi Kromayeri Continuatio*. Controverſiæ ei cum Pontificiis, *Sam.* item *Puſendorſio*, *Phil. Jac. Spenero*, & aliis, non ſolum multæ, ſed acres etiam, & juſto pæne acerbiores, fuerunt. Funus ejus extulit Academia d. 15 Sept. A. 1697.

a) Anno nempe, ut ſupra dixi, 1662.

b) Factum hoc putes, ſi verba parentis ſequaris, anno 1663; ſed verius in *Programmate funebri* nominatur annus 1664.

rum ſtudiorum captus eſt amore, ut, inanes tantum quæſtiunculas & aucupia verborum ſectatus, cetera omnia ſusque deque haberet. Non poſſum me continere, quin rideam, quoties titulum, lego Diſſertationis publicæ, qua inter Salanos quoque Magiſtros eodem anno, quo Lipſiæ c) jura Magiſtri adeptus eſt, locum ſibi peperit. d) Quid vero pulcrius, quid magnificentius, hoc titulo: *De Præciſione inter creata realiter identificata, num objectiva ſit, an vero tantum formalis*. En quæſtionem vere Magiſterialem, dignamque, quæ eruditorum principes exerceat. e) Nec levis

c) Eodem anno, quo lauream philoſophicam obtinuit, ut hac dignum ſe oſtenderet, in cathedra defendit Diſputationem, ſed ſatis, ut erat ſeculum, tricis involutum dialecticis: *de Identitate intellectus & voluntatis inter ſe, & cum anima.*

d) Hoſpitem Jenæ nactus eſt *Ioannem Zeiſoldum*, Phyſices Profeſſorem publicum, antiquioris Philoſophiæ ſtrenuum defenſorem, cujus etiam ſcripta bene multa exſtant, ſed quæ plus laboris habent, quam acuminis, illa quippe ætate ſcripta, qua Scholaſticorum barbaries & moroſa obſcuritas per ſcientias arteſque omnes, truculenti inſtar tyranni, regnabat. Natus fuit in pago Gauren, tractus Rondeburgenſis, in Ducatu Altenburgico, d. 7 Jul. A. 1599; mortuus Jenæ A. 1667 menſe Junio. Vitam ejus, ſi placet, cognoſcas ex *Io. Caſp. Zeumeri Vitis Profeſſorum Jenenſium Claſſe IV pag. 88.*

e) Scilicet magna tunc temporis in talibus ineptiis laus quærebatur, &, quo quis longius aberat a vera ſapientia, hoc ſapientior putabatur. Omnes in vocabulis, definitionibus a nomine petitis, diviſionibus infinitis, locorum topicorum, ſpinis,

levis ea viſa eſt Magiſtris Jenenſibus; quin utrinque acriter quaſi pro aris & focis diſputatum. Nam & audax facinus aggredi Noſter videbatur, quod juvenis, & aliunde delatus, quæſtionem ex intima maximeque recondita Philoſophia in cathedram producere, & cum præſtantiſſimis vitilitigatoribus in arenam deſcendere, non dubitaret. Gloriabatur ante alios vir non ineruditus, *Munsteshagen*, f) quem, neſcio an his ineptiis, ad dementiam poſtremo adactum meminimus, velle ſe hunc Lipſienſem juvenem deridendum omni-



nis, hærebant; de re ipſa & veritate nemo laborabat. Accommodavit ſe igitur ſeculo ſuo *Menckenius*, & ſub jugo illo ſcholaſtico adoleſcentiam ſuam traduxit, in his, quæ ſcriberet, ſerio id cavens, ne ſibi quiſquam lectorum perſpicuitatem exprobraret. Sed exſolvit ſe illis vinculis maturiori ætate, & tunc nova quaſi quædam ingenio ejus lux affulſit, noruntque omnes, quam ab eo tempore, quo Lipſienſium Philoſophorum cathedram ornavit, ad ultimos usque vitæ dies veræ ſtudioſus ſapientiæ, quam iis literis, quæ elegantiam & ſuavitatem habent, deditus, quam averſus ab illis juventutis ſuæ ineptiſſimis deliciis, veris literarum monſtris ac dehoneſtamentis, fuerit. Et ſæpius deinde coram amicis conqueſtus eſt de juventute inutiliter transacta, & ingenue confesſus eſt, ſe illo tempore, quo in Scholaſticorum caſtris meruerit, fuiſſe omnium, quos ſol adſpiceret, ſtultiſſimum. Teſtem habes parentem meum in *Oratione II de Charlataneria eruditorum*, quæ exſtat inter *Orationes* ejus *Academicas*, a me conjunctim editas, *pag.* 242.

f) Fuit ei prænomen *Ioannis Chriſtophori*, patria Muhlhuſa, dies natalis octavus Aprilis anni 1635.

bus propinare. Et accedebat egregie ocreatus, telaque in Præſidem acerrima torquebat. Verum enim vero hæc ille tam fortiter excepit, ut omnium confeſſione victoriam deportaſſe crederetur. Pungebant hæc temerarium ſenem; g) quare, ut novum æmulum in invidiam adduceret apud ſtudioſos juvenes, paulo poſt ſcholas privatas aperiebat, in quibus ſe regulas commonſtraturum pollicebatur, quibus non tantum Reſpondentem atque Opponentem, verum & inprimis Præſidem, uti conveniat. Vix hæc ad *Menckenium* noſtrum delata erant, cum eo ipſo die e valvis publicis ſignificaret, ſe evidenter demonſtraturum, qua ratione non ſolum Præſes & Reſpondens, verum

In Academia Jenenſi A. 1668 munus docendi Logicam & Metaphyſicam, & A. 1671 Licentiati Theologiæ dignitatem, obtinuit. Aliquo tempore poſt incidit in triſtem melancholiæ morbum, ex vita ſedentaria, aut nimia rerum ſubtiliorum meditatione, contractum, qui tandem deſiit in atrociſſimum furorem, & vires corporis ita debilitavit, ut A. 1681, in ipſo nempe ætatis flore, commigrandum ei ex hac vita fuerit. Pluribus hæc narrantem lege *Io. Caſp. Zeumerum loc. cit. pag. 151.* Scripta, quoad mente uſus eſt integra, non pauca edidit, ipſis tenebris obſcuriora, & ſcholaſticæ doctrinæ nugis ita referta, ut vix nominari, nedum legi, mereantur.

g) Non erat, cur ſenem vocaret parens, qui eo tempore, quo hæc acta ſunt, vix annum ætatis nonum & vigeſimum attigerat, nec adhuc inter publicos Salanæ Profeſſores locum occupaverat, ut ex his, quæ paulo ante a me dicta ſunt, nemini obſcurum eſſe poteſt.

rum inprimis Opponens, prudenter ac modeſte ſeſe gerere debeat. Habuit in his ſcholis auditores prope ducentos, pleroſque ætate, quam Noſter, longe provectiori, qui mirati omnes ſunt ingenium viri vix vigeſimum ætatis annum egreſſi, ejusque doctrinam avidis auribus hauſerunt. h) Hoc tanto plauſu, quotusquisque eſt, qui non intumeſcat, ſibique perſuadeat, ſe, apicem omnis eruditionis conſecutum, nullo amplius doctore, aut ſtudiorum duce, indigere. Verum alia longe mens Noſtro fuit; quippe ſedulus adhæſit celeberrimi nominis Theologis, *Chemnitio*, i) *Gerbardo*, k) &



h) Rem omnem, ut hic narrata eſt, niſi quod ipſum *Hundesbagenii* nomen ignorare lectores juſſit, poſtea etiam parens meus, etſi non verbis iisdem, eadem tamen dictionis ſuavitate, enarravit in *Orat. II de Charlataneria eruditorum loc. cit. pag.* 240, id quod plurimos Lectorum meminiſſe puto.

i) Eſt is *Chriſtianus Chemnitius*, magni illius *Martini* ex fratre nepos, natus Kœnigsfeldiæ in Miſnia d. 17 Januarii A. 1615. In Academia Jenenſi Theologiam publice docuit, & in eadem urbe munere primarii Antiſtitis ſacrorum functus eſt, ad Superorum vitam evocatus d. 3 Jun. A. 1666. Vitam & ſcripta ejus, quorum præcipua ſunt *Introductio in Latinitatem, Prælectiones in Hutteri Compendium, brevis inſtructio futuri miniſtri Eccleſiæ*, diligenter recenſentur a *Jo. Caſp. Zeumero loc. cit. Claſſe I pag.* 182, & *Paulo Frebero* in *Theatro erud. vir. pag.* 661.

k) Is, prænomine *Ioannes Erneſtus*, illius *Ioannis*, quo vix doctiorem unquam ſacræ literæ interpretem habuerunt, filius, patre haud multum inferior, Jenæ natus eſt d. 15 Dec. A. 1621. In Academia patria

& *Muſæo*, 1) nec non extraordinario eo tempore patria, nobiliſſimis in exteras regiones itineribus confectis, Hiſtorias primum, poſtea ſacras literas, docendi munus obtinuit, huic in florentiſſima ætate immortuus d. 24 Febr. A. 1668. Orientalium linguarum peritiſſimum fuiſſe, plurima ejus ſcripta, inprimis vero *Exercitationes VIII ad N. Teſtamentum Syriacum*, *Sciagraphia linguæ Syro-Chaldaicæ*, *Compendium linguæ Arabicæ*, *Harmonia linguarum orientalium*, & Diſſertationes Academicæ pleræque omnes, teſtantur. Ejus vitam *Zeumerus* deſcripſit *loc. cit. Claſſe I pag. 188.* Ceterum legenti in *Dan. Frid. Puttmanni Vitis virorum in quavis Facultate clariſſimorum pag. 187*, in numero præceptorum avi mei *Ioannem* etiam *Gerhardum*, illum *Ioannis Erneſti* patrem, fuiſſe, error boni viri per ſe patet. Qui enim præceptor eſſe potuit ejus hominis, quem ne natum quidem vidit, mortuus quippe anno 1637, quo nondum adſpexerat lucem *Menckenius*?

1) De *Ioannis Muſæi*, quem omnes norunt, & ſplendidiſſimum Germaniæ lumen, magnum purioris doctrinæ propugnatorem, Theologum ſummum ac pæne immortalem, dicunt, virtutibus & in ſtudia ſacrarum literarum meritis, ſi pluribus hic commemorarem, quid aliud hoc eſſet, quam dudum ab aliis actum agere, & tanti viri laudes incomta oratione extenuare? Saltem, ne, qui rerum omnium ſunt rudes, nomen hoc neſciant, duo verba addam. Longoprati, in ditione Schwartzenburgica, lucem adſpexit A. 1613, d. 7 Februarii. In Academia Jenenſi Hiſtoriarum primo, poſtea ſacrarum literarum, publicus Profeſſor nominatus eſt, ita perfunctus hoc munere, ut adhuc ſanctiſſimum ſit civibus Salanis nomen *Muſæanum*. Vitæ ultimum habuit diem 4 Maji A. 1681. In ſcriptis ejus, quorum multa exſtant, judicii maturitatem,

ræ Theologiæ Profeſſori, *Niemanno*, m) in quibus *Muſæum* maximi ſemper habuit, ejusque libros ob elegantem imprimis ordinis rationem ſæpiſſime commendavit. Et diutius Jenæ commoratus eſſet Noſter, niſi in vicinia novæ turbæ fuiſſent coortæ, Erfordia quippe a Moguntino Electore acriter obſeſſa. Tum enim, ſeptem menſibus Jenæ transactis, Lipſiam, velut genuinam ſtudiorum ſuorum matrem & fidam nutriculam, impetrata patris voluntate, repetiit, ſtudiique theologici telam, ducibus præſertim *Kromaiero* n) &



tem, argumentorum nervos, ordinem & perſpicuitatem prorſus ſummam, omnes admirantur. A multis, quorum publice errores reprehendit, eo nomine, ut fieri plerumque ſolet, peſſime eſt habitus, ſed

*Victrix cauſa Deo placuit.*

De vita & ſcriptis ejus plura docet *I. C. Zeumerus loc. cit. Claſſe I pag. 168.*

m) Nec ultimus inter Theologos de Eccleſia optime meritos locus tribuendus eſt *Sebaſtiano Niemanno*, Lubecæ nato A. 1625 d. 2 Aprilis, in Jenenſium Theologorum cathedram A. 1657 evecto, mortuo d. 6 Martii A. 1684; cujus *Atheus refutatus*, *Harmonia Evangelica hiſtoriæ Paſſionis*, & Diſſertationes, quæcunque exſtant, nunc etiam magno cum fructu leguntur. Vitam ejus diligenter tradit *Zeumerus loc. cit. pag. 195*, eandemque *Zeumeri* narrationem repetitam legimus in *Henrici Pippingii Memoriæ Theologorum clariſſimorum Decade I pag. 13.*

n) Fuit inter eos *Hieronymus Kromaierus*, qui Lipſiam doctrina atque ſcriptis ſuis illuſtrarunt, & veræ ſolidæque eruditionis laudem a bonis omnibus tulerunt. Natus eſt Cizæ A. 1610 d. 19 Jan. unde

*Scherzero*, o) ſtrenue continuavit. Etſi vero, probe exculta Philoſophia, viam ad divina ſtudia paratiorem reperit; cœpit tamen eum paulatim pœnitere ejus temporis, quod inanibus ac futiliſſimis quæſtionibus dijudicandis inſumſiſſet, inprimisque doluit, Latini ſermonis elegantiam, quam non vulgarem in Academiam attulerat, barbaris

unde in vicinam Lipſienſem Academiam delatus, hic perpetuam virtutis & fortunæ ſuæ ſedem invenit, Hiſtorias primum & Eloquentiam, poſtea Theologiam, publice docendi munere ornatus. Regnat in ſcriptis ejus omnibus ſana & ſobria Theologia, animus veritatis ſtudioſus, & docendi genus planum ac perſpicuum. In hoc numero ſunt *Theologia poſitivo-polemica*; *Commentarius in Epiſtolam ad Galatas & Apocalypſin*; *Hiſtoria Eccleſiaſtica*; *Scrutinium religionis*; *Annotationes in Formulam Concordiæ*; *Polymathia theologica*, & *Loci Anti-Syncretiſtici*. Ad Superos abiit A. 1670, d. 3 Junii. Plura de eo memorant *Theoph. Spizelius* in *Templo reſerato*, & *Paulus Freberus* in *Theatro erud. vir. pag. 698*.

o) Egeræ in Bohemia ipſis Cal. Auguſti A. 1628 natus *Io. Adamus Scherzerus*, in Academia Lipſienſi Hebræam primum linguam, poſtea Theologiam, publice docuit, ſplendidiſſimisque aliis muneribus, quæ cum publico Theologiam docendi munere in hac Academia eſſe conjuncta ſolent, inſigni cum laude præfuit. Doctrinam, quam a majoribus acceperat, puram & incorruptam ad poſteros transmiſit, magnum eo nomine nunc etiam inter Theologos orthodoxos nomen habens. Et memini, aliquos diſcipulorum, cum, eo dudum defuncto, in mentionem præceptoris inciderent, memoriam ejus nudato capite veneratos, & in quæſtionibus dubiis ad *Scherzerianum Syſtema Theologiæ*, tanquam ad ſacram

ris Philoſophorum vocabulis ita a ſe corruptam, ut eam penitus amiſerit. Itaque id ſibi præcipue allaborandum ſtatuit, ut, pulſa barbarie, ſtilo aſſueſceret eleganti ac concinno, p) quæ res illi tam feliciter ſucceſſit, ut epiſtolis q) ejus nihil terſius aut ornatius, oratione nihil ſplendidius, hiſtorica denique narratione luculentius nihil, & ad genium veterum accommodatius, reperiatur. Sed pertexenda nobis eſt celeberrimi viri vita. Nimirum, cum

cram anchoram, confugiſſe. Feliciſſima igitur Academia noſtra, quæ nullo non tempore Theologos fama & doctrina magnos, a ſectarum ſtudio alienos, in ſacris literis non veſtigandis tantum diligenter, ſed recte etiam interpretandis, totos, in divinam, non ſuam, gloriam intentos, aluit. Mortuus eſt *Scherzerus* d. 23 Dec. A. 1683. Nihil addo de ſcriptis ejus, quæ nominatim indicantur *Henning. Wittenio* in *Diar. biogr. ad A. 1683.*

p) Plurimum inprimis temporis legendo & imitando *Vellejo Paterculo* tribuere ſolebat, mirifice etiam delectatus *Terentio*, quem jam ſenex continuo in manibus habebat, animique cauſa, accedens ad prandium, legebat. Et frequenter in ore illud habere ſolebat, qui feliciter progredi in ſtudiis literarum cupiat, non male acturum, ſi diebus ſingulis in Græcis & Latinis Scriptoribus penſum aliquod legendo abſolvat.

q) Habent omnino ſatis elegantiæ Epiſtolæ *Menckenianæ*, vel hoc nomine dignæ, quæ in lucem proferantur; neque tamen, meo judicio, tantum habent, quantum Academica *Programmata*. De quibus etſi non ad unum omnibus præclare ſentio: habet enim ſua quaſi intervalla ſcribentis ingenium, nec ſemper vocatus nobis Apollo adeſt; de plurimis tamen, quæ venerunt in manus meas, (neque enim adhuc omnibus

eum Lipſiæ aliquandiu commoratus eſſet, r) primamque Diſputationem pro obtinendo in Facultate Philoſophica loco habuiſſet, s) Wittebergam, ut ejus quoque Academiæ Profeſſoribus t) innoteſceret,

bus potiri licuit,) id mihi videor jure affirmare poſſe, nihil his ſcribi poſſe caſtius, nihil ornatius, nihil ad gravitatem veterum expreſſius, nec immerito hæc juventuti in exemplum proponi, quod imitetur, poſſe. Illa igitur ſi, redacta in volumen integrum, injuriæ ætatis eriperem, dudum putavi, nihil me aut nepotis pietate indignum, aut ſuo cariturum fructu, ſuſcepturum. Sed quis talia curat hac ætate? inprimis cum non deſint nobis *Cicerones* novi, qui, ſi quem uſum habeat hoc tempore facundiæ Romanæ ſtudium, quod, multi ſunt, qui, ſuam & aliorum ignaviam teſtantes, impudenter negant, nobiliori juventuti præire & doctrina & exemplo poſſint.

r) Hoc circiter tempore factum puto, ut a *Beckero*, urbis noſtræ Conſule, ad informandum primis elegantioris doctrinæ præceptis filium, lautiſſima conditione invitaretur. Sed, minime convenire huic vitæ generi ingenium ſuum, exemplo hoc didicit. Itaque acceptam vix ſpartam brevi dimiſit, ornandamque homini in hac arte exercitatiori reliquit.

s) Diſputationis hujus, quam defendit A. 1665, argumentum eſt *de abſoluta Dei ſimplicitate*, ex intimis, ut facile apparet, Metaphyſices receſſibus petitum, & ita pertractatum a *Menckenio*, ut certiſſimus eum Scholaſticorum omnium (noſti homines,) plauſus ſit ſecutus.

t) Inprimis audiendi *Calovii* cauſa huc conceſſit, ſummi in Theologorum caſtris herois, cujus qui non ſcholas frequentaſſet, nihil ab eo in ſacrarum literarum ſtudio poſſe ſingulare exſpectari, communis tunc omnium opinio fuit.

ſceret, conceſſit, cum nunquam non pulchrum & glorioſum exiſtimaſſet, viros magnos & excellentes vel vidiſſe, vel audiviſſe; & jam in eo erat, ut inter Wittebergenſes quoque Magiſtros locum ſibi pararet, cum a parente domum evocatus, u); mox iter inde Belgium ingreſſus eſt, & Academias Groningenſem, Franeckeranam, Ultrajectinam, Lugdunenſem; virosque doctrinæ fama in iisdem maxime celebres, ſalutavit. Poſtea omnium provinciarum cultiſſimas illas Hollandiam & Brabantiam peragravit. Quo in itinere quæ fuerit fata expertus, ſi explicare hoc loco luberet, latiſſimum profecto ingrederemur diſſerendi campum. Memoratu dignum inprimis eſt, quod ab aleatoribus & manticariis nonnullis calidiſſime fuerit Antverpiæ circumventus, inque maximum vitæ periculum adductus. Quamvis enim ſibi ipſe ſapere ſatis videretur, eoque amicorum, qui, ut ſibi a crumenæ inſidiis caveret, auctores ei fuerant, ſupervacanea cenſeret monita, dulciſſimis tamen quorundam perſuaſionibus pulcre deluſus, vidit ſe repente in perditiſſimorum hominum latibula dedu-

u) Retulit mihi olim parens meus, veram cauſam, cur, non occupato inter hujus Academiæ Magiſtros loco, Vitemberga abierit *Otto* noſter, hanc fuiſſe, quod ex legibus illius Academiæ nulli Magiſtrorum liceat ſuperiorem cathedram adſcendere, niſi prius in inferiori conſtituto, & in Academica Diſputatione quodam ex Profeſſoribus Præſide uſo, id quod indignum gravitate ſua duxerit *Menckenius*, quippe jam bis in Lipſienſi Academia, & in Jenenſi ſemel, ex cathedra ſuperiore cum amiciſſimis hoſtibus congreſſus.

deductum, eosque demum agnovit nequiſſimos ſceleratiſſimosque, quos paulo ante dexterrimos crediderat. Hic etſi, paucis admodum coronatis emunctus, mature ſe periculo eripuerit; nunquam tamen in omni vita magis excanduiſſe viſus eſt, quod fieri antehac non poſſe crediſſet, ut a quoquam dolo circumveniretur. Usque adeo anceps eſt res & difficilis, nullo comite longinquam iter ingredi, quandoquidem & tuto fidere poſſumus nemini, & ab omni luſu prorſus abſtinendum eſt iter facientibus. Equidem hinc in vicinam Galliam excurrere animus erat *Ottoni* noſtro; ejusque rei conſilium Bruxellis patri per literas ſignificabat. Verum is, Theologo iter Gallicum non modo parum utile, verum & periculoſum atque noxium, cenſens, quod multis exemplis edoctus eſſet, non niſi delicias e Gallia, voluptates, & libidines, referri, x) ocius eum jubebat domum

x) At ſcimus etiam, homines ex Gallia doctiſſimos rediiſſe, modo eo animo illuc conceſſerint, ut fierent doctiores. Si deliciis & voluptatum irritamentis abundat Gallia, abundat ſane etiam iis rebus, quarum uſu expoliri mores hominum, & mirifice exornari doctrina poteſt; abundat civibus vere doctis & ſapientibus, quorum ſi recte fruaris conſuetudine, non ex itinere ullo major exſpectari fructus poteſt; abundat denique iis omnibus ſubſidiis, quibus opus eſt homini ad veram, non inanem illam & ſuperficiariam, eruditionem adſpiranti. Adeo longe ab eo abſum, ut probem conſilium proavi mei, hominis boni, &, quantum in ſe eſſet, de filio optime merituri, ſed juſto etiam timidioris, nec earum rerum, quæ conducere poſſent filio, ſatis gnari.

domum reverti. Quare mox in patriam revolavit, &, quo ſe non fruſtra doceret in Academiis Theologiæ operam dediſſe, diſertiſſimam Orationem ſacram coram *Antonio Gunthero*, Comite Oldenburgenſi, in ipſo ejus cœnaculo recitavit, cujus virtutes egregias ſæpius eum memini haud perfunctorie prædicaſſe. Nam, cum, finita concione, a Legato quodam eleganti allocutione Latina compellaretur, ipſum audivit extemporali oratione eodem idiomate tam apte, tamque copioſe & ornate, reſpondentem, ut nihil ſupra. Inde Kilonium Holſatorum profectus eſt eo conſilio, ut non tantum ſolennia, quæ in novæ iſtius Academiæ fundatione & inauguratione celebranda ferebantur, coram arbitrari, ſed & officioſa compellatione Profeſſorum, inprimis doctiſſimi *Morhofii*, in cujus ab eo tempore familiaritatem abdidit ſe totum, y) amicitiam conciliare ſibi poſſet. Non diu hic commoratus, rediit tandem Lipſiam, perpetuam hic, ſi fieri poſſet, fortunæ ſuæ ſedem poſiturus. Hic denuo in hoſpitium receptus *Olearii*, quem Muſis ſuis omni tempore amiciſſimum habuit, nihil intermiſit eorum, quibus ad impetrandos aliquando Academicos honores parare ſibi, more majorum, viam poſſet. Nam, cum ita exiſtimari, neſcio, ſatisne recte,

y) Is perpetuam cum Noſtro amicitiam & literarum aluit commercium, ſenſitque de eo honorifice in *Polyhiſtoris Tomo I Lib. I Cap. 16 pag. m. 179*, ubi *virum non literarum tantum fama, ſed & ſingulari induſtria, ſpectatiſſimum*, & *Tom. III Lib. 2 pag. 495*, ubi *virum doctum, & rerum civilium peritum*, dicit.

recte, a pleriſque ſoleat, publico docendi munere dignum, aut, ſi mollius rem eloquantur, eidem condigne adminiſtrando idoneum, neminem putandum, niſi qui prius docendi quaſi aliquod periculum fecerit privata juventutis inſtitutione, ſimulque cathedram bis aut ter, ſucceſſu qualicunque demum, conſcenderit; hac etiam ex parte Noſter ingenio ſe vulgi, (ignoſcite, quæſo, vera dicenti, Auditores,) aut, quod illi ajunt, inſtitutis majorum, accommodavit, &, quæ ipſe aliquot diebus ante didicerat, forſan etiam quæ nunquam didicerat, plenus animorum & fiduciæ, novis Academiæ civibus prælegit, z) ita certiſſime futurum ſperans, ut penes eos, qui his in rebus ſitum momenti plurimum exiſtimabant, & quidni penes omnes? in magnam opinionem doctrinæ & induſtriæ veniret. Scriptiunculas etiam in cathedram produxit vario tempore varias, & in his ea, quam *alteram pro Loco* a) vocant, futuris Aſſeſſoris Philoſophorum honoribus præluſit. Fie-

z) Nec tamen ipſe tunc diſcentium ſubſellia reliquit, ſed, cum ſortis & conditionis qualiscunque hominibus neceſſariam, aut certe utilem, legum civilium aliquam cognitionem judicaret, huic etiam doctrinæ parti aliquantum temporis & ſtudii impendit, ſcholasque frequentavit *Bartholomæi Leonhardi Schwendendœrfferi*, Jureconſulti excellentis, inſigni tunc applauſu Jura in hac Academia publice docentis, ex cujus inſtitutione plurimum ſe profeciſſe, omni tempore profeſſus eſt *Menckenius*.

a) Defendit hanc A. 1666, ita inſcriptam: *Micropolitia, id eſt, Reſpublica in microcoſmo conſpicua.*

Fieri adeo non poterat, quin conatus tam præclaros ſequeretur laurea optata, & militi tam forti & laborioſo lautiſſima ſtipendia decernerentur. Primum laborum præmium ab ordine Philoſophorum tulit, qui *Aſſeſſoris* b) dignitatem, &, ſi qua cum ea conjuncta ſunt, jura, ei conceſſit. Inde c) in *Collegio*, quod dicitur, *Principum minori* locum occupavit, huncque per annos duos & triginta tenuit, donec ſub vitæ demum finem d) in alterum, quod *majus* vocari ſolet, plusque emolumentorum habet, *Principum Collegium*, transferretur. Sed hæc quaſi fortunæ præludia habuit; fortuna ipſa paulo poſt ſecuta eſt. Nam, cum vacuam e) moralis & civilis doctrinæ publice docendæ provinciam feciſſet *Io. Benedictus Carpzovius*, f) ad Theologorum cathedram

b) Hanc, ſi qua eſt, dignitatem A. 1667 obtinuit.

c) Factum hoc A. 1668, exſtincto *Joanne Michaelis*, Medicinæ in hac Academia Profeſſore publico, cui in hunc locum ſucceſſit *Menckenius*.

d) Anno nempe 1700 d. 27 Junii, ad Superorum vitam evocato *Antonio Günthero Hesbuſio*, S. Theologiæ Licentiato, Organi Ariſtotelici Profeſſore publico, quem, civem quippe ſuum, arctiſſimo amicitiæ vinculo conjunctum ſibi habuerat *Menckenius*.

e) Accidit hoc A. 1668, quo Ethices & Politices Profeſſionem cum publico linguam Hebræam docendi munere commutavit *Carpzovius*.

f) In nobiliſſima *Carpzoviorum* gente noti ſunt duo, quibus prænomen *Ioannis Benedicti* fuit, pater & filius; ille A. 1607 d. 22 Jun. Rochlitii natus, ad

dram evocatus, ipſe cum aliis, expetentibus hanc ſpartam, Duci Saxonum, *Mauritio*, Cizenſis ditionis Principi, penes quem, ferente ita ordine, poteſtas erat nominandi ſucceſſorem, literas ſuas ſupplices obtulit, &, quamvis a nemine commendatus, ita tamen ipſe & Illuſtri *Seckendorfio*, g) cum quo ex illo tem-

ad Ædem S. Thomæ Lipſiæ Archi-Diaconus, ibidemque ſacrarum literarum Profeſſor publicus, mortuus A. 1657 d. 22 Oct., *Syſtematis theologici, Iſagoges in Libros Symbolicos, Collegii Anti-Papiſtici*, & aliorum librorum, auctor; hic Lipſiæ natus A. 1639 d. 24 Aprilis, in urbe patria Paſtor ad Ædem D. Thomæ, publicus doctrinæ primum moralis, poſtea Hebrææ linguæ, tandem Theologiæ, Profeſſor, defunctus A. 1699 d. 23 Martii, de lingua ſancta ſcriptis variis egregie promeritus, Orator inprimis vehemens, & ad audientium movendos animos natura factus, a *Thoma Ittigio* Oratione publica laudatus, quam in *Memoriis Theologorum clariſſimorum Dec. VI pag. 763* exhibet *Henricus Pippingius*. Poſtremus hic, ut facile intelligis, in publico doctrinam moralem docendi munere ſucceſſorem habuit *Menckenium*.

g) Eſt is *Vitus Ludovicus* L. B. *a Seckendorff*, dubito, an Lectorum uni ignotus, verum Equitum Teutonicorum ornamentum, *Hiſtoriæ inſtauratæ a Luthero doctrinæ purioris* immortale prorſus nomen conſecutus, cujus vitam elegantiſſime deſcripſit *Dan. Godofr. Schreberus* in *Hiſtoria vitæ & meritorum Viti Ludovici L. B. a Seckendorff*, Lipſiæ A. 1733, 4, edita. Ut ipſe fuit vir doctiſſimus, & viros doctos ſingularem in modum coluit; avi vero mei præ ceteris fuit amantiſſimus, quem in *Additionibus* libri, *der Chriſtenſtaat* inſcripti, *pag. 16* blando nomine *ſeinen beſonders geehrten und werthen Freund* appellat, quem etiam in præ-

elium

tempore affectu & officiis plurimum certavit, & inprimis primario aulæ miniſtro, *Lokkowirio*, adeo ſe commendavit, ut is poſtera die Candidatum accedentem, porrecta protinus dextra, his verbis amiciſſime compellaret: *En dextram fidemque mei Principis*, vel, ut ipſis ejus verbis utar, *Hier hat der Herr Magiſter meines gnædigſten Herrn Parole.* Nec vana fuere promiſſa. Nam, cum paulo poſt competitor, quem nactus Noſter eſt acerrimum, commendatitias Electorum Saxonis & Brandenburgici, aliorumque Principum, afferret, & plerorumque aulicorum favorem ſibi comparaſſet, Noſtro tamen, mature rebus ſuis conſuluiſſe, profuit. Et raram profecto hanc dixeris felicitatem, juvenem, nondum vigeſimum quintum ætatis annum ſupergreſſum, nulla patriæ aut ſanguinis commendatione ſuffultum, quin potius interceſſione ſummorum Principum fortiter oppugnatum, publicæ Profeſſionis munus in hac ipſa Academia potuiſſe conſequi. Sunt plures, qui, cumprimum, unde vivant, nacti ſunt, in amores ruunt, nihilque



dium ſuum, Meuſelwizium, ſubinde invitatum, peramanter hic & prorſus honorifice excepit, &, ſi quando Lipſiam concederet, amiciſſime hic ſalutavit. Meminiſſe etiam jucundum eſt, hunc inter primos fuiſſe, qui *Menckenio, Eruditorum Acta* colligenti, manus adjutrices præbuerunt, nec ſociorum ulli alii induſtria, & libros novos, eosque plurimum laboris requirentes, deſcribendi ſtudio, ceſſiſſe. Inde ſcilicet frequenti illi commercio literarum, cujus præſtantiſſimæ reliquiæ hæreditate ad me transmiſſæ ſunt, non occaſio tantum, ſed ipſa etiam materia, ſubnata.

magis curant, quam ut nuptias celebrent, & familiam augeant. At longe alia mens Noſtro fuit, h) qui, etſi nulla re deſtitueretur, quæ ad inſtruendam rem familiarem pertineret, magno quippe & invidendo ſtudioſorum applauſu gaudens, attamen quarto demum poſt anno i) vitæ ſibi ſociam elegit, virginem & proſapiæ ſplendore, & pietatis ac virtutum laude inprimis coruſcantem, *Magdalenam Sibyllam*, Excellentiſſimi Viri, *Burchardi Berlichii*, k) cele-

h) Miror, id parenti prætermiſſum, quod, vix occupato inter Philoſophos Lipſienſes loco, anno nempe 1670, ab Ordine Theologorum inter Baccalaureos receptus fuerit, ſequenti vero 1671, habita prius Diſputatione *ad Cap. VIII Epiſtolæ ad Romanos v. 31, 32*, ſupremos in Theologia honores capeſſendi Licentiam obtinuerit.

i) Celebravit nuptias *Menckenius* A. 1672 d. 24 Septembr.

k) Si non primi, quod tamen video perſuaſum nonnullis, at certe nec infimi, ſubſellii Jureconſultus fuit hic *Berlichius*, natus A. 1605 d. 23 Aprilis Frauen-Prieſnitziæ, in urbe primum Lipſienſi Senator atque Prætor, ibidemque Jurium Doctoris & Comitis Palatini Cæſarei jura exercens, poſtea Dresdæ Electoribus Ioanni Georgio I & II a Conſiliis Aulæ & Juſtitiæ, & a ſecretis Cameræ, in eadem urbe A. 1670 Calendis Aug. mortuus. Prædia ei Wegefarth, Waltersdorff, Tſchorna, & complura alia, fuere. Edidit *de Jure novercarum, de Condictione furtiva, de Juſtitia*, & *de æqualitate Collectarum*, libros, *Synopſin* item *Juris*, & *in Conſtitutionem criminalem Caroli V Commentarium*, libros bonæ frugis plenos, & nunc etiam cum fructu legendos. Sed alius eſt *Burchardus* iſte a *Matthæo Berlichio*, *Deciſionum aurearum*, & *Concluſionum practicabilium*

celeberrimi JCti, & Potentiſſimorum Saxoniæ Electorum, *Ioannis Georgii I & II*, Conſiliarii, filiam natu infimam, quæ, ut virtutibus, quæ fœminam decent, omnibus inſtructiſſima fuit, ita mire Poeſi Germanica afficiebatur, in qua addiſcenda cum ducem habuiſſet omnino neminem; ita proprio, quod ajunt, Marte profecit, ut inter Poetrias Germanicas non infimum forte locum mereatur. Nec infelix horum conjugum amor fuit. Ut enim taceam, eos filium filiamque adultos l) &

 ſatis,

*lium*, Autore, Juriſprudentiæ ſuo tempore inter Saxones oraculo, & communi legum Saxonicarum interprete. *Vitam Burchardi* diligentiſſime deſcripſit *Paul. Freherus* in *Theatro vir. erud. pag. 1191*, cui addi poteſt *Henning. Wittenius* in *Diar. Biogr. Tom. II ad A. 1670.* Ceterum filia hujus *Burchardi*, uxor *Menckenii*, primum hanc lucem adſpexit A. 1656 d. 3 Octobris, defuncta d. 16 Jan. A. 1703, ætatis anno ſeptimo & quadrageſimo.

l) Liberos ex uxore Noſter genuit tres: *Ioannem Burchardum*, natum d. 8 April. A. 1674, digniſſimum hoc parente filium, cujus vita, quam fieri potuit, diligenter olim a me deſcripta, legitur in fronte *Diſſertationum* ejus *Academicarum*, conjunctim a me A. 1734 editarum; *Ottonem*, in tenerrima ætate extinctum; & *Annam Sophiam*, natam d. 9 Julii A. 1678, nuptam *Ioanni Chriſtophoro Wichmanshauſenio*, Poeſeos primum, poſtea Orientalium linguarum, in Academia Vitembergenſi Profeſſori publico, & Bibliothecæ Academicæ præfecto, mortuam d. 13 Mart. A. 1714. Quos viderit ex filio & filia nepotes *Menckenius*, non attinet hic pluribus commemorare. Sunt enim hæc domeſtica, quæ ſcire intereſt paucorum; & dudum animus refugit a narrandis iis rebus, quæ me ipſum ſpectare propius videntur.

ſatis, quantum humana ſors patitur, fortunatos reliquiſſe, nunquam inter illos vel leviſſimas ſimultates, nedum litigia, exſtitiſſe memini. Interea nihil prius aut antiquius habuit, quam ut creditum ſibi munus recte adminiſtraret; cumque inprimis amaret Hiſtorias, ac probe intelligeret, non poſſe quemquam in Politica recte verſari, niſi res geſtas populorum, præſertim Germanorum, omnemque Germaniæ noſtræ ſtatum ac ordinem haberet perſpectum, hæc diligenter explicavit, &, quamvis JCtus ipſe non eſſet, juſſus tamen eſt a ſummo Principe, ut Celeberrimi *Bœcleri* Notitiam Imperii Germanici, *Hornii* Orbem politicum, m) & ſimiles libellos, qui, niſi quod Juris publici titulum non præferunt, nihil habent ab eo Jure diverſum, quoties luberet, privatis ſcholis explicaret. n) Per ea tempora Galli, *Photii*, quam

m) Curavit & libelli hujus *Menckenius* editionem novam, annotationibus ſuis illuſtratam, A. 1675, forma 12.

n) Primus etiam fuit *Menckenius*, qui novas illas rerum in orbe geſtarum tabulas, quas vulgo Novellas vocant, in hac Academia prælectionibus privatis explicaret, ut patet ex *Programmate funebri*, ſæpius a me nominato. Et mirum ſucceſſum ea res habuit, nec unquam major audientium concurſus eſt factus. Itaque exemplum hoc deinde alii imitati, juventutis, bonis literis deditæ, commodis hac etiam ex parte feliciſſime proſpexerunt. Solebat autem prælectionum ſuarum initium facturus Noſter, *Programmate* publico auditores convocare; qualia vidiſſe me uno plura memini, non adeo, ut nunc fieri ſolet, copioſe, at eleganter ſatis, & ad commendandas prælectiones accommodate,

quam in Bibliotheca ſervat, rationem æmulati, *Diarium Eruditorum* o) edere cœperant, & Ro-

 mani

modate,ſcripta. Præcipuam, quod ſciam, in explicandis *Hornii Orbe politico*, cujus & novam editionem curavit, & nobiliſſimo *Grotii Opere*, quo belli & pacis jura traduntur, operam poſuit. Sed Jura etiam publica privatim docuit, quod, ea ſtudia a doctrinæ civilis Profeſſore non debere eſſe ſejuncta, exiſtimaret. At hinc magna ei cum JCtorum ordine lis exorta, quippe ſuos querente a *Menckenio* fines turbatos, hancque rem eo moleſtius ferente, quod ad *Menckenium* magno numero juvenes convolarent, JCtis qui applauderent,pauci eſſent. Utrinque decertatum eſt diu, donec ea cauſa ipſi Principis arbitrio ſubmitteretur, qui, ſalvam eſſe *Menckenio* hujus juris poſſeſſionem debere,ita tamen,ne ea poſtea ad alios tranſiret,ſapienter decrevit. Sed hinc invidia *Menckenio*, certiſſima virtutis comes, contracta, quam hoc fortiori ipſe ſtomacho devoravit,quo dulciores prælectionum ſuarum fructus in plauſu audientium & ſummo & perpetuo colligebat. Vivunt adhuc eorum non pauci, quibus, a *Menckenii* pendere ore, jucundum olim fuit; & ipſe,quem alioqui iniquiſſimum in manes Viri optimi fuiſſe, paulo poſt dicemus, *Gundlingius* in eo æquiorem ſe Noſtro præbuit, quod magnam ei ex prælectionibus, ſive publicis, ſive privatis, partem exiſtimationem dixit. Sunt ejus in *Collegio Hiſtoriæ literariæ pag.* 4048 hæc verba: *Er las in Leipzig Collegia, wodurch er eben in groſſen Credit gekommen.*

o) Notiſſimum hoc eſt Diarium Gallorum, *Journal des Savans* inſcriptum, Lutetiæ A. 1666 edi cœptum, & ad hoc usque tempus deductum ſerie non interrupta, niſi quod hoc ipſo tempore, incertum, qua de cauſa, Opus hoc egregium lentius procedat, brevi, quod ſperamus, vires priſtinas recu-

mani p) mox, horum exemplo, ipſi quoque Diaria edebant. In his etſi librorum, in Gallia atque Italia impreſſorum, mentio fieret; attamen Anglici, Belgicique, & Germanici inprimis, videbantur deſiderari; cumque Philurea noſtra in ipſo, ut Germaniæ, ita Europæ univerſæ, meditullio ſita eſſet, Noſter, pro inſigni, qua pollebat, animi perſpicacitate, nusquam ejus generis Diaria felicius condi poſſe, cenſebat, quam in hac noſtra Academia, quæ & commerciis floreret, & viris eruditis, ac recenſendis libris idoneis, abunde inſtructa eſſet. Itaque, cum diu multumque cogitaſſet, qua maxime via hoc inſtitutum promoveret, decrevit demum, quanquam jam aucta familia, in Angliam Belgiumque proficiſci. Unde, impetrata ab aula venia, ingreſſus iter eſt anno ſuperioris Seculi octogeſimo, cumque me atque ſororem, una cum dulciſſima matre, avi, cui gratiſſimi fuimus hoſpites, curæ reliquiſſet Oldenburgi, menſe Julio,

recuperaturum, & præclariſſima Gallorum merita porro exteris pariter ac ſeris poſteris narraturum.

p) Ab A. 1668 ad ultimum usque menſem anni 1681 Romæ apud *Nic. Angelum Tinaſſum* prodiit forma 4 Diarium, *Giornale de' letterati in Roma* inſcriptum, cujus *Anni* quatuor, *1675*, *1676*, *1677*, & *1678*, Auctorem habuerunt *Franciſcum Nazarum*, reliqui ab alio quocunque publicati ſunt. Qui viderint hoc Opus, forte pauci ſunt Lectorum; nunc enim in rariſſimis habetur, etſi dignum omnino, quod plurium verſetur manibus. De ipſis librorum deſcriptionibus nihil dicam, quæ magnam partem juſto breviores ſunt meo judicio, nec ſatis ad uſum lectorum

lio, comite Excellentiſſimo *Pfautzio*, q) quem jam tum Collegam atque amicum integerrimum, & paulo poſt affinem, habuit, Amſtelodamum abiit,



tum accommodatæ; at, quæ immixtæ ſunt paſſim ex variis ſublimioris doctrinæ partibus, Matheſi, ſcientia Naturæ, & Medicina, item quæ pertinent ad antiquarum rerum & Numiſmatum elegantiora ſtudia, Obſervationes non vulgares, ſive hic primum publicatæ, ſive ex *Transactionibus Anglicanis* & aliunde mutuo ſumtæ, ejus ſunt & generis & pretii pleræque, ut his magno cum ſuo fructu uti lectores ad unum omnes poſſint.

q) In *Chriſtophoro Pfautzio*, nato Leiphemii, haud procul Ulma, A. 1645 d. 11 Oct. Academia Lipſienſis habuit & Mathematices doctorem ſolertem ac ſubtilem, & Bibliothecæ ſuæ præfectum ſolertiſſimum. Diem obiit Lipſiæ d. 2 Aug. A. 1711, doctrina, & munere ſuo recte adminiſtrato, quam ſcriptis editis, clarior. Nam, præter Diſſertationes Academicas, *de Parallaxibus*, *de Eclipſibus Solis, præcipue inſtanti d. XI Julii*, aliasque paucas, *Programmata* item varia, ſatis docte & diligenter conſcripta, dubito, an quidquam exſtet ſcriptorum ejus; niſi quod plurimum ei debeant *Eruditorum Acta*, quorum priores Anni non librorum tantum deſcriptionibus, ſed mathematicis etiam, inprimis vero Aſtronomicis, Obſervationibus, ita ab eo ſunt ditati, ut vix ſatis prædicari hoc nomine, poſteriſque commendari, præclara ejus & ſolito major induſtria poſſit. Cum *Hevelio*, Mathematico clariſſimo, continuum ei literarum commercium fuiſſe, patet ex *Actorum Erud. Supplem. Tom. IX pag. 360.* In matrimonio habuit avi mei ſororem, *Catharinam*, natam ipſis Calendis Martii A. 1657, defunctam d. 4 Maji A. 1703, filiorum quatuor, & duarum filiarum, matrem.

ubi *Sandio*, r) Ariano, ſyſtaticas noſtri *Scherzeri* literas tradidit, a quo fuit perquam humaniter exceptus. Sed longe major *Grævii* in Ultrajectina Academia humanitas fuit, a quo *Iſaaco Voſſio, Ioanni Fell*, Epiſcopo Oxonienſi, *Eduardo Bernardo*, aliisque doctiſſimis Anglis, commendatus eſt. Eodem menſe delatus Londinum, *Thomæ Gale*, *Roberto Boyle*, aliisque, innotuit, ac poſtea Oxonii cum *Bernardo*, quem dixi, ſuaviſſime convixit, & venerandum ſenem, *Joannem Walliſium*, ut complures taceam alios, ſalutavit. Reverſus in Belgium, Antwerpiæ doctiſſimos e Societate Jeſu Patres, *Henſchenium* & *Phpebrochium*, Actorum Sanctorum collectores, commendatitiis *Grævianis* inſtructus, inviſit; Delphis vero *Antonium Leuwenhœkium*, Lugduni *Melderum*, Mathematicum, *Paulum Voetium*, & *Jacobum Gronovium*, vidit; cumque Vianæ celeberrimum virum, *Nicolaum Heinſium*, acceſſiſſet, ab eo perbenigne habitus eſt, ut fuit ille non minus ingenio, quam moribus, præſtantiſſimus. Hinc in patriam, &, poſtquam peſtem, quæ his in locis regnare interea cœperat, deſæviiſſe conſtaret, Lipſiam, redux factus, omnem movit lapidem, ut Gallorum quoque atque Italorum amicitias ſibi compararet. Quas cum illi certatim doctiſſimi quique obtuliſſent, conſilium his quoque, quos Lipſiæ conjunctiſſimos habuit, aperuit, eosque ad ſuſcipiendas partiendasque operas mox paratiſſimos invenit.

r) Hujus & plurimorum ex iis, quos deinde nominat, parens meus, amiciſſimæ ad *Menckenium* epiſtolæ

nit. Sic prodiit demum anno octogeſimo ſecundo laudatiſſimum *Actorum Eruditorum* s) opus, cujus

ſtolæ meis adhuc manibus verſantur, unde, quam carus ipſis exteris, iisque fama maximis, fuerit *Menckenius*, haud obſcure poteſt intelligi.

s) Enatum hoc *Actorum Eruditorum* inſtitutum videtur ex radicibus duorum, quæ Lipſienſem olim Academiam haud parum nobilitarunt, Collegiorum, *Gelliani* & *Anthologici*, quorum ſocii certis ſtatisque horis de rebus ad eruditionem ſpectantibus amicos ſermones conferre, maxime vero de libris novis diſſerere, ex his optima quæque annotare, hæcque in faſciculos, privatis ipſorum uſibus inſervituros, colligere, ſolebant. Horum utrique Collegiorum adſcriptum fuiſſe *Menckenium*, cognoſcimus ex *Hiſtoria Collegiorum Gelliani* & *Anthologici*, ab Illuſtri Gottingenſis Academiæ JCto, *Ge. Chriſt. Gebauero*, præmiſſa *Anthologicarum Diſſertationum Libro*, Lipſiæ A. 1733, 8, edito, *pag.* 52 & 71. Floruerunt hæc a medio inde Seculo XVII ad annum, quod conſtat, 1673, quo paulatim deferveſcere cœpit ardor Sociorum, & conventus illi, incertum, qua de cauſa, celebrari deſierunt. Neque tamen cum nomine res ipſa exſpiravit. Ut taceam enim, alterum Collegiorum, *Anthologicum*, vires ſuas reſumſiſſe A. 1685, & ab illo tempore ſucceſſus habuiſſe tam proſperos, ut annos prope ſexaginta integrum ſervaverit vigorem ſuum, floreatque nunc etiam, gaudentibus Muſis patriis, in ædibus Magnifici *Bœrneri*, incomparabilis Theologi, qui, pro inſigni, quam omnes celebrant, humanitate ſua, dulce jucundumque Sociis & fama & doctrina clariſſimis, quorum ipſe numerum auget, præbere hoſpitium ſolet; alterum, a *Gellio* nomen ſortitum,

cujus ſi hiſtoriam omnem, ſi tot viros eruditiſſimos, qui ab initio usque ad hæc ipſa tempora vel

tum, novam quaſi formam accepiſſe videtur A. 1682 in novo *Colligentium Acta Eruditorum* Collegio, nihil, ut videtur, diverſo a priori, niſi quod hujus ſocii laborum ſuorum fructus cum aliis communicandos, & librorum deſcriptiones in publicos redigendas Commentarios, duxerint, *Gelliani* vero ab hoc de re literaria bene merendi ſtudio alieniores ſe geſſerint. Conjecturæ huic, quod ad originem *Actorum*, cum nihil opis peti poſſit ex Præfatione, *Actorum Anno 1682* præmiſſa; præſidium ei dabimus ex Scriptorum, qui ætati illi quam proxime vixerunt, nec hujus rei notitia caruerunt, teſtimoniis, non omnino nihil valituris. Nominabimus autem inprimis *Burch. Gottbelf. Struvium*, nuper demum defunctum, cujus in *Introductione in notitiam rei literariæ Cap. X. §. 29* hæc ſunt verba: - - *Evanuit poſtmodum Collegium Gellianum, licet ex ejusdem Collegii radicibus exorta poſtmodum fuerit ſocietas Collectorum Actorum Eruditorum, quæ magno applauſu adhuc conſervatur.* Addimus huic *Joachimum Fellerum*, Poetices in hac Academia Profeſſorem, *Gelliani* primum Collegii ſocium, poſtea inter primos, qui colligendis *Eruditorum Actis* operam navarunt, non obſcure hæc ſignificantem in Epiſtola ad *Nicolaum* L. B. *a Gersdorff*, præmiſſa *Floribus Philoſophicis ex P. Virgilii Maronis Bucolicis & Georgicis*, anno 1682, qui *Actis Eruditorum* natalis fuit, editis: - - *doleo, non defloruiſſe tantum Collegium, quod dixi, Anthologicum, ſed & Gellianum, poſt fata trifolii optimi, Rappolti, Strauchii, ac Franckenſteinii, emortuum quaſi videri, & ne nunc quidem in priſtinum florem fuiſſe revocatum; quanquam aliud quid non ſine ſpe ac gaudio eruditorum omnium molitur Lipſia, quod non offuſcare tan-*

vel conſilio, vel opere, hoc inſtitutum adjuverunt, enarrare velim, vereor vehementer, ne veſtra patientia, Auditores, abuſurus videar. Neque ab hoc inſtituto alienum foret, ex Italia *Magliabechios*, *Ciampinos*, *Noriſios*, *Schelſtratenios*, *Bencinios*, *Coronellos*, *Paſſionaos*, *Fontaninios*,

*tantum Collegiorum jam dictorum gloriam, ſed & Italiarum Academiis, imo & ceteris exterarum nationum curioſis Societatibus, palmam, ſi non eripere, at ambiguam tamen poſſit reddere.* Idem *Fellerus* in Carmine quodam nomen ſuum inſcripſit: *Gellius Lipſienſis, in Actis Eruditorum conſcribendis jam occupatus*, ut video doceri ab Illuſtri Autore *des Kerns der Geſchichte des Hohen und Churfürſtlichen Hauſes zu Sachſen Lib. III Cap. 122 pag. 107*, cujus & ipſius verba ſunt: *Ich achte aus den gedruckten Memoires und Carminibus, ſo ich beſitze, davor, daſs ſie bis Anno etliche und achtzig gedauret, hernach aber durch die Herren Collectores Actorum Eruditorum ihre letzte Oehlung bekommen.* &c. Sed omnium optime ea res cognoſcitur ex Programmate funebri, memoriæ *Menckenianæ* ab Academia Lipſienſi conſecrato, copioſo inprimis in laudando hoc *Actorum* inſtituto, cujus adeo hic partem legendam dari, nemo eorum, qui bene cupiunt *Actis* noſtris, moleſte ferret. Ita vero, quisquis eſt, Auctor, *Menckenio* amiciſſimus: *A tempore reverſionis, de ſocietate Virorum doctorum, qui Acta Eruditorum ſecum colligerent, ineunda ſollicitius cogitavit. Floruerunt in Academia noſtra Collegium Gellianum & Anthologicum, Societasque Conferentium; in quibus Viri rectiſſimis ſtudiis atque optimis artibus clari, interque eos officia ſua publica, vel eccleſiaſtica, vel civilia, ornantes, ex omni elegantiori literatura, notatu digniora, expolito genere orationis, de ſcripto neſe-*

*nios*, *Bulifonios*, ex Gallia *Boſſuetos*, *Mabillonios*, aliosque, ex Anglia, præter eos, quos ſupra enumeravi, *Caveos*, *Hudſonios*, *Charlettos*, *Covelios*, *Woodwardos*, totque viros alios doctrina atque eru-

*referebant ad conventum, intra unumquodque octiduum celebratum; ad quæ audita quisque, cui placeret, dubia vel affinia blando colloquio comiterque in medium proferebat. Hi conventus, aliquandiu intermiſſos, non ſine præſagio ſocietatis alterius, cui locum facere, ſeque Collegas tacite deſtinare, nondum conſtabat, redintegrare parati erant. Verum, mutatis animis, operam ſuam addixerunt* Menckenio *utilius collocandam. Exteris inſuper, tam vicinis, quam remotioribus, inſtitutum ita arriſit, ut ſuam opem promte pollicerentur, & deinde accurata pergrataque aſſiduitate afferrent. Omnibus enim ſtatim apparuit, opus boni publici cauſa ſuſceptum eſſe, ut hanc laudem ei poſtea meritiſſimo jure Illuſtris* Seckendorfius, *qui opus ſtrenue adjuvit, in libro de Statu Chriſtianiſmi tribuerit. Vidimus ergo hactenus & gaviſi ſumus, quicquid noſtra ætate in Germania, Anglia, Hiſpania, Italia, Gallia, Suecia, Dania, Polonia, Belgio, Helvetia, prodiit librorum, parvo ſumtu noſtrum eſſe, noſtroque uſui cum inſervire. Vidimus, in hoc veluti theatro prodire viros excellenti & ſingulari doctrina præditos, meditationes & problemata ſua proponere, aliis ad diſcutiendum offerre, deinde ſuas ad monita reſponſiones dare. In omnibus modeſtia ea ſervata eſt, quæ haud gravis ſit ipſis diſſentientibus. Hinc interclusis aliis libris, prius non exploratis, ingreſſus in Italiam, præcipue Romam, Actis libere patuit, cum inter eos, quorum purpuram magna in rebus ſacris profaniſque ſcientia exornat, eſſent, quibus ea, in iisque librorum ſuorum recenſiones, perplacerent. Poſteritas tandem bona noſtra cognoſcet, & ad ſe tranſmiſſa tenebit grata. Etenim non ſolum nomi-*

*na*

eruditione clariſſimos e Belgio ac Germania, producere, cum quibus parenti meo literarum commercium per complures annos interceſſit. Atque utinam eum fata diutius ſupereſſe voluiſſent!

*na Auctorum, & librorum titulos, quos in Indicibus librorum & Bibliothecis legimus, ceterorum omnium ignari, videbit, ſed etiam ſententias & argumenta eorum ſatis intelliget, ut plerisque libris opus non ſit habitura.* Primusne *Menckenius Actorum* hoc opus animo conceperit, id quidem neſcio; at ſatis conſtat, præcipuam ab eo curam operis ſuſceptam, literarum commercium cum viris doctis inſtitutum, ne materia ſcribendi, hoc eſt, novorum librorum apparatus, deeſſet, operam navatam, ſociorum in ſuis ædibus conventus indictos, his, ut cujusque facultas & profeſſio doctrinæ ferret, penſa diſpenſata, horum labores ordinatos, interdum etiam, quæ venia ipſi a nonnullis data fuit, elimatos; porro in ſingulorum *Menſium* editionem ſumtus erogatos; cuique *Voluminis Præfationem*, interdum etiam *Dedicationem*, præmiſſam, Auctorum vero & rerum notabiliorum *Indices* ſubjunctos. Ex his omnibus collige, amice Lector, ſatisne dignus ſit *Menckenius* putandus iis laudibus, quas a ſua æque ac poſtera ætate de utiliſſimo hoc *Actorum* inſtituto tulit, in quibus celebrandis ita nonnulli fuere liberales, ut, qui æque laudatus ſit, vix ſciam Germanorum ullum. Sit mihi multorum inſtar incomparabilis ille Saxoniæ Theologus, adhuc ſuperſtes, *Val. Guil. Loeſcherus*, quem avus meus omni tempore rerum ſuarum ſtudioſiſſimum habuit; ut vel hoc etiam nomine meum ſit, venerando Seni cumulatiſſima quæque felicitatum genera, placidamque ſenectutem, ex animo precari. Is, in colligendis *Eruditorum Actis* ipſe olim cum avo meo occupatiſſimus, præclare & honorifice de ſalutari hoc

ſent! Fuit quidem ea illius felicitas, ut ſano corpore, animo vero nunquam, laboraverit; ſenſit tamen & pedum infirmitatem, cum ſexageſimum fere ætatis annum attigiſſet, & paulo poſt inſultus

hoc bonis literis inſtituto in ea, qua Opus ſuum doctiſſimum, *Ion, ſive Origines Græciæ reſtauratæ*, inſcriptum, ſacrum *Menckenio* dicatumque eſſe juſſit, Epiſtola: *Nemo eſt, qui diffiteatur, vindicatam a te atque auctam immortali Actorum Eruditorum Opere, quæ langueſcere videbatur, Germanici nominis gloriam, ſuſcitatos e torpore populares noſtros, & ad majora aſſuefactos; cum ab ipſis laudatiſſimi hujus inſtituti incunabulis lætior apud nos literarum prodierit ſeges, certatimque ea a Germanis ſuſcepta ſint opera, quæ deturbari communem patriam a literaria laude nunquam permittent. Recte profecto agerent noſtri, ſi concordibus tibi ſuffragiis publicum ſervatæ Germanorum in literis famæ monumentum decernerent; ego vero rectius, dum morantur alii, vel levi hoc te denario demerebor, teſtaturus, quid patria communis, quid ego præſertim tibi debeam.* Nec minus honori cedit *Menckenio*, quod a Celeberrimo Academiæ Vitembergenſis doctore, *Io. Guil. Bergero, Cratippus Varroque Lipſienſis* dictus eſt in *Diſſertat. Academic. pag.* 502. In nomine *Directoris* cum plurimum ineſſe invidiæ, non tantum vero gloriæ, quantum appetendum eſſet ſapienti homini, judicaret Noſter; non ipſe tantum per omnem vitam ab eo modeſte ac prudenter abſtinuit, ſed alios etiam, ne quid hujus nominis ſibi tribuerent, ſevere prohibuit. Quod vero ad ipſam librorum deſcriptionem attinet, hic, ut verum fatear, plus a ſociis, quam ab ipſo præſtitum *Menckenio* fuit, cui, continuum cum viris doctis & Typographorum gente literarum commercium alen-

ens quoſdam apoplecticos, quamvis leviores, quos intrepidus ſuſtinuit; ſæpeque faſſus eſt, ſe ad mortem omni momento paratum eſſe, nec communem hanc hominum ſortem extimeſcere.

alenti, in revidendis primum, poſtea publicandis, ſociorum laboribus occupato, plurimaque alia, quæ abeſſe non poterant ab eo, quo inter Collegas ſuos fungebatur, munere, curanti; ſæpe ab exponendis librorum argumentis feriandum, quam ipſe vellet, diutius fuit. Compenſavit tamen hanc, ſi qua fuit, moram induſtria inſigni, & dictionis non vulgari elegantia, cujus, quæcunque auctorem habent *Menckenium*, librorum deſcriptiones luculenta veſtigia oſtendunt. In quo ita mecum omnes conſenſuros ſpero, ut nemo non deteſtaturus ſit calumniam, aut, ſi mitius dicendum, dictum plus quam ruſticum aut pædagogicum, *Nic. Hieron. Gundlingii*, meritis *Menckenianis* inſulſo hoc judicio detrahentis in *Collegio Hiſtoriæ literariæ P. III pag.* 4049: *Der Mencke brauchte die Magiſtros; und, wenn er ja bisweilen ein Extractgen machte, ſo iſt es eines von denen ſchlechteſten.* Quæ, cum ſint in Manes avi optimi prorſus injurioſe ſcripta, minime hic repetenda duxiſſem, niſi, parum habitura ponderis in animis eorum, quibus ſatis eſt cognita illius hominis obtrectandi viris etiam ſe ipſo longe doctioribus libido, certa ſatis ſpes me aleret. Quod brevitati ſtuduit *Menckenius* in percenſendis librorum argumentis, id tam parum vituperationis habet, ut ponendum potius in laude videatur; quandoquidem naturæ eſt, expandere orationem, artis vero & ingenii, contrahere. Ego ſane (ſi fieri poſſe putes, Lector, ut vera de avo meo ſcribam, eo etiam in loco, quo, laudandusne ſit, an vituperandus, inprimis quæ-

timeſcere. Ingruit demum, ut noſtis, Auditores, fatalis ille paroxyſmus, quo latus ſiniſtrum totum paralyſi affectum eſt, &, tametſi ſpem per aliquot dies retineremus, ſuperari morbum

quæritur,) in ſuſtinendo judicis literati munere ita verſatum invenio *Menckenium*, ut de levioribus leviter, &, ſi ita velis, negligenter, de gravioribus autem graviter & copioſe, diceret, ſeque adeo, & laborem ſuum omnem, ad dignitatem ſcriptorum, quos ante oculos habebat, componeret. Mala igitur *Menckenii* putes ſorte factum, ut incideret aliquando *Gundlingius* in tales ſcriptiunculas, quibus ille minoris aut formæ, aut momenti, libellorum argumenta complexus eſt, ad quarum menſuram cum ceteras omnes æſtimavit, næ judicis aut inepti, aut valde iniqui, notam effugere nullo modo poteſt. Ne vero ignores, Lector, magiſtellos illos, quorum opera *Menckenium* in deſcribendis libris uſum, *Gundlingius* ſcribit, age, cum omnes nominare non liceat, ſpeciminis loco eos tantum nominemus, quibus ipſum quaſi ortum ſuum debent *Acta* noſtra, & qui ſuas *Volumini* omnium *primo* ſymbolas contulerunt. Ordinem autem hic noli alium exſpectare, quam quo notata ſunt illorum nomina in margine exemplaris *Actorum*, quod ſervari ſolet in ædibus *Menckeniorum*, tanquam proprium eorum ac domeſticum. Primos igitur *Actorum* Auctores hos quidem jure maximo dicemus: *Michaelem Ettmüllerum*, Botanices in hac Academia Profeſſorem publicum, qui tantam ſcriptis ſuis famam conſecutus eſt, quanta poteſt maxima exſpectari; *Valentinum Alberti*, quem & omnes norunt, & ego ſupra pro merito laudavi; *Ioannem Olearium*, cujus & ipſius merita paulo ante a me celebrata ſunt; *Frid. Bened. Carpzovium*, notiſſimum

bum medicamentis poſſe, decollavit tamen illa die 29 Januarii, quo, animo quidem integer, Zz 2 ac

mum exteris nomen, quorum plurimos amicitia & literarum commercio ſibi conjunctiſſimos habuit, Polyhiſtorem egregium, doctrina, & literas adjuvandi ſtudio, quam ſcriptis, clariorem; *Ioannem Bohnium*, Medicinæ in hac noſtra Academia Profeſſorem publicum, ſcriptorum fama nulli ſecundum; *Adamum Rechenbergium*, Hiſtoriarum primum, poſtea Theologiæ, apud Lipſienſes publicum doctorem, præclariſſimorum in literas æque, ac noſtram Academiam, meritorum virum; *Anton. Güntherum Hesbuſium*, cujus memini me ſupra, cum Weſtphalos nobiliores nominarem, mentionem honorificam injicere; *Henr. Sam. Eckoldum*, Ordinis primum JCtorum Lipſienſium Aſſeſſorem, poſtea Lycei Gerani Inſpectorem, cujus variæ exſtant, bonæ frugis plenæ, nec inelegantes, Diſſertationes; *Chriſtophorum Pfauzium*, Mathematices, ut ſupra dixi, Profeſſorem in hac Academia publicum; *Ioannem Cyprianum*, Phyſices primum, deinde Theologiæ, Profeſſorem, vel ex edita, mirificeque aucta, *Hiſtoria ſacra animalium Franziana* omnibus notiſſimum; *Thomam Ittigium*, Theologiæ Profeſſorem, & ſacrorum Lipſienſium Antiſtitem; *Io. Benedictum Carpzovium*, in urbe noſtra ad D. Thomæ Paſtorem, & publicum Theologiæ Profeſſorem; denique *Romanum Tellerum*, Scabinatus Lipſienſis Aſſeſſorem. His addo quatuor alios, doctrina excellentes, viros, qui ſuis ſublimioris argumenti Obſervationibus *Volumen* hoc *Actorum primum* exornarunt: *Ioannem Flamſteedium*, primi nominis Aſtronomum, ortu Anglum, quem magnum illud *Hiſtoriæ cœleſtis* Opus ad aſtra, quorum quaſi aliquod regnum tenuit, evexit; *Jacobum Sponium*, Medicum & antiquitatis inveſtigatorem incomparabilem,

at viribus corporis penitus proſtratis, pie ac placide exſpiravit, non nobis modo, verum

parabilem, immortale Lugduni Gallorum decus; *Baſilium Titel*, Chiliarcham & Præfectum arcis Pleiſſenburgenſis, inter Mathematicos ſubtiles numerandum; *Adamum Adamandum Kochanski*, e Soc. Jeſu, Pragenſem olim, poſtea Regis Poloniarum, Mathematicum. Jam, ſi de ceteris etiam, qui deinde ſecuti ſunt, *Actorum* quaſi architectis requiras, cum, fieri vix poſſe, facile intelligas, ut ſingulorum hic nomina, nedum merita, perſequamur, ad retundendam *Gundlingii* calumniam id ſatis ſit docuiſſe, ex publicis Academiæ noſtræ doctoribus, quotquot a ſexaginta inde annis munus hoc cum laude tenuerunt, vix unum aut alterum fuiſſe, qui non in partem laborum, &, ſi qua inde exſpectari poteſt, gloriæ, venerit, inter exteros vero, quo quis majus nomen habuerit, hoc promtiorem ad ornanda hæc *Acta* fuiſſe. Noſti *Leibnitios*, Lector, *Tſchirnhauſios*, *Bernoullios*, *Wolffios*, *Seckendorffios*, qui *Acta* hæc noſtra quaſi publicum quoddam doctrinæ & induſtriæ ſuæ theatrum habuerunt, & æterna hic virtuti meritisque ſuis monumenta poſuerunt. Tot ac tantis Viris, quibus, ſi in re paucis nota & adhuc nimis obſcura verſarer, adjungi multo plures poſſent, *Acta* ſuperiorum temporum deberi, cum minime ignoraret is, quem modo dixi, *Gundlingius*; ineptiſſimum eſt illius hominis judicium, nihil valere *Acta* antiquiora præ his, quæ diu poſt ſunt publicata, ſuis perſuaſum auditoribus cupientis. Audire tibi vetus illud: *Sic volo, ſic jubeo*, videaris, cum iſta legas: *Uberhaupt waren die* Acta Eruditorum *nicht ſo gut, als ſie ietzo ſind; eben darum, weil ſie noch keine rechte Extracte machen konnten.* Vid. *Colleg. Hiſt. liter. loc. cit.*

cit. Videtur hic blandiri voluiſſe parenti meo *Gundlingius*: hujus enim amantiſſimum fuiſſe, ſat certo ſcio; ſed non debebat id cum injuria aliorum fieri. Mihi ſane, ad quem hereditate devoluta nunc eſt *Actorum* cura, &, quæ cum ea conjuncta ſunt, ſive bona, ſive mala omnia, id unum in optatis eſt, ne quidquam degeneraſſe a virtute majorum nepotes dicantur, nec in ſenectute minus ſit roboris, quam in tenera olim infantia fuit. Quæ dicenda de *Actorum* ſive initiis, ſive incrementis, de variis horum fatis, non omni tempore, ut fieri in rebus humanis aſſolet, proſperrimis, inprimis vero de invidorum peſſimis conſiliis, adhuc per Dei gratiam omni deſtitutis ſucceſſu, reſtant, ea jam dudum ante me ab aliis, quorum nonnullos ipſe olim in *Vita Jo. Burch. Menckenii*, hujus *Diſſertationibus Academicis* præmiſſa, *not.* 99, nominavi, deſcripta, aut ita ſunt comparata, ut nec legi cum voluptate, nec dici ſine dolore, poſſint. Pulcherrimæ tamen coronidis loco addam hic terſam illam & venuſtam *Jo. Georg. Pritii*, Theologi olim celeberrimi, Elegiam, qua monumentum ære perennius & *Actis* noſtris, & horum primis auctoribus, erexit. Locum ei dedit in Diſſert. *de Republica literaria*, Lipſiæ A. 1698 publicata, *pag.* 37, unde, operæ pretium eſt, huc transſcribi integram:

*Qua te laude feram, ſanctum ac venerabile nomen,*
*Patria, quæ ſtatuam digna tropæa tibi?*
*An referam pulchros in pulchro corpore mores,*
*Et, quibus invidiæ tela laceſſis, opes?*
*Fulgentesque ædes, ac tecta minantia cœlo,*
*An celebres merces hæc mea penna tuas?*
*Et nitidæ caſtæque decus peramabile linguæ,*
*Et tibi quod ſurgat Bibliotheca duplex?*
*Da veniam trepido, mater blandiſſima, nato,*
*Quod ſileat laudis nomina tanta tuæ.*

rum & exteris, deploratus. t) Jam virtutes

*Sunt hæc magna quidem, ſed poſſunt eſſe minora,*
*Dum, Philuræa, tuum grandius exſtat opus.*
*Quantum etenim totus ſoli tibi debeat orbis;*
*Unica doctorum vel ſatis Acta probant.*
*Maxima conveniunt Philuræa nomina gentis,*
*Grandeque* Menckenius *fortiter urget opus.*
*Undique magnorum referuntur ſcripta virorum,*
*Undique Pieridum diſcutiuntur opes.*
*Hic ſua librari myſteria conſpicit orbis,*
*Arteque tam facili cuncta patere ſtupet;*
*Hic ſe, quæ docuit, miratur diſcere Phœbus,*
*Et res mirandas parva papyrus habet.*
*In teneras cogit ſeſe ſapientia chartas,*
*Indeque mox brevius ſplendidiusque redit.*
*Itala nil tantum nobis Academia profert,*
*His etiam cœptis cedere Brito velit.*
*Et tua ne pergas jactare Diaria, Galle;*
*Nam, quo te ſuperet, nunc Alemannus habet.*
*Salvete, illuſtres animæ, ſudateque ſeclis,*
*Præmia laus ſeræ poſteritatis erit.*
*At tu, quæ tantis creſcis feliciter auſis,*
*Hic etiam ſalve, patria chara, mihi.*
*En modo, ſe quantis tollat tua gloria rebus,*
*Non tibi ſol poſthac aureus æqua videt.*
*Pars alibi doctrinæ eſt, nec ſe tota recludit,*
*Mundi divitias hic liber unus habet.*

t) Morbi, *Menckenio* fatalis, rationem plenius, Lector, ex Programmate funebri cognoſces, ubi hæc legis: *Morbi, qui mortis cauſa fuit, initia fuere inſultus, per aliquot annos ſubinde recurrentes, apoplectici leviores. Hi ſemper in parvam brevemque paralyſin linguæ vel manus alterius abierunt. Sed, qui ex illis metuebatur, vehementior & lethalis paroxyſmus die XVIII menſis Januarii circa veſperam ingruit, a quo ſenſus tam externi, quam interni,* vel-

tes u) ejus, ac totum corporis habitum, plenius exponerem, niſi vel ipſa præſentia



ve-

*valde turbati latus ſiniſtrum totum paralyſi affectum. In quo ſtatu diebus tribus fuit. Quarta, medicicina, vim ſuam exerens, ſenſuum internorum externorumque, immo & linguæ, uſum reduxit; ſed paralyſis ſiniſtri lateris aucta, reſpirationem haud parum impedivit. Sic ergo factum eſt, ut die 29 Januarii mane, poſt horam octavam, adſtante Confeſſionario,* L. Dornfeldio, *a quo ſalutari viatico mature erat inſtructus, cujusque ex verbo Dei dicta ſolatia ſe percipere, & voce & manu ſignificavit, præſentibus liberis & amicis, pie & Chriſtiane finiretur.* Annos exegit LXII, hebdomadas XLIII, diem unum, in eorum referendus numerum, qui anno climacterico majori ſunt demortui, ſi quis nempe operæ pretium putet, argumentum hoc ſingulari ſcriptione perſequi, ſicut olim *de Eruditis climacterico maximo denatis* in *Schediaſmate hiſtorico-literario*, Roſtochii A. 1707, 4, edito, egiſſe memini *Reinhardum Henr. Rollium.*

u) De virtutibus avi nihil commemorari debere a nepote, forſan, quibus perſuaſum ſit, haud pauci erunt. Horum igitur ne reprehenſionem incurram, & mihi & Lectoribus ſatis erit, de ingenio & moribus *Menckenii* publicam quaſi Academiæ vocem audire, & imaginem ejus ſiſtere talem, qualem olim *Programmatis funebris*, quisquis demum fuit, Auctor delineavit. Ita enim ille: *Philoſophiam moralem ore & exemplo vitæ docuit, in adverſis conſtans, liberalis, probus, candidus, humanus, procul omni aſperitate & rixa, Sed hæc quidem vita bonum Philoſophum, non Chriſtianum æque facit. Quã de cauſa officia omnia pietatis, in Scripturis ſacris præſcripta, erga Deum*

*homi-*

veſtra, Pro-Rector Magnifice, Conſul amplisſime, ceterique Viri honoratiſſimi, ſilentium mihi

*hominesque, quantum pote, obſervavit.* Forma corporis fuiſſe eum tam ſpectabili & eleganti dicunt, ut juvenis olim nomen *Menckenii formoſi* (*des ſchœnen Mencken*) acceperit. Cum igitur A. 1694 ſacramentum obſequii ab Academia noſtra præſtandum eſſet novo tunc Electori, *Friderico Auguſto*, neminem fuiſſe inter Profeſſores, qui majori, quam *Menckenius*, oris gratia placeret, relatum mihi a teſte non uno memini. Et *Samuelis Puffendorfii*, olim per aliquot dies Lipſiæ commorantis, hoc fuit judicium, ſive formam, ſive ingenium, ſpectes, natum factumque ad vitam civilem videri *Menckenium*, nec quemquam eo aptiorem ad res gerendas publicas putandum. Humanitatis & officiorum aliis præſtandorum tam ſtudioſus fuit, ut eo nomine laudem plurimorum tulerit, maxime autem *Guil. Cavei*, qui *Virum nullis non nominibus ſibi æſtimandum, & de quo incertum, eruditionene, an humanitate, ſit præſtantior*, dicit in *Præfatione Partis II Hiſt. liter. Scriptor. Eccleſiaſt. pag. 7*, & *Vinc. Placcii*, cui *eruditionis ac humanitatis ſummæ Vir* vocatur in *Theatro Anonymorum ac Pſeudonymorum pag. 345*. Sexus muliebris conſuetudinem honeſtam & ipſe amavit, & aliis inprimis commendavit, quod ita exiſtimaret, non aliunde majorem, quam ex jucunda hac amabilique ſchola, morum exſpectari culturam poſſe. Arti etiam muſicæ plurimum olim temporis impendit, tantosque in ea progreſſus fecit, ut jam ſenex, intermiſſo diu hoc ſtudio, cum forte apud amicos in panduram aut citharam incideret, non aliter hanc pulſaret, ac ſi unum id per omne vitæ ſuæ tempus egiſſet. His quaſi intervallis curas ſuas & labores graviores diſtin-

mihi quodammodo imponeret. Nimirum, eorum potius memor, quæ Vobis debeo, gratias Vobis ago habeoque prolixiſſimas, quod memoriam beati parentis præſentia veſtra decorare non eſtis dedignati. Agnoſcimus favorem, quo *Menckenianam* familiam proſequimini, eumque ut perpetuum nobis ſervetis, ſubmiſſa animi veneratione rogamus. x) Dixi.

diſtinxit, ſuo quippe exemplo edoctus, jucundam animi recreationem ad conſervandum ejus robur plurimum valere, hocque modo ad tractandum aut abſolvendum penſum noſtrum alacriores nos effici.

x) Audiviſti, Lector, Oratorem & pium, & copioſum, &, quod gratiam inprimis non vulgarem habet, vera, & teſtimonio comprobata publico, narrantem. Sed, cum pauca adhuc de vita *Menckenii* dicenda reſtent, quæ, niſi ordinem orationis turbaret, & ipſi dicendi rationi quaſi vim inferret, minime attingi ab Oratore potuerunt; jam, ne qua ex parte deſtituiſſe ſpem Lectorum videamur, lacunas has vel breviſſimis ſupplebimus. Et primum quidem, quod ad publica attinet munera, quibus in hac Academia cum laude functus eſt *Menckenius*, docemur ex Annalibus ſuperiorum temporum, faſces Academicos quinquies ab eo geſtos, annis nempe ſuperioris Seculi 75, 79, 87, 93, & 99; Ordinis Philoſophici *Decanum* (hoc enim nomen muneri,) ſepties, A. 1671, 1677, 1681, 1685, 1691, 1697, & 1703, nominatum; ſemel *Pagorum veterum Academicorum Præpoſitum magnum* conſtitutum; & A. 1697 in numerum *Decemvirorum* hujus Academiæ, qui rerum ſolent œconomicarum curam gerere, receptum. Deinde, illud inprimis mearum eſſe partium, & cupidiſſime expeti a Lectoribus, intelligo, ut, quid ſit ſcriptorum publicatum a *Menckenio*, plene & curate a me indi-

indicetur. Quo in negotio ita verſaturus, ne cui nimium dediſſe dicar laudibus *Menckeniis*, id quidem minime diſſimulandum puto, de ſcribendis majoris ſive molis, ſive ſtudii, operibus nunquam cogitatum a *Menckenio*, nec cogitari ab eo potuiſſe, quandoquidem ejusmodi laborem muneris partim publici, per ſe ſatis moleſti, partim *Actorum Eruditorum*, in quibus colligendis per annos quinque & viginti deſudavit, ratio prohibuit. *Si plane nihil ſcripſiſſet*, inquit *Jo. Fabricius* in *Hiſtoria Bibliothecæ ſuæ* P. V *pag.* 417, *immortaliter tamen, cœpto Actorum Eruditorum opere, meritus eſſet. Quot enim libros recenſuit, tot quaſi ſtellis cœlum gloriæ ſuæ ornavit.* Nam, quod librorum paratu difficilium, *Hiſtoriæ Pelagianæ*, ab *Henrico Noriſio* olim publicatæ, & libri *Marshamiani, Canon Chronicus Ægyptiacus, Hebraicus, & Græcus*, inſcripti, novas, illius A. 1677, hujus A. 1676, Lipſiæ editiones curavit, eandemque operam denuo edendis *Guil. Camdeni Annalibus rerum Anglicarum & Hibernicarum regnante Eliſabetha* adhibuit, in eo ſi bene meritum de re literaria, aut, ſi mavis, libraria, dicas, facies id, quod æquitatis eſſe omnes judicent; ſin præcipuum ei inter viros doctos dicas locum occupatum, eo nomine ab ipſius Manibus *Menckenii*, longe ab eo alieni, ut in tali laborum genere quidquam ſitum gloriæ putaret, parum gratiæ tu feres. Sed in eo forſan majori Noſter dignus laude videatur, quod *Marci Zuerii Boxhornii Hiſtoriæ univerſali ſacræ & profanæ*, novis typis, ſua, etſi ἀνωνύμως, cura, Lipſiæ A. 1675, forma 4, exſcriptæ, non adeo inutilem, decem quippe annorum geſta enarrantem, Appendicem adjecit, & ex *Georgii Hornii Orbe politico*, (non *poetico*, ut per errorem, typothetæ forte, exſcriptum eſt in *Io. Fabricii Hiſtoria Bibliothecæ ſuæ Parte V. pag.* 417,) poſt varias editiones A. 1675 Lipſiæ forma 12 publicato, & ſuis animadverſionibus inſtructo, innumerabiles errores ſuſtulit. Videas enim induſtriam

duſtriam *Menckenii*, in libris his expoliendis poſitam, a variis laudari, in quibus ſunt nonnulli, quorum ſuffragium in re literaria plurimum momenti habet. Sed commemorari inprimis, & quidni laudari? Diſſertationes ejus & Programmata Academica merentur, quæ ſi alio quocunque, quam hoc, quem dixi, titulo prodiiſſent, forſan inſignem auctori ſuo famam peperiſſent. Eſt hoc hominum in Academiis viventium quaſi fatum quoddam, ut laborandum non literis, non communi illi, quæ artes omnes & ſcientias complectitur, ſocietati, ſed ſoli illi, cui quaſi adſtricti alligatique ſunt, cathedræ, ſoli, quam habitare æternum juſſi ſunt, Academiæ, ſolis etiam, ne quid diſſimulem, antiquarum conſuetudinum opinionumque legibus tyrannicis, videant, &, niſi in ſcribendis talibus libellis, qui poſſint Academicis liticulis materiam præbere, ſint aſſidui, etiamſi de gloria & Academiæ, & literarum, modis aliis præclare mereantur, urbisque patriæ honorem apud exteros non infeliciter tueantur, nec adſpirantem ſibi popularem auram, nec eos ipſos, qui, ſi vellent, de eo, quod pertinet ad decus Academiarum, rectius judicare poſſent, ſatis ſibi amicos, habeant. Nominari autem doctorum virorum mihi unum velim, qui hoc laborum Academicorum genere, ſatis per ſe bono, &, ſi ita juſſeris, laudabili, ſed non ad famam Academiarum comparato, immortale ſibi nomen pepererit; cum ego contra eorum multos ſciam, qui ſine hoc ſubſidio & ſuæ & Academiarum gloriæ egregie proſpexerunt. Nam, cum, ita fieri plerumque, conſtet; ut eæ Diſſertationes, quæ Academicis ſunt uſibus dicatæ, quamvis diligenter atque docte ſcriptæ, natalis ſui ſoli perpetuis quaſi carceribus damnentur, nec facile ad exteros, parum etiam illarum curioſos, perferantur, ſicque in obſcuro latendum ſit induſtriæ, etiam quæ ſumma & omni honorum genere digniſſima putari poteſt; non ſatis ſcio, an eorum reprehendi

prehendi conſilium poſſit, qui, longe ab eo alieni, ut conſcribendis, qualiscunque argumenti atque pretii, libellis ejusmodi ætatem Academicam conſumant, alia, eaque multo certiori, via ad immortalitatem contendunt. Sed, ut contemti hi plerumque jacent inter cives ſuos, nec ſatis gnaros veræ gloriæ, nec ad eam conſequendam ſatis natura aptos, ita, ſi quis tam forti non ſit ſtomacho, ut concoquere hunc facile contemtum poſſit, habet is utique, cur mores ſuos ad exemplum aliorum componat, & eorum, quos fortunæ ſuæ auctores cupit, veſtigiis inſiſtat. Avus ſane meus, ſuo ſe ſeculo accommodare, quam ab inſtitutis majorum tantillum deflectere, conſultius duxit. Exſtant enim Diſputationes ejus, argumenti varii, philoſophici maxime & hiſtorici, non paucæ, Programmata vero numero plura, rariora nunc, quam ut a me ipſo, diligentiſſime hæc veſtiganti, inveniri ad unum omnia potuerint. Negligentior enim in his ſervandis fuit avus meus, etiam hac in re exemplum aliorum ſecutus, qui, ad id tantum ſcribi Programmata, ut Academicis civibus publicorum actuum ſolennia annuntient, ceterum vix digna eſſe, quæ ad poſteros transmittantur, ſatis ſibi temere perſuaſerant. Quo factum, ut multorum optimi labores in prædam blattis tineisque ceſſerint, jamque eorum vix memoria ſuperſit, nedum ut ætati noſtræ ullum præſtare uſum poſſint. Habuere eandem ſortem avi mei Programmata, quorum nonnulla, diu fruſtra a me veſtigata, tandem ſingulari quodam fato in manus meas venerunt, alia vero, quæ certo ſcio publicata a *Menckenio*, nusquam apparuerunt, nec, cujus ſive argumenti, ſive pretii, hæc fuerint, adhuc ſatis mihi eſt cognitum. Sed, quicquid ejus rei ſit, præſtat, quæ mihi ſunt cognita, indicare, quam de ſcriptis *Menckenii* prorſus nihil commemorare. Primum igitur *Diſputationes*, poſtea *Programmata*, nominabo,

nabo. Et quidem *Diſputationes*, a *Menckenio* publicatæ, hæ ſunt:

*De Identitate intellectus & voluntatis inter ſe, & cum anima.* Reſpondente *Io. Ge. Simon.* Lipſiæ, 1664.
*De Præciſione inter creata realiter identificata, num objectiva ſit, an vero tantum formalis.* Jenæ, 1664.
*De abſoluta Dei ſimplicitate.* Prima pro Loco in ordine Philoſophorum obtinendo. Lipſiæ, 1665.
*Micropolitia, id eſt, Reſpublica in microcoſmo conſpicua.* Altera pro Loco in ordine Philoſophorum obtinendo. Ibidem, 1666.
*De Thomæ Hobbeſii Epicureiſmo.* Reſp. *Chriſtiano Michelmann.* Ibidem, 1668.
*De Acquiſitione originaria juris in perſonas.* Reſp. *Chriſtoph. Moſsdorf*, ibidem, 1668.
*Num peccata omnia ſint æqualia?* Ibidem, 1670.

Hanc nunquam mihi viſam memini, nec dicere habeo, ſitne a *Menckenio* Præſide, an Reſpondente, in Philoſophica, an Theologica; cathedra, defenſa. Sed, prodiiſſe eam utique auctore *Menckenio*, docet me *Catalogus Diſputationum, a M. Chriſtiano Miſlero collectarum, pag.* 460.

*Exercitatio theologica ad Caput VIII Epiſtolæ ad Romanos, verſ.* 31, 32. Hanc pro Licentia ſummos in Theologia honores capeſſendi, ſine Reſpondente, in cathedra Theologica defendit. Notamus autem, ad ſupremos in Theologia honores nunquam adſpiraſſe *Menckenium*; fallique adeo *Iac. Frid. Reimannum*, cui S. Theol. Doctor dicitur in *der Einleitung in die Hiſtoriam literariam der Teutſchen Parte I pag.* 195.
*De Prudentia feſtinandi lente.* Reſp. *Georg. Iac. Leickhero.* Ibidem, 1671. Hanc ita adductam videas a *Dan. Frid. Pœnmanno* in *Vitis virorum ex quavis Facultate clariſſimorum pag.* 190, ut aliam *de Prudentia*, aliam *de Feſtina lente*, editam a *Menckenio* Diſputationem putare poſſis.

De

*De Jure majeſtatis circa venationem.* Reſp. *Chriſtiano Dethlevo Rode*. Ibid, 1674.

*Ad Excurſum Baronii Tom. X Annal. ad annum 996 §. 38 ſeq. de Origine Electorum S. Rom. Imperii*, Reſp. *Georg. Quirino Pæckel*. Ibid. 1676.

*Ad Hug. Grotii Lib. II de Jure Bell. ac Pac. Cap. XX §. 5 & ſeq. de Vindictæ privatæ licentia.* Reſp. *Anton. Günthero Faſelio*. Ibid. 1677.

*De Juſtitia auxiliorum contra fœderatos.* Reſp. *Georg. Gottlob Struvio*. Ibid. 1685.

*De Divortiis ſecundum Jus naturæ.* Reſp. *Io. Chriſtoph. Wichmannshauſen*. Ibid. 1685.

*Propædia politica ad Juſti Lipſii Politicorum Librum I.* Reſp. *Ern. Ludovico Cartrejo*. Ibid. 1693.

His addo *Programmata*, ſed quibus argumenta Auctor, illius more ſeculi, non inſcripſit. Hæc igitur non Auctoris, ſed noſtris, verbis hic notata accipe:

*De Gabrielis Naudæi Conſiderationibus politicis ſuper arcana ſtatus, libro errorum Machiavellicorum pleniſſimo.* Lipſiæ, 1669, 4. Invitavit hoc Programmate Proceres Academiæ ad audiendam Orationem Profeſſionis Philoſophiæ practicæ aditialem.

Ceteris omnibus edendis occaſionem ſuppeditarunt aut publica Actuum Academicorum ſolennia, quæ ab ipſo, Decani in ordine Philoſophorum munus gerente, indicenda fuerunt, aut privatæ prælectiones, ad quas audiendas ſcriptione publica cives Academicos invitavit:

*De Chriſto in leonis habitu.* Lipſiæ, 1671, 4.

*De Chriſto cum phœnice comparato.* Ibid. eod. 4.

*De Paracleti nomine, Chriſto & Spiritui S. in Scriptura S. tributo.* Ibid. eod. 4.

*De Palma, victoriæ ſymbolo.* Ibid. eod. fol.

*De Perſonarum illuſtrium in ſtudia literarum beneficentia.* Ibid, eod. fol.

De

*De Vinculo Saxonicæ & Haſſiacæ domus per matrimonia confirmato.* Ibid. eod. fol.

*De* Georgii Hornii *Orbe politico, libro utiliſſimas civilis doctrinæ inſtitutiones complectente.* Ibid. eod. fol.

*De eo, quod in* Hugonis Grotii *Jure Belli ac Pacis egregium eſt.* Ibid. 1672, fol.

*De Laudationum funebrium antiquitate.* Ibid. 1677, fol.

*De Iis, qui repulſam tulerunt, ex Hiſtoria tam Græca, quam Romana.* Ibid. eod. 4.

*De Honoribus,* Auguſto *olim reduci decretis.* Ibid. 1681, fol.

*De* Georgio Hornio, *in artes & ſcientias liberales iniquiſſimo.* Ibid. eod. 4.

Renati Rapini *de* Demoſthene *&* Cicerone *ſententia explicata.* Ibid. 1685, fol.

*De Canonizatione Sanctorum.* Ibid. eod. fol.

*De Potenti manu Dei in Seculi XVII hiſtoria inprimis conſpicua.* Ibid. 1691, fol.

*De Orthodoxia & Heterodoxia Philoſophorum.* Ibid. eod. 4. Unius plagulæ Programma eſt, cui tamen contigit ſub ſplendidiori *Diſſertationis* nomine allegari a Celeberrimo Academiæ Gottingenſis doctore, *Lud. Mart. Kahlio,* in *Bibliothecæ Philoſophicæ Struvianæ,* cujus novam nuper, eandemque omnibus numeris abſolutam, editionem curavit, *Tomo I pag. 255.*

*De* Pindari, Lycophronis, *&* Dionyſii Alexandrini, *novis editionibus, ex Theatro Sheldoniano emiſſis.* Ibid. 1697, 4.

*Specimen lucubrationum* Ezechielis Spanhemii *in* Callimachum. Ibid. 1697, fol.

*Hiſtoria Miſſionum Societatis Jeſu ad Indos.* Ibid. 1697, fol.

*Num Opera, quæ ſub* S. Dionyſii Areopagitæ *nomine circumferuntur, genuina ſint, an ſuppoſititia?* Ibid. 1703, fol.

*De Motibus in Eccleſia Gallicana per librum:* Cas de Conſcience propoſé par un Confeſſeur de Province, *excitatis, & horum origine.* Ibid. eod. fol.

*Noti-*

*Notitia literaria Operum Euclidis*, a Dav. Gregorio *Oxonii editorum A. 1703.* Ibid. eod. 4.

*De Origine domus Hohenzollerianæ.* Ibid. eod. fol.

*An recentiores Logici, quos ab ideis non male, parum licet Latine, ideales dixeris, ſemet aliis artis ratiocinativæ magiſtris jure meritoque præferant?* Ibid. 1704, 4. Scriptis *Menckenianis* Programma hoc, mihi nunquam viſum, accenſetur a P. *Niceronio* in *Memoires pour ſervir à l' Hiſtoire des hommes illuſtres dans la Rep. des lettres Tom. XXXI pag.* 253, qui unde hanc notitiam hauſerit, ne divinando quidem aſſequor, cum, præter *Nova literaria Germaniæ Anni* 1707, quæ hujus rei nihil habent, ſcriptorem, ex quo fata atque ſcripta *Menckenii* cognoverit, ne unum quidem nominet.

Et hæc quidem ſunt, quæ non ſine multo ſtudio collecta mihi undecunque ſunt, Programmata avi mei; quibus, certo ſcio, longe plura prodiiſſe, neſcio an unquam ventura in manus meas. Nos interim præſentibus fruamur, dignis, meo judicio, quæ, in faſciculum redacta, ab elegantioris doctrinæ ſtudioſis legantur, aut, ſi hoc invidi non ferant, dignis ſaltem, quorum memoria publico hoc noſtro indicio conſervetur. Ceterum, cum in ornanda & illuſtranda doctrina morali, cujus publice docendæ munere fungebatur, totus per omnem vitam fuerit *Menckenius*, hinc etiam *Jacobi Thomaſii*, celeberrimi Philoſophi, *Philoſophiæ practicæ*, A. 1672 forma majori editæ, Notis non indoctis illuſtrandæ operam impendit, conſilio ſat bono, etſi nunc inutili quodammodo, quandoquidem nunc alios Deos veneramur, & alia longe, quam *Thomaſiana* illa, in ſcholis noſtris Philoſophia & philoſophandi ratio regnat. Mentionem fecit laboris hujus parens meus in *Catalogo Bibliothecæ ſuæ pag.* 849. Præterea in manibus meis eſſe gaudeo *Orationes* varias, a *Menckenio* publice in cathedra

thedra Philoſophorum recitatas, pretium, ſive argumenti dignitatem, ſive orationis ſuavitatem, ſpecies, non omnino nullum habentes. Ex his, cum plures poſſim, eam tantum nominabo, qua *memoriam maximi Principum, Ioannis Georgii I, Saxoniæ Electoris,* celebravit, paucas item alias, *de Machiavelliſtarum turpitudine in laniena Pariſienſi conſpicua, adverſus* Gabrielem Naudæum, *de Bellis Hungarico-Turcicis, olim cum Chriſtianis varia fortuna geſtis,* & *de rei literariæ in Italia per Seculum XVII ſtatu*, quæ ſane non jejunis formulis contextæ ſunt, ſed rerum ſcitu utilium copia lectores alliciunt, allectosque tenent. Denique, ne earum rerum, quæ aliqua ex parte glorioſæ putari avo meo poſſunt, quidquam prætermittam, in eo etiam non male ſuæ ſive laudi, ſive memoriæ, proſpexit, quod de colligendo undique, non tam copioſo, quam ſelecto, librorum apparatu mature cogitavit, jecitque fundamenta Bibliothecæ illius ſplendidæ, & cum paucis comparandæ, quam deinde filius, *Ioannes Burchardus,* ſumtibus prætoriis, &, quam res domeſtica ferret, pæne majoribus, inſtruxit, publicis nunc etiam, poſt fata ſua, uſibus patentem in *Bibliotheca Menckeniana ab* Ottone *&* Ioanne Burchardo Menckeniis, *patre & filio, multorum annorum ſpatio, ſtudioſe collecta, & juſto ordine diſpoſita,* a patre meo Lipſiæ A. 1723, iterumque A. 1727, forma 8, publicata. Nihil nunc reſtat aliud, quam ut Inſcriptiones duas ſepulchrales, alteram, a parente meo, *Joanne Burchardo,* alteram ab *Henrico Auguſtino Groſchuffio,* viro non indocto, cujus *de Gentis Trillerianæ ortu, progreſſu, & inſignibus,* Orationem Lipſiæ A. 1705, & *nova Librorum rariorum Collectionis Faſciculos V* Halæ ab A. 1709 ad 1716, prodiiſſe ſcimus, poſitam, hic, tanquam in publica quadam tabula, legendas demus, & ſic ſupremum Manibus Viri optimi, & de literis ſatis præclare meriti, monumentum erigamus. Et primo quidem loco illam parentis mei accipe:

D. O. M.

D. O. M.

*V. C. Ottoni Menckenio, in Acad. Lipſ. per annos XXXVII Civilis Sapientiæ Doctori, qui apud poſteros obtinuit, ut, quod ſuperſtes eſt, nomen, poſtquam ipſe obiit, doctrinæ, probitatis, humanitatis, habeatur; ſermonis, doctrinæ, morum, ſoliditate & gratia innumeram diſcentium turbam cepit, detinuit, devinxit, ſumma in Deum religione, in matrem Academiam pietate, quam vita omni, tum geſto maxime quinquies magiſtratu Academico, prudentia & candore ita eſt tutatus, ut nulla privata inimicitia, moderatione egregia, de publica re diſſentire valeret; Domi Profeſſorum ſui ordinis primus, inter exteros virtutis gloria nulli ſecundus, quorum in literaria Rep. geſta faſtis eruditorum condere inſtituens, clariſſimam literarum lucem patriæ noſtræ collegit, pulcherrimum ſui nominis ſplendorem per exteros diffudit, maritus felix, niſi quod rariſſimam fœminam,* Magdalenam Sibyllam Berlichiam, *cum qua vixerat annos XXX, mœſtus exciderit, anno ante obitum IV factus ex ea parens filii Collegæ, filiæ virtute florentis, nepotum VII, quorum cum lacrymis compoſitus manibus, heic juxta conjugem quieſcit. Vixit annos LXII, menſes X, dies XXII, longiore vita digniſſimus, niſi hæc vita mors eſſet. Perpetuam vitam adivit die III Kal. Febr. A. clɔ Iɔcc VII.*

*Patri piiſſimo filius unicus.*

IOANNES BURCHARDUS MENCKENIUS.

Iam & alteram legendam, & ex cujusque ingenio lectoris æſtimandam, dabo;

*Quæ omnia*

*quæ portenta Lipſiam infeſtant*

*et*

*tanta ſit devaſtatio.*

*Noviſſime*

*purpuram & ſceptrum Academicum mors funeſtavit*

*morte Magnifici* Schambergii

*nunc eheu!*

*in*

*in membra quoque Academiæ ſævitur.*
*Sævitur ne quid gravius dicam*
*Diſpuduibus minus & talem avertiſſe caſum!*
*Amiſimus*
*Virum celeberrimum*
Ottonem Menckenium
*Profeſſorem Lipſienſem meritiſſimum.*
*O dira & dura fata!*
*O omina infauſta!*
*Non æquidem hoc malum augurati ſumus*
*ex alitis volatu, cantu ſiniſtro oſcinis*
*aut tripudiis ſoliſtimis*
*nec quidquam*
*cava prædixit ab ilice cornix*
*ſed*
*feralis præco funus funeſtiſſimum indixit.*
*Ollus Quiris leto datus eſt*
*ollus hodie ecfertur*
*ecfertur ille eheu! ſed non ſolus*
*dum*
*in uno non unum perdidimus.*
*Luget*
*Lipſia ornamentum*
*Academia Profeſſorem*
*diſcentes doctorem*
*Muſæ ſtatorem*
*Societas literaria Præſidem*
*hinc*
*in tanto luctu*
*Muſæ politiores juſtitium ſumſere*
*ſedent in ſqualore & ſitu*
*quia*
*a ſitu & ſqualore defunctus eas vindicaverat,*
*in ſolitoria habitant frequentia,*
*clamitant in ſilentio.*
*Vides præterea*
*Apollinem perturbatum*
*hederas marceſcentes*
*laurum diſcerptam*
*confuſum Helicona*

*Lacrumantem Caſtaliam.*
*Illæ etiam Muſæ*
*proxime pro Senis optimi valetudine vota nuncupabant*
*præeunte Apolline.*
*Morbus privatus erat publicus.*
*Sentiebant*
*non tam innocentiſſimi Senis jugulum peti quam literarum*
*&*
*in tabulis votivis*
*lubens meritoque votum ſolviſſent*
*niſi votis concidiſſent.*
*Muſæ offerebant annos ſuos ut ſenis ægrotantis annos*
*augerent.*
*Mortem ſponte ſubire cupiebant ut illius vitam*
*ſuſtentarent.*
*At mors inpudentior*
*nihil horruit vota tot publica*
*inque unius vita multorum vitas exſtinxit.*
*Occidit eheu!*
*Germaniæ ornamentum*
*humanæ ſapientiæ oraculum*
*eruditorum Phœnix*
*ævi prioris exemplar.*
*Mortua eſt viva illa & ambulans*
*Bibliotheca.*
*Ita vero eſt*
*Cui omnes hactenus ζωὴ & ψυχὴ acclamarunt*
*huic nunc conclamatur*
*qui ut*
*toties cum mortuis verſatus eſt*
*nunc ad mortuos abiit*
*quanquam abiit*
*plenus annis plenus honoribus*
*poſteritati ſuæ interfuit*
*gloriæ ſupervixit*
*dum*
*merita ipſius loquuntur literæ mutæ.*
*At*
*hoc quoque ſolamen cruciat.*
*Namque*

*vita*

*viſa licet longior fuerit, breviſſima dicenda erit.*

*Senex optimus præmature deceſſit*

*quia*

*multum adhuc profuiſſet.*

*Interim*

*dum Seni innocenti exequias imus*

*dum comitamur funus*

*quid facto opus eſt?*

*an ut gentilium more inferias inferamus*

*aut*

*defunctum pro roſtris laudemus?*

*Abſit.*

*Major eſt laude major invidia*

*nec*

*conductis præficis opus.*

*Operam ludes*

*ſi ſepulcrum floribus aut roſa coronabis*

*&*

*lucernam ardentem inferes.*

*Fama ipſius longe fragrantior floribus*

*longe fulgentior lucerna*

*cujus nomen*

*ignotis terris non ignotum eſt.*

*Quid ergo faciendum?*

*Apprecemur*

*Exuviis levem & ſine pondere terram*

*ut in ipſa hieme*

*perpetuum ver agat illacbrymabilis urna.*

*Ita*

*anima beatiſſima*

*ſalve æternum & vale!*

*Nos eo ordine*

*quo natura permiſeritte ſequemur.*

*Iterum vale*

*Anima dulciſſima.*

Carmina, quibus *Menckenii* memoriam cognati, amici, & collegæ, proſecuti ſunt, quorum bene multa prodierunt, hic, ne longus ſim in re magis privata, quam publica, non adjungo.

---

INDEX

# INDEX DISSERTATIONUM
QUÆ
## VOLUMINIS PRIMI
## PARTE QUARTA
CONTINENTUR:

I. IOANNIS CONRADI SCHWARZII Explanatio *1 Reg. VI, 31.* Pag. 557-567.

II. PETRI ZORNII Diſſertatio de ישבי המכתש, ſive habitatoribus mortarii Hieroſolymis, ad *Sophoniæ Caput I verſ. 11.* Pag. 567-583.

III. IO. CHRISTOPHORI HARENBERGII Diatribe philologico-theologica de Regeneratione, an iterabili? ejusque natura, ad *Tit. III, 4, 5, 6, 7.* Pag. 584-627.

IV. I. B. Notitia libri longe rariſſimi, pauciſſimisque viſi, *Philippi Melanchthonis* Hypotypoſeon, Italico ſermone editarum. Pag. 628-643.

V. IOANNIS BVRCHARDI MENCKENII, *Ottonis* filii, de Vita & in literas meritis *Ottonis Menckenii*, doctoris Lipſienſis, Oratio, nunc primum edita, & Notis FRIDERICI OTTONIS MENCKENII illuſtrata. Pag. 644-737.

* * *

INDEX

* * *

# INDEX I
## LOCORVM SCRIPTVRÆ SACRÆ, PASSIM PER HÆC QVATVOR MISCELLANEORVM VOLVMINA EXPLICATORVM, AVT ILLVSTRATORVM.


*Geneſ.* II, 12. 578.
XI, 31. 395.
XV, 9. 379.
XXXVIII, 2. 580.
24. 395.
XLI, 5. 566.
XLII, 18. 25.
XLIV, 1. 28.
*Exod.* IX, 31. 32. 219.
XI, 5. 574.
XII, 18. 219.
XIII, 4. ibid.
XV, 26. 205.
XIX, 21 ſeq. 370.
XX, 1 ſeq. 368. 370.
18. 369.
XXI-XXIII. 368.
369.
XXIV. 368. 379.
1. 373.
3. 369. 370.
5. 371.
7. 367.
368. 373.
XXX, 23. 577.
34. 578.
XXXIII, 5 ſeq. 396.
*Levit.* IV, 24. 197.
28. ibid.
XIII, 5. 566.
33. ibid.
XIII, 47. 211.
54. 566.
XIV, 3. 211.
32. ibid.
XVI. 379.
5. 197.
7. ibid.
XVII, 7. 197.
XXI, 20. 205.
*Num.* X, 6. 566.
XI, 5. 179.
14. ibid.
XIV, 44. 205.
*Deut.* VI, 8. 396.
XI, 9 ſeq. 177 ſeq.
14. 220. 221.
XXIII, 15. 569.
XXVIII, 27, 28. 200.
60. ibid.
68. 182.
*Ioſ.* I, 8. 625.
V, 2. 566.
*Iudic.* XV, 15. 573.
19. 571.
*Ruth* I, 6 ſeq. 395.
*1 Sam.* V, 9. 206.
VI, 4. 5. 205.
*2 Sam.* I, 23. 626.
24. 396.
XIV, 29. 566.

*2 Sam.* XXIII, 4. 22.
*1 Reg.* VI, 7. 561.
31. 557 ſeq.
564.
XVIII, 44. 566.
XIX, 11. 192.
13. ibid.
*2 Reg.* V, 24. 205.
X, 9. 396
XV, 15 ſeq. ibid.
*1 Par.* VI, 31. 559.
VII, 2-5. ibid.
XXI, 21-24. 582.
*Neh.* III. 170.
3. 572.
32. 573.
XII, 39. 572. 573.
*Iob.* II, 7. 8. 202.
XVI, 10. 203.
XXVII, 20 ſeq. 192.
XXX, 30. 202.
XXXIII, 24. 599.
XL, 10. 396.
30. 580.
*Pſ.* I, 2. 625.
II, 6, 7. 383.
XIX, 6. 397.
8-11. 625.
XXXII, 9. 395.
XXXV, 26. 400.
XXXVI, 9. 10. 211.
XLII. 625.
XLV, 9. 397. 577.
10. 397.
15. ibid.
L, 5. 379.
LXXVIII, 66. 206.
LXXX, 9. 13.
LXXXVII, 4. 568.
*Pſ.* LXXXIX, 11. 568.
XCI, 6. 193. 197.
CIII, 5. 395.
CIV, 2. 400
CIX, 29. ibid.
CX, 3. 14
CXIX, 72. 625.
105. ibid.
*Prov.* III, 3. 381.
VI, 3. 396.
VII, 17. 577.
21. 396.
XVI, 15. 222.
XXVII, 22. 572.
XXX, 18. 19. 168.
XXXI, 24. 580.
*Cant.* I, 10. 11. 397. 399.
14. 579.
III, 6. 578.
11. 397. 399.
IV, 8-12. 386.
14. 578.
15. 577.
V, 1. 2. 386.
VII, 1. 575.
*Eſ.* III. 397.
16 ſeq. 574. 575.
18. 575.
20. 396.
V, 1 ſeq. 13. 19.
IX, 2. 21.
XII, 3. 211.
XVIII, 2. 186.
XXI, 10. 397.
XXII, 2. 582.
XXIII, 7. 8. ibid.
XXVIII, 25. 219.
XLIX. 388.
18. 384 ſeq.

*Eſ.* LI, 9. 568.
LIII, 5. 589
LV, 1. 6. 614
LX, 2. 22
LXI, 10. 386. 397.
LXII, 5. 386. 399.
*Jer.* I, 11 ſeq. 570
II, 2. 386.
21. 13.
32. 397.
V, 24. 220. 221.
VIII, 34. 399.
XIV, 3. 583.
XVI, 9. 399.
XVII, 1. 381
XXV, 10. 399.
XXXI, 33. 382.
XXXIII, 11. 399.
*Thren.* V, 13. 574.
*Ezech.* II, 9. 375.
IV, 9. 219.
XI, 3. 570.
XVI, 11. 395. 397.
XXIV, 4. 5. 570.
6. 569.
9 ſeq. 570.
XXVII, 19. 577.
XL, 9, 10. 562.
14. ibid.
16. 562.
563.
21. 562.
22. 563.
24. 562.
26. 563.
29. 562.
31. 563.
33. 562.
34. 563.
XL, 36. 562.
37. 563.
38. 562.
49. 563.
XLI, 1. 562.
9. ibid.
XLIV, 20. 219.
XLVII, 1. 210.
*Dan.* III, 28. 583.
IV, 25. 10.
VII, 13. 14. 9.
29. ibid.
XXXVI, 25. 614.
*Hoſ.* II, 15. 575.
19. 20. 386.
IV, 13. 395.
VI, 3. 221.
XII, 8. 581.
*Joel* II, 23. 221.
*Amos* VII, 10. 396.
*Nah.* II, 5. 583.
*Hab.* II, 4. 205.
*Zeph.* I, 10. 572.
11. 567 ſeq.
II, 15. 582.
*Zach.* X, 1. 221.
XI, 3. 583.
XII, 4. 569.
XIII, 1. 614.
XIV, 8. 211.
*Mal.* IV, 2. 22.
*Matth.* III, 2. 10.
IV, 23. ibid.
V, 44. 626.
VI, 29. 397.
VII, 14. 215.
VIII, 11. 12. 8.
IX, 37. 38. 21.
X, 5. 6. 25.

*Matth.* X, 7. 10. 25.
8. 25.
XI, 28. 6.
XV, 22. 581.
XIX, 21. 5.
22. 4.
28. 606.
612. 619.
30. 6. 8.
XX, 1-7. 1 ſeq.
8. 1. ſeq. 28.
9-15. 1 ſeq.
16. 1 ſeq. 6.
XXI, 18. 10.
XXII, 1 ſeq. 23.
14. 6.
XXIV, 41. 574.
XXV, 1 ſeq. 386.
10. 399.
XXVI, 38. 377.
45. 32.
50. 33.
XXVII, 46. 377.
XXVIII, 19. 597.
600. 605. 619.
627.
20. 619.
627.
*Marc.* VI, 21. 583.
VII, 9. 33.
26. 581.
XII, 1. 13.
XIV, 5. 576.
XVI, 16. 592.
597. 600.
*Luc.* I, 32. 33. 37.
35. ibid.
78. 22.
X, 1 ſeq. 25.
*Luc.* X, 2. 21.
XI, 41. 34.
XIII, 28-30. 8.
XV, 7. 34.
21. 10.
XVII, 2. 573.
XVIII, 18. 4.
XX, 9. 13.
XXII, 20. 379.
XXIII, 34. 626.
*Io.* I, 9. 12.
12. 13. 599.
17. ibid.
III, 3. 592. 608.
612. 613.
4. 608.
5. 599. 600.
613. 614.
7. 614.
10. 36.
27. 10.
IV, 14. 211.
35. 221.
V, 1-5. 168.
6. 168. 614.
7. 168.
8. 168. 614.
9. 168.
VI, 27. 211.
VII, 12. 36.
16 ſeq. ibid.
25-28. ibid.
38. 39. 211.
VIII, 34-36. 14.
XII, 48. 625.
XV, 1. 13.
XVIII, 36. 10.
*Act.* II, 38. 600. 619.
620.

*Act.*

*Act.* II, 41. 605.
V, 29. 626.
VII, 59. ibid.
VIII, 12. 600. 619
16. 619.
18. 19. ibid.
37. 597. 600.
38. 597.
X, 2. 25. 27.
28. 600.
34. 35. 3.
44. 600.
45. 25.
48. 600.
XI. 231.
1. 25.
2. 3. 29.
3. 3. 25. 29.
15. 3.
XIII, 2. 4. 27.
46. ibid.
47. 390.
51. 27.
XV, 1. 2. 29.
5 ſeq. 3.
8. 9. ibid.
XVII, 11. 625.
XVIII, 5. 25.
14. ibid.
25. ibid.
XXV, 12. 626.
*Rom.* III, 22-24. 3.
V, 1. 380.
9. 599.
VI, 4. ibid.
9. 10.
12. 13. 626.
VII, 12. ibid.
VIII, 31. 32. 729.
IX, 11. 12. 21.
31. 36.
X, 1. ibid.
XI, 11. 4.
29. 596.
XIII, 1-7. 626.
*1 Cor.* IV, 8. 37.
15. 606.
IX, 24-26. 619. 627.
XI, 26. 619. 627.
XII, 2. 25.
3. 626.
*2 Cor.* I, 10. 21.
20. 380.
II, 2. 386.
IV, 17. 14.
VI, 14-17. 626.
VII, 10. 596.
X, 12. 38.
XI, 13. 21.
19. 38.
XII, 1 ſeq. 27.
13. 39.
*Gal.* II, 3 ſeq. 29.
III, 13. 599.
26-28. 3.
IV, 2. 28.
19. 607.
*Eph.* I, 7. 380.
II, 10. 21. 598.
V, 2. 10.
25. 599.
26. 599. 600. 605. 607. 613. 617.
*Phil.* I, 6. 21.
III, 2. 21.
14. 228.
*Col.* II, 14. 10.

*Col.* II, 20. 10.
III, 11. 3.
*1 Theſſ.* I, 3. 21.
V, 5. ibid.
*2 Theſſ.* I, 11. ibid.
II, 17. ibid.
*1 Tim.* I, 5. 627.
8. 626.
II, 1-4. 6. 626.
IV, 13. 625.
VI, 3. 625.
13. 376.
18. 21.
*2 Tim.* I, 9. 599.
13. 625.
II, 13. 596.
15. 21.
III, 14 ſeq. 625.
17. 21.
IV, 7. 228.
10. 622.
*Tit.* I, 9. 625.
II, 14. 21.
III, 1. ibid.
4. 584 ſeq.
5. 584 ſeq. 600. 613. 618.
6. 584 ſeq. 618.
7. 584 ſeq. 618.
*Philem.* v. 10. 607.
23. ibid.
25. ibid.
*1 Petr.* I, 2. 373. 380.
3. 599. 607. 613. 618.
4. 618.
5. 607.
18. 19. 599.
23. 600.
II, 7. 380.
8. 622.
13-15. 626.
18. ibid.
III, 21. 595. 599. 627.
*2 Petr.* II, 1. 2. 622.
20-22. ibid.
III, 9. 6.
*1 Io.* I, 7. 380.
8. 9. 35.
10. 626.
II, 1. 601. 626.
3. 623.
5. 6. ibid.
23. ibid.
III, 9. 10. 626.
23. 24. 623.
IV, 7. 607. 626.
V, 1. 596. 600. 607. 627.
2. 626.
4. 596. 600. 608. 626.
5. 600.
17. 601. 626.
20. 600.
*2 Io.* v. 9. 626.
*Hebr.* III, 2. 28.
VI, 4-6. 622.
13. 403.
19. 20. 10.
IX, 12. 599.
14. 380.
15. 16. 378.
19. 367 ſeq. 373.

*Hebr.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| Hebr. IX, 21. | 373. | Iac. V, 7. | 217. 221. |
| 23. | 380. | | 222. |
| 28. | 599. | Apoc. I, 5. | 377. |
| X, 14. | 10. | II, 5. | 21. |
| 19. | 380. | IV, 4. | 386. |
| 22. | 614. | V, 1. | 375. |
| 24. | 21. | VI, 15. | 399. |
| 26. | 10. 622. | XVIII, 23. | 399. |
| XII, 16. | 222. | | 583. |
| 27. 28. | 627. | XIX, 7, 8. | 397. |
| XIII, 21. | 21. | XX, 4. | 606. |
| Iac. I, 18. | 600. 608. | XXI, 2. | 397. |
| 25. | 27. | XXII, 1. | 210. |


# INDEX II.

## RERVM NOTABILIORVM.

### A.


Acta Eruditorum *laudata.* 174. 349

*horum notitia literaria.* 711 ſeq.

*primi conditores nominati.* 718 ſeq.

*a Pritio integro Carmine laudata.* 721 ſeq.

Adhæreſcere *ad aliquam rem, quid notet?* 516

Ægypti *ſiccitas & calor multa mala peperit.* 178 ſeq.

Ægyptiorum *morborum catalogus.* 198 ſeq.

*cereviſia inſalubris.* 213 ſeq.

Alberti (*Val.*) *vita & ſcripta.* 686 ſeq.

Aliusvis, *vox, Ciceroni aſſerta.* 518 ſeq.

*In* Anglia *rei literariæ facies deſcripta.* 344

Animæ *humanæ natura explicata.* 426 ſeq.

Aries, *vox, varias habet ſignificationes.* 561 ſeq.

Aromatarii *multi olim Hieroſolymis.* 576 ſeq.

Aromatum *varia nomina.* 577

Aſiæ *veteris in ſuperiorem & inferiorem deſcriptio illuſtrata.* 268 ſeq.


B. Bail-

B.

Bailleti *de Iudiciis eruditorum liber commendatus.* 344
*libri verſio Latina deſiderata.* 344. 347
Balzacii (*Io. Lud.*) *plagium notatum.* 96 ſeq.
Baptiſmus *infantum ſtabilitus.* 592 ſeq.
*ab heterodoxo impertitus, an ſit iterandus?* 601 ſeq.
*aqua adminiſtrandus eſt.* 604
Benneburgi *caſtri origines veſtigatæ.* 249 ſeq.
Bennopolios *urbis origenes veſtigatæ.* 247 ſeq.
De Bentleji *Manilio judicium.* 358
Berlichii (*Matthæi*) *vita & ſcripta.* 704 ſeq.
Buddeus (*Io. Franc.*) *variarum Obſervationum Halenſium autor.* 294 ſeq.

C.

Carpzoviorum (*Io. Bened.*) *patris & filii, vita & ſcripta.* 701 ſeq.
Cavei (*Guil.*) *ad Ott. Menckenium Epiſtolæ ex MS editæ.* 172 ſeq. 344 ſeq. 548 ſeq.
*de valetudine ſua querelæ.* 174 ſeq. 344 ſeq. 363. 554
*ſcripta et deſtinata literaria.* 176
*obitus ante diem vulgatus.* 360. 363
*Chriſtianiſmus primævus Belgice redditus.* 362. 365
Cellarii (*Chriſtoph.*) *error geographicus notatus.* 269 ſeq.
Cereviſia *Ægyptiorum inſalubris.* 213 ſeq.
Certitudo *Hiſtoriæ Romanæ veteris vindicata.* 45 ſeq.
Chemnitii (*Chriſtiani*) *vita & ſcripta.* 691
Chriſtiani *Ignatio theodromi dicti.* 228 ſeq.
Ciceronis *aliquot locorum emendationes Græviana ſub modeſtum judicium vocatæ.* 509 ſeq.
Committere *ludos apud Ciceronem quid notet?* 533 ſeq.
Conferre *interdum idem, quod convertere.* 536
Convinctus, *vox, an ſit Ciceroni tribuenda?* 526
Cyrilli *Alexandrini locus illuſtratus.* 392 ſeq.

D. Ad

## D.

Ad Dei imaginem hominem conditum eſſe, demonſtratur. 475 ſeq.
Denarius merces olim operariorum. 15
Derogare aliquid, an recte dicatur? 537
Dionyſius Alexandrinus illuſtratus. 268 ſeq.
ejus locus difficilis explicatus. 285 ſeq.
Diplomata Hildeneshemenſia deſcripta. 260 ſeq.
Diſceſſus pro diſceſſionis tempore uſurpatur. 544 ſeq.
De Diſputationibus Academicis judicium. 727 ſeq.
Diſſenſus veterum Auctorum an incertam reddat Hiſtoriam? 62
Duarenus (Franc.) a plagii crimine defenſus. 99 ſeq.

## E.

Educere interdum idem, quod in jus vocare. 537 ſeq.
Ejicere interdum idem, quod exſibilare. 538 ſeq.
Elephantiaſis, morbus Ægyptiis familiaris. 201
Enthuſiaſmi nominis origo veſtigata. 445 ſeq.
Eraſmus (Deſid.) an inter plagiarios referendus? 103 ſeq.
Erneſti (Io. Aug.) in Ciceronem merita laudata. 512. 542
Exemplar, vox, apographum notat. 337 ſeq.
Exemplum, vox, an notet apographum? 319 ſeq. 525 ſeq.

## F.

Fabulæ an in Hiſtoria ferendæ? 77 ſeq.
Finæus (Orontius) an inter plagiarios referendus? 107 ſeq.
Fœderis liber pars fuit Pentateuchi. 369 ſeq.
olim ſanguine adſperſus fuit. 370 ſeq.
quale myſterium ſecum ferat? 376 ſeq.
Franckenſteinii (Chriſt. Frid.) vita & ſcripta. 684
Fugere cum Præpoſitione a recte jungitur. 542 ſeq.

## G.

Geneſis an ſit Hiſtoria Byzantina, quæ ei vulgò tribuitur? 553
Gerhardi (*Io. Ern.*) *vita & ſcripta.* 691
Germaniæ *felicitas literaria laudata.* 365
Gery (*Robertus*) *quis fuerit?* 364
Grævii (*Io. Ge.*) *emendationes aliquot locorum Ciceronis ſub modeſtum judicium vocatæ.* 509 ſeq.
Groſchuffii (*Henr. Auguſtini*) *Inſcriptio ſepulcralis, Ottoni Menckenio poſita.* 734 ſeq.
Guichenonii (*Sam.*) *plagium notatum.* 109 ſeq.
Gundlingius (*Nic. Hier.*) *variarum Obſervationum Halenſium autor.* 295 ſeq.
*refutatus.* 717. 720
Guyonii (*Lud.*) *plagium notatum.* 112 ſeq.

## H.

Halys *fluvius utrum Aſiæ ſuperioris & inferioris terminus ſit dicendus?* 274 ſeq.
Herodoti *locus explicatus.* 268 ſeq.
Hickmannus (*Henr.*) *quis fuerit?* 174
Hieroſolyma *in Scriptura S. mortarium appellata.* 569 ſeq.
Hildeneshemenſia *Diplomata deſcripta.* 260 ſeq.
Hildeneshemenſis *Epiſcopatus initia.* 253 ſeq.
Hildeneshemii *urbis origines veſtigatæ.* 243 ſeq.
*cur lateant?* 265 ſeq.
*nomen unde?* 237 ſeq.
Hipſtedii (*Io.*) *vita & ſcripta.* 677
Hiſtoriæ *Romanæ vetuſtioris certitudo vindicata.* 45 ſeq.
Hiſtorico *an ſemper teſtibus utendum ſit?* 70 ſeq.
Hodii *deſtinata literaria.* 357. 364
Hominem *ad imaginem Dei conditum eſſe, ſed ea per abuſum libertatis excidiſſe, demonſtratur.* 475 ſeq.
Hundeshagenii (*Io. Chriſtoph.*) *cum Ottone Menckenio lites deſcriptæ.* 689 ſeq.

Igna-

## I.

Ignatius *quos homines per θεοδρόμους intellexerit?* 283 seq.

Indignitas *interdum idem, quod injuria.* 522

Inſcriptiones *aliquot Græcæ emendatæ.* 450 seq.

Ironia *nunquam Chriſtus & ejus diſcipuli uſi.* 31 seq.

Ittigius (*Th.*) *a Caveo accuſatus.* 350 seq.

*defenſus.* 350

*excuſatus.* 352

Iudicium *facere abſolute pro judicare uſurpatur.* 541

## K.

Keckermanni (*Bartholom.*) *plagium notatum.* 114 seq.

Kippingii (*Henr.*) *vita & ſcripta.* 678.

Kœnii (*Franc.*) *vita & ſcripta.* 679

Kromaieri (*Hieron.*) *vita & ſcripta.* 693

## L.

*De* Lambeciana *& Neſſeliana Bibliotheca Vindobonenſi judicium.* 346 seq.

Lelandi (*Io.*) *de Scriptoribus Angliæ opus ſæpius luci deſtinatum.* 551

Liber *fœderis pars fuit Pentateuchi.* 369 seq.

*ejus ſanguine adſperſi myſterium explicatum.* 370 seq.

*Ex* Libertatis *abuſu mali moralis ortus demonſtratus.* 475 seq.

Lipſii (*Iuſti*) *Epiſtolarum, in Weſtphalos injurioſe ſcriptarum, notitia literaria.* 655 seq.

## M.

Maccovius (*Io.*) *an inter plagiarios referendus?* 116 seq.

Majeſtas *Diis tribuitur ab Autoribus antiquis.* 532

Majoragius (*M. Ant.*) *an inter plagiarios referendus?* 118 seq.

Mali *moralis origo unde?* 475 seq.

*De* Maniſio *Bentleji judicium.* 358
Melanchthonis (*Philippi*) *Hypotypoſeon, Italico ſermone editarum, notitia literaria.* 628 ſeq.
Menagius (*Ægid.*) *a plagii crimine difficile defendendus.* 122 ſeq.
Menckenius (*Lüderus*) *laudatus.* 670
Menckenii (*Ottonis*) *ad Guil. Caveum Epiſtolæ editæ.* 346 ſeq. 351 ſeq.
*vita & in literas merita.* 353 ſeq. 359 ſeq. 644 ſeq.
(*Io. Burch.*) *Inſcriptio ſepulchralis, parenti Ottoni poſita.* 734
Mentzius (*Frid.*) *laudatus.* 671
Morborum *Ægyptiorum catalogus.* 198 ſeq.
Morhofii *ingenium laudatum.* 349 ſeq.
*vita & merita.* 352
*mors deplorata.* 356
Mortarium *cur olim dicta Hieroſolyma?* 542 ſeq.
Muratorii (*Lud. Ant.*) *explicationes aliquot Inſcriptionum Græcarum ſub judicium vocatæ.* 450 ſeq.
Muſæi (*Io.*) *vita & ſcripta.* 692

N.

Niemanni (*Sebaſt.*) *vita et ſcripta.* 693
*In* Nilo *exuberante magna olim ſpes Ægyptiis.* 182 ſeq.
Nota *interdum idem, quod formula.* 524

O.

Obſervationum *Halenſium Auctores detecti.* 292 ſeq.
Offendo *an interdum paſſive uſurpetur?* 530 ſeq.
Offundere, *verbum, interdum cum caſu quarto jungitur.* 535
Oldenburgum *a calumniis Lipſii vindicatum.* 655 ſeq.
*doctorum virorum ferax.* 664 ſeq.
Oldenburgi *urbis decora deſcripta.* 654 ſeq.
Olearii (*Io.*) *vita & ſcripta.* 683

De

*De* Operariis *in vinea parabola explicata.* 1 ſeq.
Oſtfaliæ *veteris termini definiti.* 250 ſeq.
Oudini (*Caſim.*) *quæ fuerint fata?* 555

P.

Pædobaptiſmus *ſtabilitus.* 592 ſeq.
Palæſtinorum *duplex meſſis deſcripta.* 217 ſeq.
Parabola *de operariis in vinea explicata.* 1 ſeq.
Pearſonii (*Io.*) *deſtinata literaria.* 175
Pfautzii (*Chriſtoph.*) *vita & ſcripta.* 709
Philips (*Ienkini Thomaſii*) *plagium notatum.* 137 ſeq.
Pinckeri (*Chriſtoph.*) *obitus.* 361. 364
*merita.* 361
*deſtinata literaria.* 361. 364
Plagiariorum *nova exempla collecta.* 96 ſeq.
*De* Plagio *qui ſcripſerint?* 87 ſeq.
Plinii *tria loca emendata.* 79 ſeq.
Pluviæ *in Palæſtina duplicis uſus.* 217 ſeq.
*Ex* Pluviæ *in Ægypto infrequentia quæ mala exorta?* 187 ſeq.
Poeta *an in re hiſtorica fidem faciat?* 56 ſeq.
Ponere *interdum idem, quod ſubornare.* 514 ſeq.
*De* Popeblount (*Thomæ*) *Cenſura celebriorum Auctorum judicium.* 348
Pritii (*Io. Ge.*) *in Acta Eruditorum Elegia.* 721 ſeq.

R.

Rappolti (*Frid.*) *vita & ſcripta.* 685
Regenerati *hominis criteria.* 625 ſeq.
Regeneratio *quid ſit?* 585 ſeq.
*a converſione quomodo differat?* 590
*infantum & adultorum quomodo differat?* 590 ſeq.
*contractus* διπλεύρου *formam habet.* 591 ſeq.
*fidem & fidei confeſſionem requirit.* 595 ſeq.
*univerſam N. T. œconomiam complectitur.* 598 ſeq.
*ejus ſtatus deſcriptus.* 609
*quo ſenſu iterari poſſit?* 609 ſeq.
*baptiſmalis an ſit iteranda?* 619 ſeq.

Rei-

Reimannus (*Iac. Frid.*) *variarum Obſervationum Halenſium autor.* 296 ſeq.
Reportare *apud Ciceronem idem, quod deportare.* 520
Romanæ *Hiſtoriæ antiquioris certitudo vindicata.* 45 ſeq.

S.

Schelſtrateni (*Eman.*) *obitus.* 358
Scherzeri (*Io. Adami*) *vita & ſcripta.* 694
Scindere *dolorem, quid notet?* 527 ſeq.
a Seckendorff (*Viti Lud.*) *vita & ſcripta.* 702
Seplaſiarius *quis olim fuerit?* 576 ſeq.
Silentium *Scriptorum an veritati rei geſtæ deroget?* 60 ſeq.
Slüteri (*Gothofr.*) *vita & ſcripta.* 682
Sponſæ *ornatus converſionis gentium ad eccleſiam ſymbolum.* 385 ſeq.
Sponſarum *Ebræarum ornatus ex antiquitate illuſtratus.* 397 ſeq.
Stahlius *variarum Obſervationum Halenſium autor.* 294 ſeq.
Strigelii (*Victorini*) *plagium notatum.* 140 ſeq.
Struvius (*Burch. Gotth.*) *variarum Obſervationum Halenſium autor.* 295 ſeq.

T.

Taiſnerii (*Io.*) *plagia notata.* 144 ſeq.
Tavernierii (*Io. Bapt.*) *plagium notatum.* 147 ſeq.
Tenzelii (*Guil. Ern.*) *variarum Obſervationum Halenſium autor.* 296 ſeq.
Theodromi *Ignatiani qui fuerint?* 223 ſeq.
Thomaſii (*Iac.*) *vita & ſcripta.* 685
Thomaſius (*Chriſt.*) *variarum Obſervationum Halenſium autor.* 294 ſeq.
Tomaſſinus (*Iac. Phil.*) *a plagii crimine vindicatus.* 149 ſeq.
Traditionis *ad hiſtoriam ſcribendam neceſſitas.* 48 ſeq.

V.

Valla (*Laur.*) *a plagii crimine defenſus.* 153 ſeq.
Villareali (*Eman. Fernandez*) *plagium notatum.* 154 ſeq.

a Vil-

a Villavicentio (*Laur.*) *plagium notatum.* - 155 ſeq.
Vinea *ſymbolum eccleſiæ.* - 13
Vitringa *refutatus.* 395 ſeq. 401 ſeq.
Vrſi (*Nic. Raimari*) *plagium notatum.* 160 ſeq
*De* Vſſerii *Epiſtolis judicium.* - 175 ſeq.

W.

Wagenfeldii (*Henr.*) *vita & ſcripta.* 677
Wagneri (*Chriſtiani*) *vita & ſcripta.* 348
Wendleri (*Dav.*) *plagium notatum.* 168 ſeq.
Weſtphalia *ab injuriis Lipſii vindicata.* 655 ſeq.
*doctorum virorum ferax.* 664 ſeq.
*inter cultiores regiones numeranda.* 671 ſeq.

Z.

Zeiſoldi (*Io.*) *vita & fata.* 688
Zimmermanni (*Matthæi*) *deſtinatum literarium.* 345

---

## Errores operarum hi ſunt emendandi:

In *Praefat.* pag. 20 lin. 12 pro *licet* leg. *liceret*; pag. 24 lin. 12 pro *judicauent* leg. *judicarunt*; pag. 26 lin. 19 pro *non ut eſſe homini* leg. *non ut homo eſſe homini.* P. I pag. 8 lin. 5 pro *epiphomena* leg. *epiphonema*; pag. 9 lin. 1 pro *ejus* leg. *ejusque*; pag. 14 lin. 28 pro *vocaturos* leg. *vacaturos*; pag. 24 lin. 24 pro *Romam* leg. *horam*; pag. 41 lin. 32 pro *octrinæ* leg. *doctrinæ*; pag. 42 lin. 6 pro *geſtorum* leg. *rerum geſtarum*; pag. 47 lin. 25 pro *Græce* leg. *Græci*; pag. 50 lin. 4 poſt *meretricum* leg. *artibus*; pag. 57 lin. 30 pro *magna componere parvis* leg. *magnis componere parvos*; pag. 60 lin. 7 pro *auctoritate* leg. *auctoritati*; pag. 61 lin. 17 pro *afferat* leg. *affert*; pag. 62 lin. 25 pro *amemus, unde* leg. *avemus. Unde*; pag. 64 lin. 19 pro *ut prius* leg. *ut omnia prius*; pag. 66 lin. 8 pro *tribuit is* leg. *tribuitur*; pag. 70 lin. 26 pro *in* leg. *e*; pag. 71 lin. 22 pro *mundentur* leg. *inundentur*; pag. 74 lin. 24 pro *inſtructas* leg. *inſtructos*; ead. pag. lin. ult. pro *moverique* leg. *monerique*; pag. 78 lin. 27 pro *aggredi* leg. *reprehendere*; pag. 79 lin. 8 pro *timorem* leg. *ſuſpicionem*; pag. 84 lin

lin. 17 ante *ſcripſerit* leg. *Mihi quidem non eſt dubium, hæc vera & germana eſſe Plinii verba: ingeniorum rempublicam fecit.* Pag. 91 lin. 34 pro *auſpice Iacobo Facciolato* leg. *auſpiciis Iacobi Facciolati*; pag. 171 lin. 25 pro *literario* leg. *epiſtolari*. *P. II* pag. 178 lin. 6 pro *maximis* leg. *maximus*; pag. 190 lin. 5 pro *notbus* leg. *notus*; ead. pag. lin. 23 pro *ita* leg. *iſte*; pag. 194 lin. 17 poſt *accommodatiora* leg. *exſtiterunt*; pag. 203 lin. 14 pro *conſumſit* leg. *conſumit*; pag. 209 lin. 25 pro *potius* leg. *potus*; pag. 215 lin. 24 pro *zybo* leg. *zytho*; pag. 219 lin. 4 leg. בּנחתא; pag. 222 lin. 14 dele *enim*; pag. 237 lin. 29 dele *et*; pag. 42 lin. penult. pro *Flutwide* leg. *Aſtfalaha*; pag. 250 lin. 30 pro *Belgio* leg. *Belgico*; pag. 251 lin. 5 pro *ſolus* leg. *ſolis*; ead. pag. lin. 24 pro *Rhenum* leg. *Leinam*; pag. 252 lin. 21 pro *huic* leg. *huc*; pag. 256 lin. 2 pro *835* leg. *834*; pag. 257 lin. 21 pro *ante* leg. *ad*; pag. 259 lin. 5 pro *Helizoni* leg. *Hezilon*i; pag. 321 lin. 8 pro *V* leg. *IV*; pag. 344 lin. 7 pro *Gallice* leg. *Latine*; pag. 355 lin. 6 pro *Menetrii* leg. *Meneteeji*. *P. III* pag. 384 lin. 16 pro *XLVIII* leg. *XLIX*; pag. 410 lin. 22 pro *in* leg. *ni*; pag. 414 lin. 29 ante *poteſt* leg. *non*; pag. 418 lin. 22 pro *obligationibus* leg. *cogitationibus*; pag. 424 lin. 30 pro *triſtiſſima* leg. *tritiſſima*; pag. 428 lin. 12 pro *tradit* leg. *prodit*; pag. 429 lin. 2 poſt *cogitans* leg. *ſpectari*; ead. pag. lin. 3 poſt *cogitatio* leg. *prodire*; & lin. 29 pro *dividui* leg. *dividuum*; pag. 442 lin. 27 pro *debet. Impedire* leg. *debet, quod omnibus eius perſectionibus facto ipſo repugnabit. Impedire* &c.; pag. 443 lin. 8 leg. *Non impedit actionem, quam impedire eum haud decet; hæc eſt permiſſio, qua quis non impedit actionem*; pag. 444 lin. 18 pro *innundatione* leg. *inundatione*; pag. 467 lin. 14 pro ἀγνεύκσιν χρέσσοιν leg. ἀγνείωσιν χρέεσσιν; pag. 484 lin. 21 pro ἶιπε leg. εἰπὲ; pag. 487 lin. 21 pro λαλιν φλιαρῆδε leg. λαλίη φλυαρῆδε; ead. pag. lin. 26 pro τάμνε leg. τάμνετε; & lin. 27 pro Ποσειδάων leg. Ποσειδάωνι; pag. 489 lin. 30 pro τῦν leg. τὺν; pag. 505 lin. 10 pro ὤσσα στάθμη leg. ὥστε σάθμη; pag. 530 lin. 15 pro *mutavit* leg. *putavit*. *P. IV* pag. 681 lin. 25 pro *octavo et decimo conſtitutus* leg. *octavum decimum agens*; & pag. 728 lin. 28 pro *veſtiganti* leg. *veſtigante*.

* * *

*dubium,*
*m rem-*
*bo Fac-*
lin. 25
*6 pro*
*ns* leg.
lin. 17
lin. 14
ro *po-*
*zytho;*
*enim;*
*Flu-*
g. *Bel-*
lin. 24
*ic* leg.
n. 21
*Hezi-*
7 pro
*i* leg.
leg.
29
*bus*
eg.
*it;*
g.
*lui*
*re*

3 2044 012 92